2 G 1.3

2. 3. 59

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI MARTORELLII
NEAPOLITANI
DE REGIA THECA
CALAMARIA

ΕΠΙ ΣΜΙΚΡΟΙΣ ΝΟΟΣ ΔΙΑΦΑΙΝΕΤΑΙ ΑΝΔΡΟΣ.

Ex Antholog. .4. 32.

Digitized by Google

In ſacratiſſimæ Reginæ virtutes, & regni felicitatem

Ex Homero Odyſſ. τ. v. 107.

Ὦ γύναι, οὐκ ἄν τίς σε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν
Νεικέοι· ἦ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει,
Ὥστε τευ ἢ Βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι, καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
Εὐδικίας ἀνέχησι· φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς, καὶ κριθὰς, βρίθησι δὲ δένδρεα καρπῷ·
Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς,
Ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

In Atramentum ſcriptorium.

Ex Actii Synceri Sannazarii lib. 1. epigr. 32.

Ferrum putre ſitu ſpumanti fervet aceto,
Mandet ut æternis ſcripta voluminibus:
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora:
Hoc eſt pyramidas vincere, Nile, tuas:
Infelix fatum, ſanies rubiginis ergo
Eripit inviſo nomina noſtra rogo!

Digitized by Google

JACOBI MARTORELLII

NEAPOLITANI

IN REGIA ACADEMIA

LITTERARUM GRÆCARUM PROFESSORIS

DE REGIA THECA

CALAMARIA

SIVE

ΜΕΛΑΝΟΔΟΧΕΙΩΙ

EJUSQUE ORNAMENTIS

LIBER SECUNDUS.



Σεβήτοιο ῥοῇσι φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

F. La Marca Inv. et Sculp

NEAPOLI MDCCLVI.

SIMONII FRATRES TYPOGRAPHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIÆ AMALIÆ
REGINÆ AUGUSTISSIMÆ
FLORENTISSIMÆQUE DOMINÆ

MAJESTATI EJUS DEVOTISSIMUS

JACOBUS MARTORELLIUS.

ATRAMENTARIUM hoc vaſculum, DOMINA AUGUSTISSIMA, quamquam ſeptenam planetarum lucem longe lateque diffundat, maximo decoris incremento deſertum exiſtimandum eſſet, ſi Nomine, atque auſpiciis Tuis minime cohoneſtaretur. Cum porro princeps pars operis, quæ omnis in eo eſt, ut atramento, ejuſque receptaculo priſcus honos, & dignitas a quibuſvis eruditiſſimis viris poſthabita

bita

Digitized by Google

bita vindicetur, impenſa a me ſit, & rei argumentum novum, implexum, varietate ſpectabile, ac laborioſum ſe mihi objecerit, Regis Majeſtati ſacrandum & ipſa res poſtulabat, & exſpectabant univerſi: hæc altera operis materies elegans, hilarior, & amœnitatis plena, utpote quæ inter aſtra, ac cæleſtes orbes Te verſari jucundiſſime ſinet, optima & perennis DOMINA, nemo mihi eripiet, quin Tibi nuncupanda ſit.

Enim vero neſcio, quæ cum ſideribus, ac cæleſtibus corporibus veluti conſpiratio Tecum eſt, & concordia; ſiquidem cum Ipſa ex fortunatiſſimis regionibus Tuis Neapolim advectareris, polum omnem in Borealibus plagis noctu undique illuceſcere, atque ardere conſpeximus, Teque eſſe Septemtrionicam illam Auroram univerſi rati ſunt, & conſalutarunt, nobiſque fauſta omnia, ac felicia gratulabundi portenderunt. Et amice res ſane ſibi conjurant, quando nunc primum novimus unos priſcos Neapolitanos Auroram ſibi peculiare numen elegiſſe, &, Sole ipſo poſthabito, ex ſeptenis diebus ſecundum hujus Deæ tutelæ lubenter merito conſecraſſe. Hinc veteres Neapolitani ubique inſtrumentorum, & vel atramentariis organis Auroram appoſuerunt, eamque peculiari cultu proſecuti ſunt, ab Jove poetarum Homero condocefacti non procul ab Regali hac urbe Tua Auroram delicias, ac cubile ſibi comparaſſe (*). Cujus lætiſſimi ominis memoriam, & quæ de hoc numine bene multa a me, ac laboris plena hic collecta Tibi lectitanti cordi futura ſpes crebrior mihi eſt: & nil dubii, quin animo Tuo grande ſolatium, ac voluptatem ferant, ac lubentiſſima excipias.

Neque duntaxat ob feſtiva iſthæc, atque hilariſſima,

(*) Odyſſ. μ. verſ. 4.

ma, quæ de Aurora commemoravi, Nomini, Majeſtatique Tuæ alterum hoc volumen ſiſtendum reor, verum etiam quod antiquitatis cimelia præ Indicis gemmis Tuis numero, & pretio ſuperbiſſimis cariora æſtimas, & ac perpendis, in eorumque amore, & cultu mira cum Rege concordia ævum agis, imo & tanto ardore id genus veteres gazas proſequeris, ut Vos inter mutuo, honeſtiſsimoque ſtudio invicem contendatis: quæ maxima in Regia Conjuge laus eſt, eo potiſſimum, cum nil culpæ ſit, ſi illas poſthabeat. Et haud ſcio, an quis inveniet Auguſtam, quæ inter tot titulorum ſuorum ſplendorem etiam acerrimam rerum antiquarum curam repoſuerit, præter Te, DOMINA, & vix alteram etiam creberrimæ famæ, Chriſtinam ſcilicet Gothorum Reginam; & quid optabilius Regiarum Matronarum animis exputandum eſt, quam ea gloria, & claritate frui, ac lætari, in qua vix parem nactæ ſint, & vix conſortem?


Hinc ſi Herculanenſe cimeliarchium tot vetuſtarum opum ſtrue auctum ſit, in dieſque increſcat ad ceterorum Principum invidiam, tum Regis munificentiæ, ac ingenio ad eaſdem conquirendas impenſiſſimo, tum æmulæ Tuæ virtuti, atque ardoris ſtudio acceptum ubique gentium prædicatur. Quis etenim ignorat immanem hunc divitiarum theſaurum, maxime picturas delicias Tuas eſſe, ac fere quotidie adire, de iis lectiſſimos, ac ſapientiſſimos viros conſulere, cum eiſdemque, ſepoſita parumper majeſtate, quæ tibi cumulate contigit, verſari, ipſorumque divinationibus ſat opportunis delectari; interea iidem lætiſſima illa hilaritate, quæ in ore Tuo, in oculis, in animo abunde ſedet, beatiſsimi perfruuntur.

Cum

Digitized by Google

Cum igitur horum cimeliorum urgens deſiderium, & carus amor, Te, DOMINA AUGUSTISSIMA, percellat, nil mihi verendum, ut ſicuti quando mea ope hoc jam famæ plenum atramentarium Tibi oblatum eſt, perquam jucunda animi ſignificatione, vaſculi pretii, ac dignitatis ſatis ſuperque conſcia, atque icunculam Auroræ Tibi auſpicatiſsimæ fortaſſe contemplata excepiſti, ita æternum hunc meum commentarium, atque hoc alterum præcipue volumen melius Auguſto Nomine Tuo, quam ſeptena ſiderum luce micans, indulgentiſsima etiam complectaris; ac ſi illud ſaltem evolvendi quid otii Tibi ſupererit, haud timeam, ut intimo ſolatio mens animi abripiatur, cum beata, ac Græcanica veterum Neapolitanorum ſtudia, artes, morum jura, perditam aſtrorum diſciplinam, ac famoſum illud fratriarum nomen intuearis, dieſque laboris mei ſecuros fuiſſe credam, ac feſtiſſimos. Demum diſtringenda eſt Divinitas votis meis pro Tui, atque invictiſsimi REGIS æternitate imperii, ac florentiſsimæ Auguſtæ PROLIS incolumitate, & gratia; digna ſane vota, quæ ſemper a nobis ſuſcipiantur, ſemperque ſolvantur.

Digitized by Google



DE REGIA THECA CALAMARIA

LIBER SECUNDUS

DE HUJUS VASCULI PLANETARIIS ICUNCULIS, CETERISQUE ORNAMENTIS. QUÆ SINT EA NUMINA, ATQUE ÆTAS ΣΚΕΤΑΡΙΟΥ VESTIGATUR, POSSESSOR, ET QUA IN URBE FABREFACTUM DIVINATUR.

CUM tandem operoſiſſimo, atque fortaſſe haud illiberali labore atramentario perfunctus ſim, ad nobiliorem Regii vaſculi partem, nimirum imagunculas, atque reliqua ornamenta explananda aggredior: ſane ſi ſatis diu inter τὸ μέλαν nos hoc organum detinuit, nunc per aſtra, & Deorum principum ſedes jucunde verſari ſinet. Quanta autem ea in re dicendorum copia opprimar, quam uberrima, elegans, ac nova materies mihi ſuccurrat, vix eſt ut præſtes fidem; cumque nil magis timeam, quam ne opus varietate ſpectabile turbate peragatur, ordinemque, quem præ rebus ipſis deamo, fallam, perdiu curatum eſt, ut ima ſummis reſpondeant, atque unaquæque res loco ſuo inſideat & firmetur. Agendum ſiquidem mihi eſt, (ut per περιοχὰς omnia tibi præſentem, cum ſeptena ea numina divinarim eſſe planetarum ἑβδομάδα,) labore diuturno ac improbo, quando cæptum ſit, & quibus rationibus cæleſtem ordinem ſeptem principum aſtrorum inverti, ut diebus addicerentur. Præterea veſtigandum, cur Saturnus, qui extimo diei præeſt, in vaſculo principem locum uſurpet; & quare

te ſæculis elaboratum. Ceterum reliquos ſenos dierum Deos ex adjectis ab artifice ſymbolis, habituque vel tirones diſcernunt.

Sane quam mihi plena diſquiſitionum ſeges apponitur, & res magnis difficultatibus, atque ambagibus obſitæ animo obverſantur, ſummi nominis litteratis viris idipſum partim ajentibus, partim negantibus, ſæpe etiam univerſos mihi adverſarios patiar; quare oppido mihi verendum eſt, ne Terentianum illud objectetur:

Sed heus tu, vide ſis, ne quid imprudens ruas:

quibuſcum maximæ doctrinæ hominibus congredi minime auderem, niſi dicendorum ratio, & Regis imperium ad ſcribendum urgeret. Quoniam autem princeps atramentarii ornatus ſunt Dii hebdomadarii, de πολυθρυλλήτῳ dierum hebdomade non unum mihi differendum eſt, & longioris ſubſellii judicationes ſactitandæ.

Porro bene quam multa de ἑβδοματικῷ numero mihi diſputanda eſſent, ſi omnia ea de re complecti vellem, quæ ab aliis jam docte occupata novi, quare mittenda reor; præſertim quo tempore Hebræa gens ad Sabbati cultum, ſive ad quietem ſervandam, lege indicta, coacta ſit; quod ἀπόρημα magnus Seldenus lib. 3. de jur. natur. & gent. a cap. 10. uſque ad 15. congeſtis labore diuturno Talmudiſtarum, & ceterarum Judæorum monumentis tanto viro dignis abſolviſſe viſus eſt; quæ ſi legas, non ſine multo doctrinæ fœnore diſcedes. Id mihi pro dicendarum rerum ordine affatim ſit adnotare numerum ſeptenarium, & dierum ἑβδομάδα non ſolum apud Hebræos, ſed & reliquas gentes honori, ac veluti ſuperſtitioni habitam; quod & Seldenus inibi, & paſſim ſeq. capitib. probat, atque unde oriri potuerit apud omnes tanta ejus numeri religio etiam eruditiſſime præſtat: qua de re ei gratias habeo immortales, qui fere omnium Scriptorum teſtimonia Græce, & Latine lectoribus ſuppeditarit. Et memini me a pueris in doctiſſimis commentariis in Ciceronem de ſomnio Scipionis ſelecta quæque de eo numero lectitaſſe, ad quos te provoco. Hic mihi ingenue & aperte fatendum eſt longiorem diatribam doctiſſimi viri Salierii, vid. to. 5. pag. 58. Academ. inſcript. edit. Amſtelod. adverſus Seldenum conſcriptam haud eviciſſe, ut crederem ſeptimum diem, ſi ab Hebræis diſcedam, reliquas gentes minime coluiſſe, cum Seldenus Scriptores id ajentes ſexcentos aggerat; & miror Salierium eos omnes nimium ſollicitaſſe ac torſiſſe, ut in ſuam ſententiam inflecteret traheretque; & conqueror nil novi, quo Sabbati religionem a profanis averteret, nobis objeciſſe; ſatis ſibi fuiſſe ratus iiſdem Seldeni armis cum Seldeno ſummo viro cominus pugnare.

II. Verum quod me propius tangit, inquirendum eſt, an Græci, Romanique reip. tempore, & ſub Cæſaribus dies in hebdomada diſpenſaſſent, & ſeptem planetarum nominibus appellitaſſent; nam poſtea temporis id moris cœptum uſurpari, licet non apud omnes, certo conſtat. Quam ſane diſtinctionem ſi ſervaſſent vel Seldenus, vel tot ſummæ famæ viri,

Digitized by Google

ri, turbata ea de re omnia me reperiſſe minime pœniteret; fortaſſe citius, quam æquum erat, Scriptores Græcos, ac Latiares evolverant. Hinc eveniſſe miramur, ut in ſibi adverſantiſſimas ſententias abierint, quotquot de nominibus dierum ſecundum hebdomada verba factitarunt; quidam vero aut imbelles, aut rei aſperitatem edocti verſute ſubterfugerunt; quare nihil nobis tenebricoſius relictum eſt, quam dierum ab aſtris nomenclaturæ originatio. Porrò magnus Seldenus, qui planetarum diale negotium omnium linguarum ope commentari primus adlaboravit, eam hebdomada antiquiſſimam præſtare adniſus eſt in laudato lib. 3. per omne fere c. 19. verum monumenta, quæ aggerit, ſubleſta, & Scriptores, ad quos provocat, inelegantis ſæculi eſſe univerſos, ſi attente excutias, reperies. Contra vero Philippus Beroaldus in Chron. lib. 1. cap. 14. id aperte inficiatur, aitque, *Diei Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, aut Saturni nuſquam in antiquis auctoribus apparere veſtigia*. Idipſum negat Calmetus diſſert. ante Gen. ſed quia Seldeni opus non viderat, ſatis ſibi eſſe ratus, nullis rationum momentis adjectis, id negaſſe. Piget me idipſum ſentire doctiſs. Paſſerium de lucern. tom. 1. pag. 21. His Wolffium addas Elem. Chronol. init. cap. 2. ceteroſque id genus matheſeos, & phyſicæ magiſtros. Sed cui mirum non futurum litteratorum, & chronologicæ rei principem Scaligerum tranſverſum abactum? qui in prolegom. de emendat. temp. pag. 46. nihil hæſitans edicit: *Demonſtratur, quod vetuſtiſſima ſit dierum appellatio dierum a planetis etiam apud Græcos;* quin addit vir magnus harum veterum gentium vulgus credidiſſe planetas apparere die ſuo; qua in re haud immerito Seldenus pag. 420. de jur. nat. Scaligero reſiſtit, & Orphei carminibus eum abuti conqueritur. E contrario Petavius in opere admirando de doctr. temp. de quo agimus dierum nomine, & vetuſtate ne meminit quidem, a cujus erectiſſima ingenii vi lucem omnem mihi deſponderam. Confugeram demum ad monſtroſæ eruditionis volumen Salmaſii de annis climacter. ubi quicquid de planetarum ratione ab Hebræis, Græcis, ceteriſque vetuſtis gentibus dictum eſt, mixtim poſt improbam lectionem convaſavit; verum dialium aſtrorum hebdomada, futurum ejus operis potiſſimum argumentum, taciturniſſimus præterivit. Fefellit me etiam Camerarius to. 4. Græv. theſ. p. 84. de planet. hebd. Neque cures tot reliquos *kalendariologos*, ſupputatione enim aſtronomica contenti ἀρχαιολόγων res, tanquam minuti ingenii facultates, omnino poſthabent, eaque animi mente Clavium, Deſchaleſium, Blondellium, Keilium, Walliſium, &c. reperi.

Porro cum ad incitas adactum me videas, & quo pacto ex tam ſibi adverſantiſſimis ſententiis quid certi mihi proferendum ſit, haud ſcio an aves addixerint, quo revera firmem veteres dierum hebdomada planetis ſacram celebraſſe; id ſi præſtem, Regiæ thecæ calamariæ dialibus numinibus addictæ γνησιότητα, atque antiquitatem teſtatiſſimam faciam. Quare, ut omnia rite dicantur, ab dubiis certa ſecernam; ratum ſiquidem eſt reip.

Ro-

Digitized by Google

Romanæ tempore, & ſub primis Cæſaribus me neque apud Græcos Scriptores, neque Latinos, voces illas, *dies Lunæ*, *dies Mercurii*, *dies Veneris*, *&c.* reperiſſe, ſi ſolummodo excipias, *dies Saturni*, quod ſimplici vice legere eſt circa Auguſti ætatem; verum inferne oſtendam ethnicis *diem Saturni* æque valuiſſe, ac *diem Sabbati*; ejuſque φράσεως ratione nihil prorſus evinci, ut ceterorum Deorum hebdomada eos agnoviſſe ſtatuas. Præterea certum etiam ajo, quanquam his poſt temporibus ea verba, *dies Jovis*, *dies Martis*, *&c.* ſatis ſollemnia evaſiſſe quidam ſcribant, in libris ſuis viros Chriſtianos dumtaxat Græce, Latineque illa adhibuiſſe; contra nunquam legere ethnicos Scriptores utriuſque linguæ uſurpaſſe, imo veluti abhorruiſſe; quare neque in utroque Seneca, aut in utroque Plinio, neque in hiſtor. Auguſt. ut antiquiores miſſos faciam, auctoribus, &c. invenire eſt; rogatum te opto, ut ejus rei nunc primum animadverſæ exempla corrogandi, atque hic illinendi onere liberes; ceram enim capaciſſimam implerem. Verum non pauca improbæ lectionis Seldenus in laudatum lib. cap. 19. ingeſſit, quæ cuncta ab Chriſtianis operibus traxit, ex Clem. ſcil. Alexandrino, Juſtino, Euſebio, Philaſtrio pag. 423. ab Auguſtino, & Hieronymo, ab Theodoſ. Cod. & ab Auſonio pag. 417. Fateor autem a profanis quædam etiam exempla Seldenum exſcripſiſſe, ſed ea minime ἀκίβδηλα mox oſtendam. Quæ quidem enixe firmant unos Chriſtianos in dierum nominibus vocibus Deorum abuſos, ſunt litterata marmora; etenim τὸ diem *Saturni*, *Jovis*, *Mercurii*, *&c.* in Chriſticolarum vides ſæpe, contrario in ethnicorum ſaxis ne priva quidem vice: in Reineſio init. pag. 944. legere eſt *Tharreſem* quendam *depoſitum die Saturni*; in Grut. pag. 1050. 5. *Aurelium depoſitum die Mercurii*; & pag. 1054. 8. *Matronam receſſiſſe die Mercurii, & depoſitam die Jovis*. In Muratorio pag. 1819. 7. *Beneventi in pace Achini, qui vixit annos VIII. m. octo. di. VII. depoſitus III. nonas .... die Veneris*. Si exempla e Græcis lapidibus optes, etiam præſto ſunt, eadem pag. 1819. 6. Chriſtianum ſaxum exſcriptum eſt, quod deſinit καλανδων μαρτιων ημερα σελῆνης. Reliquos, qui inſcriptionum Chriſtianarum συλλογὰς confecere, tutemet conſulas: vide etiam Mamachium tom. 3. antiq. Chriſt. p. 20. ubi in ima cera longius illitum eſt epigramma cujuſdam *Poſthumii Euthenionis fidelis*, qui dicitur *natus die Jovis*, *eodemque die depoſitus*. Et quis magnum Seldenum in eodem cap. 19. oblivionis non arceſſat, qui, licet recitet pro tuenda dierum hebdomade tot Scriptorum exempla, marmorum vero monumenta, quæ ponderoſiora ſibi fuiſſent, non viderit? Cur autem etiam in ſaxis dierum nomenclaturam Chriſtiani ab Diis ſcalpſerint, non vero gentes, quod ſane cuique admirationi eſt, credibilem paullo inferne conjecturam adjiciam.

III. Pro re nata ſatis opportunum dicas pauca advertere in Græce litteratum ſaxum ſuperne mutilum, ac bipalmare, erutum Romæ extra portam, quam vocitant, S. Sebaſtiani, ſervatque Card. Paſſioneus, quem

virum

Digitized by Google

virum principem ob immanem ſelectiſſimorum omne genus librorum vim, & ſanctæ antiquitatis quæſitiſſimum cimeliarchium, præter tot animi virtutum, ac penitiorum litterarum famam, perdiu ſera poſteritas ſuſpiciet: hunc quidem lapidem ſcio præclariſſima ingenia exercuiſſe, interque cetera adhuc dubii plenam rem eſſe, ſitne inter profana, an inter ſacra monumenta adſcribendus; quin & pars major ἀρχαιολόγων profanorum cenſui addicendum jubet. Verum tam carum, ac ſingulare ſaxum reperi Chriſtianæ virtutis ac conſtantiæ memoriam immortalem, paremque lapidem tum re ipſa, tum Græca elegantia ne exſpectes, licet elementa nullo decore niteant, & voces indiſtincte ſcalptæ ſint; πολύπιστον enim exemplar ad me humanitatis plenus miſit vir eminentiſſimus; piget me ſolummodo inciſum eſſe ἐγενήθη pro ἐγενήθην.

. . . . . ΝΙΑ ΘΥΓ. . . .
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ
ΜΝΕΙΑϹ ΧΑΡΙΝ
ΑΓΑΛΜΑ ΕΙΜΙ ΗΛΙ
ΟΥ ΚΑΙ ΓΑΡ ΗΛΙΟΥ
ΗΜΕΡΑ ΕΓΕΝΗΘΗ
ΚΑΙ ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ
ΚΡΙϹΙϹ ΜΟΥ ΓΕΓΟΝΕΝ

Quem ſic vertere jubeo, *Memoriæ Sophroniæ*, (vel ſimile quid nominis) *filiæ dulciſſimæ. Victima ſum Solis*, (i. e. Chriſti,) *etenim Solis die* (dominico) *nata ſum, etiam Solis die martyrium meum accidit.*

Noſco ſiquidem te turbari, quod ἄγαλμα, & κρίσις verterim, *victima*, & *martyrium*; verum hujus haud inſolentis interpretamenti teſtes divites proferam: enim vero cum hoc ſingulare epigramma Chriſtianorum ſit, dum in ea vides ter ἡμέρα Ἡλίου, *dies Solis*, quæ dierum nomina ab planetis arceſſita unos Chriſticolas adhibuiſſe teſtatiſſimum jam eſt, nulla ſane inerit huic ſaxo ſententia, niſi de puella interpreteris, quæ & die dominico nata eſt, eodemque extremum ſupplicium pro Chriſtianæ pietatis cultu ſubivit. Sane ἄγαλμα in principe notione non eſt *ſtatua*, ſed *res Deo devota*, & gratiam habeo Barneſio in Od. γ. v. 438. vertenti ἄγαλμα Θεὰ κεχάροιτο ἰδοῦσα, *ut devotam rem Dea gaudeat videns*, ſermo inibi eſt de bove Minervæ cædenda: atque in adnotat. jure queritur: *Male olim per ſimulacrum vertebatur, & hic, & ſupra* v. 274. *ubi* ἀγάλματα *ſunt donaria Diis appenſa*; hinc jure brevia ſcholia reponunt ἀναθήματα. Rem firmat alter hujus principis vatis locus, qui ligneum Trojanum equum appellat ἄγαλμα, & θεῶν θελκτήριον, ſcil. *victima*, & *deorum expiatio*, eademque brevia ſcholia opportune θελκτήριον interpretantur ἱλαστήριον, Od. θ. 509. Ἤ' ἐάαν μέγ' ἄγαλμα, Θεῶν θελκτή-

ερον εἶναι, quæ non male vertit Barneſius, *Aut ſinere ingens donarium, Deorum placamentum eſſe*. Et nunc primum adverti Homerum vocem ἄγαλμα pro *donario* ubique accepiſſe, quod neminem interpretum adnotaſſe miror; imo quædam ſummi vatis verba ἀκυρολογίας plena ab eiſdem marcide transfuſa in Latium, veluti Il. δ. v. 144. ubi eburneum frænum purpura tinctum commendat, inde ait: βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα, Ἀμφότερον, κόσμος θ' ἵππῳ, ἐλατῆρί τε κῦδος, Barneſius vertit, *regi vero eſt repoſitum ornamento, Utrumque, ornatuſque equo, equitique gloria:* porro fræna non regibus ſunt ornamento, ſed equis, hinc probe canit Homerus illa eſſe κόσμον ἵππῳ· quare βασιλῆϊ ἄγαλμα dicas, *donum rege dignum*, quod vel puer inſpexiſſet; neque cures interpretamentum brevium ſcholiorum, ſcil. πᾶν καλλώπισμα, nam eodem recidit. Idipſum apertius legere eſt Odyſſ. 18. v. 299. ubi ſermo eſt de donariis a procis Penelopæ oblatis, inter quæ, Ἴσθμιον ἤνεικεν θεράπων, περικαλλὲς ἄγαλμα, *monile attulit ſervus, perpulchrum donarium*, vulgo ἄγαλμα vertunt *ornamentum*. Demum ſibi συμφωνεῖ divinus poeta Od. δ. 601. inibi enim loquitur Telemachus cum Menelao, & generoſe non excipit par equorum, quos ei dono dat heros hic Spartanus: Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλά σοι αὐτῷ Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα, reddunt omnes extrema hæc verba, *hic relinquam in deliciis*, quod nihili ducas, ſed Homeri mens eſt, *donarium hoc equorum, quod mihi offers, tibi relinquam;* & piget ſane me veteres ſcholiaſtas, & noſtræ ætatis viros vel φιλομηροτάτους de vera tanti vatis verborum vi tam inconcinne mereri. Hæc Telemachi ſententia adeo placuit Horatio de Homero ubique benemerenti, ut longioribus, ac bene tornatis more ſuo verbis converterit, epiſt. 7. lib. 1. v. 40.

Haud male Telemachus proles patientis Ulyſſei:
Non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ,
Atride, magis apta tibi tua DONA RELINQUAM,
Parvum parva decent;

Vides Venuſinum vatem longe elegantius, ac κυριωτέρως reddidiſſe voces λείψω ἄγαλμα, *tua dona relinquam*; quam tot doctiſſimi noſtræ tempeſtatis interpretes, & mecum amice conſpirare. Hunc Horatii locum mihi præſtitit Joſephus Garganus adoleſcens ex omni ſchola politiſſimus, & morum elegantia omnibus carus, quem ſtudiorum meorum ſocium, & συνεργὸν lubens ſaluto. Hanc notionem τοῦ ἀγάλματος firmat preſſius hujus vatis locus Od. μ. v. 345.

Εἰ δέ κεν εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα, πατρίδα γαῖαν,
Αἶψά κεν ἠελίῳ ὑπερίονι πίονα νηὸν
Τεύξομεν, ἔνθα κε θεῖμεν ἀγάλματα πολλά, καὶ ἐσθλά·

ubi ne des Latine cum Barneſio extrema verba, *ponemus ornamenta multa, & pretioſa*, ſed vel *donaria*, ſive ἀναθήματα, vel etiam *res ſacrificio aptas*. Iſthæc Homeri verba præ oculis Maro habuiſſe videtur, quæ ita trans-

Digitized by Google

tranſfudiſſe lætor Æn. 9. v. 625.

Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis;
Ipſe tibi ad tua templa feram ſollemnia dona;
Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum, &c.

vides igitur & *dona*, & *juvenci ſacrificium*, Homerice ἀγάλματα.

Pro re nata haud ſcio, an a vero oberrem, ſi veterum Scriptorum quædam loca, in queis eſt ἄγαλμα, non *ſtatuam* interpreter, uti ab omnibus factum noſti, ſed vertam *rem Deo dignam*, ſive *rem divinam*; itaque in Theocr. idyll. Adon. mortui v. 26. Τὸν ἄνδρα τὸν καλὸν τό -- Οὐκ ἤθελον πατάξαι· -- Ἀλλ' ὡς ἄγαλμ' ἐσεῖδον, -- Καὶ μὴ φέρων τὸ καῦμα, -- Γυμνὸν, τὸ εἶχε μηρὸν -- Ἐμαινόμαν φιλᾶσαι, κ. τ. λ. videtur fera, quæ Adonidem momorderat, implorare veniam ob amoris vim, qui ſibi obtulit virum illum præditum pulchritudine *Deo digna*, ſive *divina*; quod vulgo apponunt, *ut ſimulacrum aſpexi*, inſuave eſt ac inficetum. Vix fidem præſtiti oculis fidelibus, cum D'Orvillium in adnot. in Chariton. legerem hæc Theocriti verba mire interpretatum eſſe, ac diſtinxiſſe, ſcilicet, aprum ab initio revera exputaſſe Adonidem eſſe ſaxeum ſimulacrum, inde advertentem eſſe hominis femur candidum baſiaſſe, atque fortuito interfeciſſe, quod longe a Syracuſani vatis mente eſſe cuique patet. Idipſum dicerem de v. 560. Eurip. in Hecub. qui de Polyxenæ eleganti ſpecie hæc cecinit, Μαστοὺς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος κάλλιστα· ſi vero quis pertinax ἄγαλμα in binis hiſce exemplis pro marmoreæ ſtatuæ candore & pulchritudine accipere præfracte velit, do lubens; cum mihi ſatis ſuperque ſit Homerum id vocis pro ſtatua nunquam adhibuiſſe, ſed vel pro re Diis devota, vel pro maximi pretii donario.

Peccarem, ſi quæ Homeri poemata egregie commendant, præterirem, nimirum in iis me nunquam invenire vocabulum, quod vel *ſtatuas*, vel *imagines* connotet; quare ῥήσεις has in aliis Scriptoribus celebratiſſimas ἄγαλμα *pro ſtatua*, ἀνδριὰς, εἰκὼν in æternis Iliade, & Odyſſea fruſtra ſcruteris, imo nec verba γράφειν *pingere*, nec γλύφειν, *ſculpere*, ac proinde neque etiam in Heſiodo, qui audit filius parenti Homero ſemper συμφωνότατος· quod neminem ex tot doctiſſimis viris, qui hos vates commentariis mactarunt, adnotaſſe conqueror. Nolim autem ideo credas ea heroum tempeſtate, neque ſtatuarios floruiſse, neque pictores, cum contra ſit Homerus ipſe, dum canit Vulcanum duas ex auro ancillas ambulantes ſibi conflaſse Il. σ. v. 417. & παραδοξότατον Achillis ſcutum; quæ cum ita ſe habeant, cur Homerus neque in tot Menelai ædibus inſtar Solis ſplendentibus, Od. μ. 44. 71. neque in admiranda Alcinoi domo, ſi *aureos juvenes* excipias, χρύσειοι κοῦροι, Od. η. 100. *picturas*, aut *ſcalpturas* meminerit, cogitent alii; ſane rationem ipſe divinavi, verum minime vulgandam reor, cum paucos admodum noverim rerum Homericarum myſtas, profanorum autem vim ingentem, queis ſanctiſſimi hujus poetæ initia occulenda. Contra prorſus me latet, cur Virgi-

 lius

Google

lius tanti vatis ſæpe fidus pediſequus, & ſtatuas meminit *ſignorum* nomine ecl. 3. v. 40. & Æn. 1. ab v. 460. ad 497. *picturas*, quibus Æneas ſpe inani paſcebatur, graphice deſcribit, nim. *Iliacas ex ordine pugnas*.

IV. Itaque, ut ad ſaxum redeam, inibi ἄγαλμα valet, uti apud Homerum, *donarium*, *res Deo oblata*, & *id quod veneratione obſequioque dignum*; quare jure virgo illa, cujus nomen ætas nobis eripuit, ſe dicit ἄγαλμα Ἡλίου, *dignam* æterno *Sole* Chriſto, ſive γενικῶς *victimam*. Hinc bona lux eſt Charitoni pag. 1. cujus verba ſunt de Callirrhoe puella, quam Siculæ gentes deperibant, rebanturque θαυμαστόν τι χρῆμα παρθένου, καὶ ἄγαλμα τῆς ὅλης Σικελίας· ἦν γὰρ τὸ κάλλος οὐκ ἀνθρώπινον, ἀλλὰ θεῖον. D'Orvillius Græce ad miraculum doctus noſcitans voces ἄγαλμα τῆς ὅλης Σικελίας arduum ſane negotium ſecundum Græcam vim Latine reddere, in adnot. p. 12. rependit quaterna συνώνυμα, *totius Siciliæ decus*, *ornamentum*, *gaudium*, *voluptas*; adverterat etiam τὸ ἄγαλμα eſſe duplicis notionis, *antiquæ*, & *poſterioris*, vide laudatas ejus adnot. & exempla, quæ affert; verum æternæ lectionis virum tum Homeri oblitum, tum Euripidis locum a me ſuperne explanatum præteriiſſe doleo. Ipſe autem edico ἄγαλμα eſse ex nominibus πολυσήμοις, quorum ſignificationem ex verborum contextu aucupabimur, præſertim apud antiquiores Scriptores. Hinc non te fallam, ſi adſeram Italos noſtros, quamcumque ἐραστρίαν adoleſcentulam, quam laudandam ſuſcipiunt, vocitare ſtatim, *idolo mio*, quæ ῥῆσις apprime reſpondet τῷ ἀγάλματι, quod Latine dicere nullusdum ſperet; niſi credas tunc Italos ἑβραΐζειν, & vocem ἄγαλμα confudiſſe cum famoſa, atque omnibus nota עלמה, ſive העלמה, *puella*, *adoleſcentula*. Quid ſi ab hoc Hebræo vocabulo ipſum ἄγαλμα tractum, & de virguncularum ſtatuis antiquitus acceptum ſit, cum videas in utraque lingua eadem elementa? Atque hæc de ἀγάλματι· utinam Jacobus Perizonius in Ælianum, quem æternis adnotationibus honeſtavit, aliquid ea de voce delibaſſet, nam ſæpe in eam offendit. Quæ vero Albertus in Heſychium illevit, parum mihi adjumenti attulere: neque Suicerus in lexic. neque Kuſterus in Suidam curandi.

V. Itaque cum Chriſtianus certe ſit hic titulus, & τὸ ἄγαλμα valeat *res Deo oblata*, & *devota*, quod peræque eſt, ac ſi dixeris *victima*, reliquum eſt, ut haud abneges vocem Ἡλίου, *Solis*, hic eſse *Chriſtum*, qui & in ſanctis libris, & in Patrum voluminibus Græcis, Latiniſque ubique Ἥλιος, & *Sol* ſalutatur, quod exemplis haud indiget, cum proſtent, vide Theoph. Raynaud. tom. 2. ſect. 5. cap. 4. a pag. 469. ad 480. & Suicerum in lex. qui eo onere me levarunt. Porro nodus eſt dumtaxat in vocabulo κρίσις, quod tot interpretes, ad quos hoc elogium tranſmiſſum ſcio, torſit, & niſi ſi vera ejus διάγνωσις patefiat, lapidem inſtar παραδόξου habebis. Si autem ipſe ſuperne verterim *martyrium*, ſive *ſupplicium*, ne credas quid alienum, aut inſolens appoſuiſſe, cum hanc ῥήσεως veritatem tum a profanis, tum a ſacris Scriptoribus teneam: Ælianus var. hiſt. l. 3. c. 36.

c. 36. Ἀριστοτέλης ὅτι ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας δέει τῆς κρίσεως, κ. τ. λ. *Ariſtoteles cum judicii capitalis metu Athenas reliquiſſet*, &c. ita transfudit ἑλληνικώτατος Perizonius, atque advertit: Κρίσις *hic notat* κατ' ἐξοχὴν *judicium capitale*, recitatque aliud peræque opportunum locum ejuſdem Ælian. l. 14. c. 43. ubi ſermo eſt de Ptolemæo a Berenice admonito, ne inter ludum pœnæ capitis reos addiceret, uxorique deinceps paruit Ptolemæus: Οὐδέποτε κυβεύων μετὰ ταῦτα ὑπὲρ τῆς ἀνθρώπου κρίσεως ἤκουσεν. Præterea Chriſti ſervatoris verba adjicit comminantis Matth. 5. 21. Ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, vertitque, *reus erit judicii capitalis*. Vides igitur ſecundum Perizonii ſummi viri mentem κρίσιν eſſe *capital judicium*, ac *extremum ſupplicium*, quod ſacro vocabulo *martyrium* dicas. Sed oblitus eſt idem Perizonius aliud Æliani κείμενον, in quo bis vox κρίσις idipſum valet lib. 2. cap. 6. nam is hiſtoricus de *capitali pœna* Socrati inflicta loquitur, quam κρίσιν vocat, & aliquanto importunius interpretes ἁπλῶς *judicium* reddidere: Ἔοικε δὲ καὶ Σωκράτης τὴν τῶν πολλῶν ἐκφαυλίζειν κρίσιν ἐν τῇ συνουσίᾳ τῇ πρὸς Κρίτωνα, ὅτε ἀφίκετο ὁ Κρίτων εἰς τὸ δεσμωτήριον, καὶ δὴ ἔπειθεν αὐτὸν ἀποδρᾶναι, καὶ τὴν τῶν Ἀθηναίων τὴν κατ' αὐτοῦ κρίσιν διαφθεῖραι· vertas igitur, *Videtur etiam Socrates capitis ſententiam a populo irrogatam ſpernere in colloquio cum Critone, quando Criton ad carcerem adventarat, eique perſuaſerat, ut aufugeret, & Athenienſium adverſum ſe capitalem pœnam eluderet*. Neque dubites de hac κρίσεως Socraticæ notione, nam eloquentiæ Romanæ principem vadem do, qui de hac philoſophi mulcta loquens eam vocat *impiam ſententiam* de Div. lib. 1. & Tuſcul. 1. & 1. de orat. eandem dicit *capitis judicium*, i. e. *capitale*, miror id non advertiſſe Perizonium τὸν πάνυ.

VI. Scio te mihi obloqui, cum mutila inſcriptio Chriſtiana audiat, exempla pro hac διαγνώσει vocis κρίσις a ſacris potius, quam a profanis Scriptoribus excerpenda; attamen hujus vocabuli plena eſſe Martyrologia, & Menæa, & quotquot hiſtorias martyrum intexere aggreſſi ſunt, quos lubens prætereo, ne exemplorum vim ex ſexcentenis monumentis converrens te obtundam; unum adnotandi pax ſit, quod ſummos viros, cum eam vocem ob ſcribendi celeritatem parum penſitaſſent, quædam, quæ haud ſcio an quis probet, doctis operibus illinere adegit. Mazochius noſtræ Academiæ lumen τὸ τηλαυγὲς inviſens in fragmento Menæorum hunc titulum: *Eodem die* (28. April.) *S. Hieromartyris Patricii Epiſcopi Pruſæ, deque judicio*, iſthæc adſcripſit adnot. 225. pag. 396. to. 2. kalend. *Mira inſcriptio, quæ Græce concipitur*, καὶ περὶ κρίσεως (ipſe vertit, *deque judicio*.) *Ex quibus verbis facile quivis ſuſpicabitur non aliam Græcis fuiſſe cauſam, cur præter primarium S. Patricii feſtum die ſuo, h. e. die 19. Maji, quo obtruncatus fuit, celebratum, etiam die 28. Aprilis ſecundariam feſtivitatem inſtituerint, quam ut hoc die celeberrimæ apud antiquos S. Patricii diſputationis, quam* περὶ κρίσεως, *de judicio divino pronuntiavit, memoriam facerent*. Verum quivis ex iis, quæ de hoc vocabulo paullo

ante

Digitized by Google

ante poſui, facile in Menæorum titulo refunderet καὶ περὶ κρίσεως, *& de martyrio*, ſive mavis, *& de capitis judicio*, Ciceronis verba uſurpans; præſertim cum in ejuſdem Martyris actis nullam legere eſt *de judicio divino* diſputationem, ſed dumtaxat de ſceleſtorum pœnitione, & de montibus ignivomis, uti ex ipſo Mazochio habeo ibid. pag. 392. col. 1. dum ait: *In iiſdem Menæis ad 28. Aprilis eſt aliud S. Patricii elogium, quod fere totum in pertexenda S. Martyris de ignibus ſubterraneis, & impiorum ſuppliciis diſputatione occupatur*. Præterea quis concoquat Chriſtianos ἴδιον feſtum diem deſtinaſſe brevi S.Patricii ſermoni de æternis impiorum cruciatibus cum tyranno interrogante habito, quin & publicis faſtis, & Kalendariis adſcripſiſſe? Neque virum ſummum juvat, ad quod provocat, Chryſoſtomi exſilium, quod quibuſdam kalendariis affixum legitur; longe enim diſpar ratio habenda exſilii patriarchæ ἐξορισθέντος, ac S. Patricii ſermonis nil longioris cum proconſule; præſertim cum nullum veſtiges exemplum concionum faſtis addictarum, licet ab ipſo Chryſoſtomo, ut reliquos ejuſdem famæ viros taceam, æternas quidem, etiam contra imperatores ipſos ardentiſſime propalam celebratas noſcamus. Adde eo die 28. Aprilis duo quidem coluiſſe Chriſtianos, & Patricii omnem vitæ rationem, καὶ τὴν κρίσιν· nemo enim ignorat vim particulæ καί, non igitur Menæorum titulum privam *de judicio concionem* commeminiſſe dicas, nam alias appoſitum legeres ἀνάμνησις τοῦ λόγου περὶ κρίσεως, vel quid ſimile, uti de Jo. Chryſoſtomi exſilio in Baſilii menologio vides, ἀνάμνησις τῆς ἐξορίας ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἰω. Χρυσοστόμου. Verum hæc ſane quam aperta. Utinam in his Menæis omnem Patricii hiſtoriam haberemus, non illam perbrevem de thermaicarum aquarum ſcaturigine ſolummodo concionem; quare merito Mazochius *fragmentum* vocat in extrema pag. 395.

Neque mihi obloquaris in his Menæorum verbis nullam ineſſe mentionem S. Patricii internecionis, quare illud περὶ κρίσεως minime vertendum, *de martyrio*; nam reponam fieri potuiſſe, ut, qui hæc Patricii acta contraxit, ſolidum titulum oblivioſus appoſuerit, licet partem actorum, quæ ſibi luculentior, atque nobilior viſa eſt, exſcripſerit. Ceterum ne me tam pervicacem traducas, ut hoc περὶ κρίσεως non aliter accipi poſſe rear, nimirum *de extremo impiorum ſupplicio*, nam circa id argumenti Patricii concio dumtaxat verſatur, cui interpretamento nihil obſiſterem, cum eodem recidat, eritque κρίσις in ipſa notione, quam in Chriſtiano lapide reperi, i.e. martyrem illam ſibi gratulari, quod κρίσιν, *ultimum ſupplicium*, dominico die, quo etiam natam ſe ait, ſubierit: contra communis διάγνωσις vocabuli κρίσις, *judicium*, Menæis importuna eſt, & forte prorſus adverſa. Quo autem rem firmem ipſis, quæ Mazochius documenta alibi profert, utor, 10. Jun. pag. 559. columnn. 2. hæc Alexandri Monachi verba explanans, Οὐδὲ ἡ κρίσις τέλος ἔχει . . . κολάζουσα τοὺς ἁμαρτωλούς, ait: *Quo loco* κρίσις, (*ad verbum* judicium) *pro gehenna ſumitur*,

tur,

tur, ut alibi apud Græcos, & interdum etiam judicium *eodem ſignificatu apud Latinos Patres:* Græca vir ſummus ita transfudit: *Nec gehenna finem habet . . . puniens peccatores;* vides jam quodammodo mecum conjurare Mazochium κρίσιν interpretantem *gehennam*, nim. *æternum ſceleſtorum ſupplicium;* quanquam fatendum eſt κρίσιν, συνέδριον, & γέενναν terna verba eſſe a ſe longe diſtantia, vide interpretes in Matth. 5. v. 22. & Calmetum in diſſert. de repub. Hebr. ante Numeros, & Selden. de ſynedr. affatim mihi ſit etiam in hoc Matthæi loco πολυβοήτῳ vocem κρίσιν univerſos interpretari *capitis ſententiam*, & miror Mazochium pro luce verborum Alex. Monachi ad hoc Evangeliſtæ κείμενον non provocaſſe: mirorque magis Suicerum, qui in lex. multa de vocabulo κρίσις importavit, de *ſupplicii* ſignificatu nihil vidiſſe. Venia mihi ſit verba nullis ϛιγμαῖς interpuncta adſcribendi, uti inſunt in cl. Mazochio, quo Alexandri mens luculentior emicet: Οὐδὲ γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ποτὲ παραλλάττεται, οὐδὲ ἡ κρίσις τέλος ἔχει, ἀλλὰ ἀεὶ διαμένει, ἀθάνατα, καὶ ἀκατάπαυϛα κολάζουσα τοὺς ἁμαρτωλούς. Σπουδάσατε οὖν ἀμέμπτους, καὶ ἀσπίλους εὑρεθῆναι ὑμᾶς· ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ἵνα μὴ ἐμπέσητε εἰς ἐκείνην τὴν γέενναν τὴν ἀθάνατον. Vides aperte ſatis κρίσις hic non perinde eſſe, & *judicium*, dum dicitur ἀεὶ διαμένει, ἀθάνατα, καὶ ἀκατάπαυϛα κολάζουσα τοὺς ἁμαρτωλούς, *æternum perſeverat, immortalem pœnam afferens peccatoribus;* cum certum ſit *ſupplicium* impiorum perennaturum, *judicium* non item. Præterea, ſicuti βασιλεία hic eſt *præmium*, ita κρίσις, quæ τῇ βασιλείᾳ opponitur, audit *cruciatus*.

VII. Et nihilo patentius noſcitas κρίσιν peræque eſſe, ac *ſupplicium*, atque ab *gehenna* differre, quam in ejuſdem Evangeliſtæ cap. 23. v. 33. Ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς γεέννης, vulgare interpretamentum, *a judicio gehennæ*, videtur languidiuſculum, ſi vero reponas, *quomodo cruciatum, ſupplicium gehennæ fugiatis*, verba iſthæc vim ingenitam adipiſci vides. Hinc non parum lucis erit ſexcentenis ſanctorum librorum locis, nim. κρίμα ἐσθίειν, *judicium manducare* ad Cor. 1. XI. v. 29. *Incidere in judicium Diaboli*, εἰς κρίμα ἐμπίπτειν τοῦ Διαβόλου ad Tim. 1. 3. v. 6. ideſt *ſubire*, & *devorare ſupplicia*, & *cruciatus*. Et noveris, quid valeat apud poſteriores Hebræos *judicium zeli*, i.e. ſupplicium indicta cauſa reo inflictum ob decumanum crimen, veluti idololatriæ; conſulas Calmetum in Act. Apoſt. c. 7. v. 56. Idipſum habeo frequentius ab veteri inſtrumento, Sapient. 12. v. 26. *Qui ludibriis, & increpationibus non ſunt correcti, dignum Dei judicium experti ſunt*, nim. *a Deo immiſſa cruciamenta;* evidentiſſime etiam, quid ſit *judicium*, habes ex Paral. 2. cap. 20. verſ. 9. ubi divina ultio, plaga, ſtrages audit *gladius judicii;* reliqua exempla tutemet ſaltem ex indicibus colligas. Porro ab Hebræo κειμένῳ novi ῥῆμα ſollemne שפט, *judicare*, adnotare etiam *pœnas infligere;* & משפט, *judicium*, valere quoque *cruciatus*, *ſupplicium;* ſi autem rem cito excutere optes, ut te longiori labore levem,

adi-

adiſis concordantiam ſacr. bibl. Marii de Galaſio nuper Londini magnificentiſſime editam, atque ab exemplis diſces ſæpe interpretem tam Helleniſtam, quam Latiarem, utramque notionem τῶν שפט, & שפוט confudiſſe. Contra vero advertas reliquas binas voces דין, & פלל, & quæ ab his verbis voces fruticant, θεοπνεύστους Scriptores pro priva dumtaxat ſignificatione *judicandi*, & *judicii*, nunquam vero pro *ſupplicia infligendi*, aut pro ipſis *ſuppliciis* adhibuiſſe; quarum Hebræarum vocum notionis varietatem ſi divinaſſent, qui Græce, & Latine ſanctos libros dederunt, neque uſque, neque ſine diſcrimine κρίσις, & *judicium* vertiſſent: atque utinam, quotquot his libris æternas adnotationes appoſuere, ſaltem pro tironum diſciplina hanc ternarum linguarum vocabulorum binam diſtinctionem advertiſſent. Demum non obliviſcendum dictionem δίκην voci κρίσει bonam lucem afferre, atque in veluti cognata notione eſſe; etenim illa quoque utrumque ſignat vel *judicium*, vel *pœnam*, quod & a quovis lexico tenes. Idipſum apud Latinos ſe obſervaſſe docet Briſſon. de verb. ſignif. dum adſtruit *judicium* eſſe *judicii exſecutionem*, recitatque l. 78. §. 15. D. ad S. C. Trebell. Sane me piguit Romanos Scriptores evolvere, Græcanicos melius amantem; ſubeas rogo te id penſi, haud dubius ſum, quin τὸ *judicium* in hac etiam duplici ſignificationis poteſtate inter Latinos ſcruteris; ſicuti in Quintiliani verbis in procem. orat. inſtit. circa med. clare me vidiſſe videor *judicia* peræque eſſe, ac *pœnas: Vir ille vere civilis, & publicarum, privatarumque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſit, &c.* ubi ſane ταυτολόγος eſſet Fabius, ſi *conſilia* hic, & *judicia* in eadem notione ſumpſiſſet. His animadverſis, ad Em. Paſſionei Græcum lapidem ſermo redeat, quem illuſtrandum ſuſcepi, inibi verba HMEPA HΛIOY KPICIC MOY ΓEΓONEN, prolatis tum ſacris Scriptoribus, tum profanis, opportune converſa a me ſunt, *die Solis*, (ſive dominico) *capitis judicium*, (ſive martyrium meum) *accidit*; quod interpretamentum ſiquis contumax abnegarit, haud ſcio, an huic marmori magis congruentem ſententiam conciliaturus ſit.

VIII. Haud ἄτοπα dicas, ſi quædam de famoſa nunc primum voce κρίσις ab Homero delicio meo depromam. Et quidem ſcias in tanto vate, aut in collega Heſiodo ne ſemel quidem ipſam illitam eſſe, imo nec κριτής, *judex*, quod unicuique legenti permirum futurum reor; quare valde me piguit ab his duumviris poetis de hujus ῥήσεως vi nil dignoſcere datum eſſe; id unum ſcimus illam poſteriori ab Homero ætate enatam. Quanquam autem κρίσις in ſummo vate minime inſit, ῥῆμα ejus κρίνω in utroque poemate ſexcenties iteratur: verum advertas rogo nunquam adhibitum pro *judicia exercere*, ſed dumtaxat pro *dimicare*, aliquando etiam pro *ſeligere* & *ſejungere*; cujus duplicis ſignificationis exempla ubique τῶν ῥαψῳδιῶν, & Θεογονίας præſto ſunt; ſi vero non adeo Homerice doctus quis ſit, facillime ea habet ex indicibus, vel ex lexicis. Scio mihi

ad-

adverſari privum Od. μ. ver. 439. locum . . . ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη, Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν, quem univerſi reddunt, *judex e foro ſurgit judicans lites multas litigantium juvenum*, imo & vadem habent brevium ſcholiorum auctorem κρίνων interpretantem δικάζων· verum id ſcholion inficetum eſt, nam tam judex δικάζει, quam juvenes δικάζουσι. Quare, quo mens Homeri ſibi ubique conſtet in notione verbi κρίνω, verte, *dirimens*, *disjicens contentiones*, uti Virg. ait Æn. 7. v. 339. *disjice compoſitam pacem*, quod longe abeſt ab τῷ *judicans*. Imo ab Hom. ipſo teneo τὸ κρίνειν tanti valere, quanti λύειν, dum de erecta Aretæ, Alcinoi uxoris indole canit, Od. η. 74. ἀνδράσι νείκεα λύει.

Attamen me magis mordet alius Hom. locus, ubi κρίνω aperte videtur juxta eſſe, ac *judico*, in eaque διαγνώσει tum veteres, tum recentiores doctos interpretes accepiſſe fateor, &, quo te exhilarem, ac facilius, quæ ipſe ſentio aperiam, ſolidum poetæ κείμενον appono, quo nihil eſt grandius, atque auguſtius, Il. π. v. 384.

Ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεὺς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς ΧΡΙΝΩΣΙ θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, Θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες·
Τῶν δέ τε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες,
Πολλὰς δὲ κλειτῦς (al. κλιτῦς) τότ' ἀποτμήγουσι χαράδραι,
Ἐς δ' ἅλα πορφυρέην μεγάλα στενάχουσι ῥέουσαι
Ἐξ ὀρέων ἐπὶ κάρ· μινύθει δέ τε ἔργ' ἀνθρώπων·
Ὡς ἵπποι Τρωαὶ μεγάλα στενάχοντο θέουσαι.

Quæ ſic vertit Clarkius præ ceteris minus male:

Ut vero a nimbo-procelloſo tota nigra obruta gravatur terra
Tempore autumnali, cum rapidiſſimum fundit imbrem
Jupiter, quando utique hominibus iratus ſævit,
Qui vi in foro perverſa EXERCENT JUDICIA,
Juſtitiamque expellunt, Deorum ultionem nihil verentes;
Horumque(Barnes, *propter hos*)*omnes quidem fluvii inundant fluentes,*
Multaſque montium devexitates tunc abſcindunt torrentes,
Et in mare purpureum valde ſtrepunt fluentes
Ex montibus in præceps; corrumpunturque opera hominum:
Sic equæ Trojanæ valde ingemiſcebant currentes.

Verum, ut brevis ſim, ſi des mihi pectus Homerice ſapere, quod noctu diuque ejus vatis exemplar evolvo, ejuſque dapes δαψιλῶς deguſto, edico binos verſus, Οἳ βίῃ, & Ἐκ δὲ δίκην plenos eſſe νοθείας, atque a poſteriori manu adſutos; hujus audaciæ divites mihi præſto ſunt rationes; quarum princeps ſit, Homerum nuſquam Iliados, & Odyſſeæ τὸ κρίνειν, ſi hunc locum excipias, in notione *judicandi* adhibuiſſe, quod cuivis licet mediocriter cordato viro mirum futurum nullus neget. Vides etiam ſum-

mi vatis verba nil in ſententia laborare, ſi hoc par carminum abſtergeas, imo eam dices graviorem, & concinniorem, cum non mentio ulla ſit peculiarium hominum peccatorum, quæ infringunt potius orationem, quam roborant. Atque haud ſcio cur divinus vates velit, ut Jupiter homines, eorumque opera peſſundet τῷ κατακλυσμῷ ob una forenſium virorum ſcelera, reliquorum vero hominum, regum nimirum, ſacerdotum, mercatorum, &c. piacula veluti minime curet; ſane perquam ἄλογον hic Homerum traducerem. Si vero quis expetat importunus, quomodo vatum princeps τό *judicare* exprimat, ajo vel tirones Homericos didiciſſe ei ſollemne eſſe, ac tritum τὸ δικάζειν, & *judicium* eidem eſse δίκη· exemplum unum, & ſat vehemens proſtat Il. σ. ab v. 497. uſque ad 509. in queis legere eſt Vulcanum in Achillis ſcuto efformaſſe fori ædificium, & binos viros de quodam homicidio acerrime litigantes, nec non γέροντας ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ adſidentes, qui quidem ἐδίκαζον, atque δίκην ἰθύντατα εἶπον· neque inibi appoſuit, ubi opportuniſſimæ fuiſſent, dictiones κρίνω, & κρίσις, quod maximi ponderis fore exputo, ut quiſque credat ab τῷ δικάζειν, *judicare* τὸ κρίνειν longe aliter ab Homero acceptum. Hinc pro re nata rogandus es, ut in tertio, qui ſpurios ſequitur verſus, voculam τῶν δε reſtituas in τῷ δε, vel ut antiqui ſcribebant τωιδε, quare pronum fuit librariis, τὸ ι immutare in τὸ ν, factumque eſt, ut Barneſius, & Clarkius obſcura ſimul; & ſibi adverſa eo in μεγάλῳ Latinę dederint; ſi vero, ut Homerus millies ſcripſit, τωιδε legas, & dicas *ideo*, bene omnia conſpirant. Diſplicet etiam κρίνωσι pro κρίνουσι, ut, qui Græce ſapiunt, facile norunt, & re ipſa doctiores interpretes transfudere *exercent judicia*.

IX. Sed nihil magis horum carminum νοθείαν aperit, quam vox σκολιάς, quam fruſtra alibi in æternis Iliade, ac Odyſſea quæritas; quod minime advertentes grammaticos facile nos tanti vatis boni myſtæ exſibilamus, atque verſus veluti ferrumine quodam immiſſo fucatos ſtatim deturbamus. Quin minime aberras, ſi dicas ex Heſiodi ἔργ. v. 199. abductos eos verſus, & in Homerum injectos.

Αὐτίκα γὰρ τρέχει Ὅρκος ἅμα σκολιῇσι δίκῃσιν·
Τῆς δὲ Δίκης ῥόθος ἑλκομένης, ᾗ κ' ἄνδρες ἄγωσι
Δωροφάγοι, σκολιαῖς δὲ δίκαις κρίνωσι θεμίστας.
Continuo enim curſu ſequitur Deus-jurisjurandi injuſta judicia;
At Juſtitiæ fremitus tractæ, quocunque viri duxerint
Donis corrupti, pravis poſtquam ſententiis deciderint res.

Vides ſane fere eadem verba, & eandem ſententiam; advertas vero, neque voces σκόλιος, neque κρίνω in *judicandi* notione Heſiodum in admirando Θεογονίας poemate unquam adhibuiſſe. Atque hinc factum eſt, ut etiam Callimachus eadem verba Heſiodea in hymn. in Jovem v. 82. contraxerit:

. . . Ἐπόψιος (Ζεὺς) οἵ τε δίκῃσι
Λαὸν ὑπὸ σκολιῇς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν.

..In-

. . . *Inſpector* (Jupiter) *tam eorum*, *qui judiciis*
Populum iniquis, *quam eorum*, *qui aliter gubernant*.

Quod autem omnino firmat ψευδομηριμῶν verſuum νοθείαν, imo grammaticorum impudentiam, eſt me reperiſſe ea bina carmina contra ipſam σύνταξιν conficta; etenim Homerus, Heſiodus, ceterique Græci Scriptores tum ἀλέγω, tum ἀλεγίζω cum caſu ſemper patrio, nunquam vero cum quarto adjunxere, vide etiam lexica, & indices; & ſexcenta ejus συντάξεως nunquam mendacia exempla ab tanto vate collecta teneo: quare dicendum fuiſſet ὄπιδος ἀλέγοντες, non autem ὄπιν. Quare fraude detecta, jure eos binos verſus tanquam profanos, & barbaros ab divino, ac cultiſſimo poemate procul eſſe juſſimus; & miror tot præclara ingenia, quæ in Hom. Heſiod. & Callim. doctiſſimos commentarios cuderunt, eam in Homero labem non deprehendiſſe, imo pro ſinceris recitaſſe. Hic opportune in mentem venit hanc ſpuriorum carminum ſententiam me in ſanctis libris legiſſe, nim. Sapient. cap. 6. v. 5. *Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius*, *non recte judicaſtis*, *nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ*, *neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis*, *horrende*, *& cito apparebit vobis*, *&c.* & conquerendum merito mihi eſt de Jacobo Duporto licet diligentiſſimo in gnomol. Homeri pag. 92. qui, præterquam quod ἀκιβδήλως hos verſus exputat, hunc Sapientiæ locum cum primis ſibi opportunum oblitus eſt. Atque hæc de verbo κρίνω, quo de Homero ſemper merear.

Ut autem multa, quæ de Chriſtiano lapide dicta ſunt, συντόμως contraham; haud ſcio an quis contumax & refractarius obſtet, ut ἄγαλμα, & κρίσις, utpote vocabula πολύσημα, hic minime valeant *victima*, & *martyrium*, ita ut Chriſtianus titulus ſit viraginis invictæ, quæ & diem natalem, & cædem ſubierit die Solis, ſive *dominico*, ſibique plaudat, perinde ac ſi non fortuito id accidiſſe, ſed Chriſti ſponſi conſilio, quem Solis nomine ſalutatum ubique ſanctorum librorum Chriſtiani jam addidicerant. Utinam, quo ſub imperatore martyrium fecerit, & nomen puellæ noſcitare datum eſſet, ei martyrum albo inſertæ vota nuncuparemus. Et quiſque mecum rogatum vellet eminentiſſimum virum Card. Paſſioneum, ut rudera, ubi marmor inventum eſt, meliori cura ſuſque deque ſcrutari, poteſtate, qua valet multa, juberet, fortaſſe fragmen ſupernum lapidis in lucis auras prodiret: interea cariſſimum ſervet, atque elegantiſſime in æs incidendum curet. Ceterum Neapolim uſque rumor, & forte longius gentium percaluit tantum Cardinalem millena litterata Græce, & Latine ſaxa collegiſſe undique, quæ doctis onuſta commentariis, ſummaque fide inciſa ἀρχαιολόγων uſuræ daturum, quam rem felicem fauſtamque ab ejus uberrima munificentia, ac largitate brevi conſecuturos, ſperamus.

x. Age ad cæptum argumentum redeamus, unde hic ſingularis titulus, licet non importune, quaſi diſtraxerat. Ratum igitur dicas, ac firmum unos Chriſtianos ſignaſſe dies hebdomadis planetarum nominibus, tum ex

tot monumentis, quæ Seldenus collegit, & ſuperne ipſe pag. 195. 196. indicavi, tum ex litteratis eorundem ſaxis a me inibi exſcriptis; adjicere etiam poſſem exempla ex Cod. Theodoſiano, in quo Chriſtiani impp. ſæpe dies ab aliquo ex ſeptem ſideribus appellitant, ne autem hic longam reſcriptorum ſeriem intexam, tutemet Briſſonium in vocibus *dies*, & *Sol* conſulas, qui ejus dierum nomenclaturæ planetariæ bene multa exempla regeſſit. Et contra advertendum jubeo te in Pandecte, qui ſcita, & leges jureconſultorum ethnicorum complectitur, dies a planetis dictos fruſtra perquiſiturum, ſed ipſum uti kalendis, &c. quod facile deprehendere potuiſſet Seldenus.

Reſtat, ut, quo res ordinem bonum ſervet, ea, quæ huic ſententiæ infeſta ex Seldeno potiſſimum collecta producere quis valeat, infirmanda aggrediar; atque auctoritates, quæ producuntur pro dierum planetariorum nomine tuendo, vel ſubleſtas eſſe, vel aliter accipiendas oſtendere adnitar. Difficultatis plenum opus ſuſcipiendum mihi eſt, lectoremque nihil animo peregrinantem optarem. Et quo dicenda rite intelligantur, aliud ſane eſt dies planetis addici dicarique, aliud dies ab iiſdem nomen accipere; qua invecta diſtinctionis ratione, Scriptores facile concilies, unaque coire ſenties. Itaque qui omnium primus ex antiquis hiſtoricis rem dierum planetariorum ſumma δεινότητι agitarit, notum eſt fuiſſe Dionem Caſſium to. 1. pag. 123. edit. Reimari, qui quidem hiſtoricus adſtruit dies ſubeſſe & dedicari, ἀνακεῖσθαι, ſeptem ſideribus, neque legere eſt ab iiſdem nomenclaturam ſumpſiſſe: Τὸ δὲ δὴ τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ, τοὺς πλανήτας ὠνομασμένους, τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων, κ. τ. λ. ſummus vir Reimarus vertit: *Quod autem dies ad ſeptem ſidera illa, quos planetas appellarunt, referuntur, id ab Ægyptiis inſtitutum, &c.* fortaſſe ad Dionis mentem propius accederet τὸ *dedicantur*, nam, a tanto viro venia impetrata, τὸ *referuntur* γενικώτερον eſt; præſertim cum paullo inferius is hiſtoricus planetas dierum δεσπότας & ἐφόρους ſalutet, & pro ἀνακεῖσθαι reponit ἀνατιθέναι, quod dubio procul valet *conſecrare*, licet Reimarus ὁ ἑλληνικώτατος iterum reddat *referre*: Τῇ Σελήνῃ τὴν πρώτην τῆς τρίτης ἡμέρας ὥραν ἀναθήσεις. Neque dubites, quin ea ſit mens Dionis, etenim ſi quoſdam Chriſtianos excipias, neminem ethnicorum Scriptorum dies ab aſtris appellaviſſe conſtat: imo ipſe Caſſius, quod apud cordatos viros magni momenti ſane erit, quanquam edicat *patrium morem evaſiſſe, non multis ab hinc annis*, τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας... ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, in ſua hiſtoria dies nunquam vocat ab planetis, ſed ſollemni, ac veteri ritu, ſcil. τῇ ἐννεαδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου· τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου pag. 900. & τῇ τρίτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου pag. 973. τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ Ἀπριλίου pag. 1286. τῇ τετάρτῃ τοῦ Ἀπριλίου pag. 1314. Ex quibus exemplis propalam eſt, ſi Dionis ævo dies ſepteno ſiderum ordine inſigniri mos patrius evaſiſſet, ſaltem ipſe in grandi hiſtoriæ ſuo corpore, vel *Solis*, vel *Lunæ*, *&c.* diem ſignaſſet; igitur quando hic hiſtoricus ſapientiſſimus hebdomadariorum dierum meminit, non de

dia-

diali nomenclatura ſermo ei eſt, ſed dumtaxat ait Romanos non haud pridem dies ſingulos planetarum hebdomadi conſecraſſe, eoſque ſalutaſſe dierum δεσπότας & ἐφόρους. Atque id maxime firmatur, eo quod & qui ante Dionem, & longiori etiam poſt ætate ſcripſere, ſi a Chriſtianis diſcedas, diurna tempora a planetis vocitare ne ſomniarunt quidem, quæ ſane ad ravim appellitaſſent, ſi is πάτριος τρόπος viguiſſet; adde, quo ſummi hujus hiſtorici veritatem tueamur, niſi dicas ſeptena aſtra ſolummodo diebus numine ſuo, & δεσποτείᾳ præfuiſſe, non vero nomen impertiviſſe, mendaciſſimus audiret, nam nullus etiam longo a Dione tempore ſcriptor vel Græce, vel Latine unquam membranis illevit, *dies Solis*, *Lunæ*, *Martis*, *&c.* Et nunc quidem quid lucis nanciſcitur locus Taciti hiſt. lib. 5. cap. 4. ubi more ſuo compreſſe ac ſtricte de una planetaria, ac ἑβδοματικῇ *potentia* in homines eloquitur ea, quæ uberius ac largius Dio edixerat: profert autem rationem Tacitus, cur Judæi Sabbatum tanta religione colerent: *Quod e ſeptem ſideribus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe, & præcipua POTENTIA ſtella Saturni feratur; ac pleraque cæleſtium vim ſuam, & curſum ſeptimos per numeros conficiant*; vides jam Tacitum unius potentiæ planetarum, quos etiam δεσπότας dierum vocat Dio, meminiſſe, eorum nomine dies appellatos omnino reticuiſſe. Quod & exemplo etiam palam fieri poſset, novimus quidem pleroſque omnes anni dies Diis Romanos dedicaſse, vide tot vetera kalendaria, & faſtos; attamen non ab iis numinibus dies dixiſse; & ab Chriſtianis eoſdem Martyribus, & Apoſtolis ſacratos cernimus, licet perquam longe diverſam dies enunciandi rationem ſervemus.

XI. His fortaſse ſatis opportune animadverſis, facile reliqua, quæ pro planetaria nomenclatura dierum Seldenus corrogavit, elevantur; inter cetera, quæ opponit vir magnus, habes Plutarchi πρόβλημα, cujus privus titulus in quibuſdam veteribus editionibus viſitur, qui ſane ſi ἀκίβδηλος audiret, cauſa caderem, vid. Sympoſiac. quæſt. ſeptimam, lib. 4. pag. 1172. edit. H. Steph. aperte enim in eo aſseritur dies a planetis nomen nactos eſse: Διὰ τί τὰς ὁμωνύμους τοῖς πλάνησιν ἡμέρας, ἀτάκτην ἐκείνων τάξιν, ἀλλ' ἐνηλλαγμένως ἀριθμοῦσιν, quæ ita vertit magnus Seldenus, *quamobrem dies planetis cognomines, non juxta planetarum ordinem, ſed mutato ordine numerari ſoleant*: verum hunc titulum inter Plutarchi opera quendam ſatis inferioris temporis ſophiſtam immiſiſse abunde conſtat, atque jure ab poſterioribus edit. illum eraſum reperi; præterea adeo verum eſt de hoc προβλήματι ne cogitaſse quidem Plutarchum, ut cum a Lampria ejus filio catalogum operum patris confectum habeamus, hunc titulum ne meminerit quidem, quo nihil apertius eſt Plutarchi fœtum non eſse, alias Lamprias cum ceteris connumeraſset, vide bibl. Græc. Fabric. to. 3. pag. 334. imo ipſe laborioſiſſimus Fabricius, dum Plutarchi opera deperdita recenſet ib. pag. 368. hunc titulum ſibi prætereundum duxit: & maxime miror Seldenum id non advertiſse, qui pro γνησίῳ venditavit. In

eundem lapidem impegit Salierius in diatriba de ſeptimo die tom. 5. Academ. inſcript. pag. 86. edit. Amſtelod. dum pro ejuſdem Plutarchi tituli veritate jurat, peccatque in ſua commoda, quippe qui ſatis infirme Seldenum oppugnans tueri adnititur Græcos, Latinoſque ſextum diem minime coluiſse.

Adnotanda reor in his Pſeudoplutarchi verbis σφάλματα ſatis turpia librariorum, quæ Aldum, H. Stephanum, & Seldenum ipſum non vidiſſe jure conquerendum eſt: Διὰ τί τὰς ὁμωνύμους τοῖς πλάνησιν ἡμέρας, ἀτάκτην ἐκείνων τάξιν, ἀλλ' ἐνηλλαγμένους ἀριθμοῦσιν, iſthæc ſane laborant tum συντάξει, quis enim vero ferat τάξιν ἀτάκτην pro ἄτακτον; ut tirones norunt; imo hunc quartum caſum omni regimine deſertum cerno: tum ſententia, quod facile advertas, ſi fidus verbum verbo reddas; quare confinge ſine periculo, meque vade, οὐ κατὰ τὴν τάξιν, ἀλλ' ἐνηλλαγμένως ἀριθμοῦσιν, etenim facile ſcribæ litterulas interturbabant, ut dictum eſt pag. 287. hinc in ἀτάκτην eadem στοιχεῖα ſunt, ac κατὰ τὴν· particulam autem οὐ fortaſse tempus detriverat, cum ſententia prorſus expetat. Dio etiam ipſe laudato loco dum de iiſdem planetis loquitur, eaſdem voculas adhibet, ſcil. κατὰ τὴν τάξιν. Pro ἐνηλλαγμένους reſcripſi ἐνηλλαγμένως, nam verba cum proverbiis copulanda ſunt: qui Græce ſapiunt, an concinne id a me factum ſit, judicent, maxime cum quid acuminis præſeferat τάξις ἄτακτος, a quo boni Scriptores longe abhorruere.

At nihil magis turbare quiverit, quam verba Philoſtrati, eum, qui gentium variarum ceremonias ac ritus parum callet; cum hic ſophiſta lib.3. c.13. p.148. Apollonii Tyanæi vitam intexens clare adſerat dies fuiſſe planetis cognomines; ait enim Jarcham Brachmanum principem ei dediſse Δακτυλίους ἑπτὰ τῶν ἑπτὰ ἐπωνύμους ἀστέρων, οὓς φορεῖν τὸν Ἀπολλώνιον κατὰ ἕνα πρὸς τὰ ὀνόματα τῶν ἡμερῶν, *annulos ſeptem planetis cognomines, eorumque ſingulos ſecundum dierum nomina Apollonium geſtaſſe*; at penſitanti attentius verba Philoſtrati facile occurret ipſum loqui de Brachmanis, atque Indorum gymnoſophiſtis, qui eum morem vocitandi dierum ἑβδομάδα a planetis vel invenere, vel ab aliis gentibus ſibi arripuerunt, non vero de Græcis, aut Romanis, qui ſolummodo dies ſeptenis aſtris dedicarunt, ut paullo ante oſtenſum eſt; idque firmatur ex eo, quod vides Jarcham Brachmanorum principem illos annulos Apollonio dediſſe, & hunc Tyanæum virum ſecundum ritus Indarum gentium uſurpaſſe; nos contrario id unum negamus Grajos, & Latinos unquam dies ſiderum nomine diſtinxiſſe, neque privum exemplum in his reperire eſt; illud autem feciſſe barbarorum ultimos Brachmanos, ac Magos ultro damus, ut ex Philoſtrato clare eruitur, & Apollonium religiones inteſtabiles omnes affectaſſe conſtat, & inter Indos perdiu verſatum eſſe, quo artem incantationum omnium addiſceret; vide etiam, ſi otio abundes, Tillemontium to. 2. part. 1. in vita Apollon. Tyan. Et ne credas rem hanc majori momento firmare me haud ſatis eſſe, teneo enim ab Euſebio præpar. Evang.

lib.

Digitized by Google

lib. 5. cap. 14. & habetur in orac. veter. cap. 8. antiquum oraculum, quod a Porphyrio exſcripſerat, unde luculentiſſime habeo id genus Magos, ſive barbaros ſacerdotes dies ab planetis nuncupaſse;

Κληΐζειν Ἑρμῆν, ἠδ' Ἠέλιον κατὰ ταῦτα
Ἡμέρῃ Ἠελίου, Μήνην δ' ὅτ' ἂν τῆς παρείῃ
Ἡμέρη, ἠδὲ Κρόνον, ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην
Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε Μάγων ὄχ' ἄριστος,
Τῆς ἑπταφθόγγου βασιλεύς, ὃν πάντες ἴσασιν.
Invoca Mercurium, & Solem pariter
Die Solis, Lunam vero, quando aderit
Dies, & itidem Mercurium, & etiam Venerem
Invocationibus arcanis, quas invenit Magorum maximus
Septiſonæ rex, quem omnes ſciunt.

Vides igitur Babylonium regem morem numerandi dies, de quo diſputamus, inveniſse, ſimul & arcanas voces invocandi diales planetas. Et gratiam habeo præterea plurimam Andreæ Riveto in diſsert. de orig. Sabbati cap. 5. qui, ut ea in re nullus tibi ſubeat ſcrupulus, mihi verba præſtat ab non adhuc edito Scriptore idipſum confirmante: Οἱ περὶ Ζωροάστρην, καὶ Ὑστάσπην Χαλδαῖοι, καὶ Αἰγύπτιοι ἀπ' ἀριθμοῦ τῶν πλανητῶν ἐν ἑβδομάδι τὰς ἡμέρας ἀνέλαβον, *qui Zoroaſtris, & Hyſtaſpis ſectam amplexi ſunt Chaldæi, & Ægyptii a numero planetarum dies in hebdomade repetebant*; locum opportuniorem mihi haud confingere poteram, dicitur enim a Perſis Magis, ſive myſtis vetuſtiſſimis Chaldæos, Ægyptioſque ab ſeptenis aſtris dies nominaſse, ſilet omnino de Græcis, qui re ipſa hunc morem dividendi menſes per ἑβδομάδα prorſus ignorarunt, ergo etiam Latini, qui per ternam dierum ſeriem paullo a Grajis diverſam menſem diſpenſarunt, atque utraque gens cultioris indolis eam hebdomada ſtellis ſolummodo ἀνακεῖσθαι, ἀνατίθεσθαι, *conſecrare*, ut ait Dio, ſatis habuere. Conquerendum hic reor de ſummi viri Seldeni ἀβλεψία, qui hos Scriptores inviſerat, tamen omni cap. 19. laudati operis univerſas gentes tam barbaras, quam elegantes ab planetis dies nuncupaſse edicit, & omnia mihi commiſcere viſus eſt, nihilque diſtinguere accuravit. Igitur ex iis, quæ multis dicta ſunt, rem ita verbo tranſigere poſſum, Brachmanos Magos dies per hebdomada diviſos ab aſtris primos omnium appellaſſe, ab his morem eundem ad Chaldæos, & Ægyptios invectum; poſterioris ævi Græcanicos, & Romanenſes circa Dionis Caſſii tempora dies planetaria nomenclatura nunquam donaſſe, ſed dumtaxat ἀναθεῖσθαι, *dedicaſſe*, qua triplice diſtinctione inducta, omnia bene conſpirant, & Scriptores minime ſecum digladiantes vides, ac noris, cur neque Græce, neque Latialiter legere ſit aliquando, *dies Lunæ*, *Martis*, *&c.* quin intelliges tandem, quare tot virorum doctiſſimorum, qui de veterum kalendariis, & chronologia præclara ſatis ediderunt, quoſdam prompte ajentes legimus, quoſdam vero præfracte negantes antiquos dierum hebdoma-

da

Digitized by Google

da habuiſse; res autem ſequeſtro indigebat, qui diuturnam litem componeret. Interea miſsos facio non unos auctorum locos, quos ibidem Seldenus recitat pro tuendo apud omnes gentes dierum nomine ab planetis, nam vel levioris ponderis ſunt, vel ἀπροσδιονύσως, veluti verſum Antholog. ult. epigr. lib. 1. edit. Aldi,

Ζεὺς, Ἄρης, Παφίη, Μήνη, Κρόνος, Ἥλιος, Ἑρμῆς·

in quo Theon auctor carminis ordinem adeo confudit, ut nullusdum ſcire queat, num de τάξει cæleſti aſtrorum, an de ἑβδοματικῇ loquatur, quare fruſtra eſt Seldenus, dum illud de dierum nominibus producit.

XII. Hinc unicuique pronum eſt veſtigare, cur uni Chriſtiani Scriptores, & eorundem litterata marmora ſæpe dies a Sole, Luna, &c. indicaverint; cum enim ipſi καλοκαγαθίας pleni, ac ſimplicitatis, & rerum cæleſtium myſteria potius ſapientiſſime adverterent, quam profanorum Scriptorum dicta, ac loquendi rationes exacte curarent, accidit, ut rati ſint ethnicos dies tum Græce, tum Latine appellaſſe a planetis, quos ſolummodo eiſdem dedicarant; miror tamen, quare hunc morem Chriſtiani arripuerint, a quo longe eos abhorrere oportuiſſet, præſertim cum in profanis voluminibus nunquam lectitarint; eique conſuetudini tandiu adhæſerint, ut perdiu durarit, donec in *feriarum* nomina, neſcio a quo ratio aſtrorum dialium immutata ſit. Fatendum tamen quoſdam ex cultioribus Chriſtianis Scriptoribus ab dicendi formula, *dies Jovis*, *Lunæ*, *&c.* utpote minime celebrata ſe temperaſſe, kalendis, nonis, atque idibus ſecundum priſcam, bonamque ætatem uſos, quos inter lubens accenſeas Minucium, Cyprianum, Lactantium, Prudentium, pigetque Hieronymum ab his defeciſſe, vid. epiſt. 150. ad Algaſiam quæſt. 4. dum nil hæſitans ait: *Hebdomada . . . quam ethnici idolorum, & elementorum nominibus appellant*. Scio te turbatum eſſe, quod dixerim Chriſtianos ritum gentium in dierum appellatione minime calluiſſe; verum pronum eſt, cum de rebus peregrinis quis loquatur, tranſverſum agi, & ut plura exempla prætercam, ipſos ethnicos Græce, & Latine doctiſſimos, quando de Hebræorum ceremoniis quid definire aggreſſi ſunt, facile in παροράματα lapſos deprehendimus; hinc in non unis ſuorum voluminum legimus illitum gentem hanc recutitam Sabbati die jejuniis impalluiſſe, quod contra hiſtoriæ fidem eſſe vel rerum Judaicarum tiro novit, cum Sabbatis Hebræi quieti ſolummodo indulſerint, comiſſationibus vero nequaquam parſerint: ſi hujus erroris teſtimonia optes, vide Seldenum ibid. cap. 15. pag. 369. 370. ſatis mihi ſit unum ex Strabone apponere lib. 16. fragm. pag. 1106. Amſtelod. 1708. ajente Pompejum in Hieroſolymorum excidione exſpectaſſe ἡμέραν νηστείας, quando Hebræi ἀπείχοντο παντὸς ἔργου.

Quo autem ſententiam meam, ignoraſſe nimirum Græcos, Romanoſque ſeptenariam hanc dierum partitionem, melius firmem, mihi ipſi objicendum duco Tibulli locum lib. 1. eleg. 3. v. 17. quem privum reperire ſatis fui in tot profanis Scriptoribus, ubi *Saturni diei* mentio eſt:

Aut

Aut ego ſum cauſatus aves, *aut omina dira*, *Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem;* atque facile repono, me nunquam negaſſe dies planetis ſacratos fuiſſe, uti in Tibullo jam vides, *Saturni ſacram diem*, ſed dumtaxat inficiatus ſum ab eiſdem aſtris unquam appellatos Dionem ipſum vadem ſiſtens. Vel melius dicas Romanos ſacra peregrina amaſſe, Hebræa cum primis, uti ſanequam multis præſtat Seldenus ibid. pag. 368. 369. & Sabbatum enixe cultum a profanis gentibus; hinc aures noſtras obtuderunt poetæ, veluti Ovid. de Arte lib. 1. v. 416. ut ceteros taceam, qui jubet ab amorum furtis abſtinendum quibuſdam temporibus, *Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis Culta Palæſtino ſeptima feſta Syro:* & alibi canit tritum illud: *Nec pluvias opta*, *nec te peregrina morentur Sabbata*. Quare Tibulli mens eſt ſe ægerrime Roma diſceſſiſſe, & ut moras necteret, cauſatum eſſe *aves* ſiniſtras, *dira omina*, & *diem Saturni*, ſive *Sabbati;* ethnici quidem in animum induxerant Hebræos ſeptimo quoque die *Saturnum* coluiſſe, quare inepte vocitabant vel *Sabbatum*, vel *Saturni diem:* hac in re ſat opportunus mihi eſt Tacitus lib. 5. hiſt. cap. 4. *Alii honorem eum* (ſeptimum diem) *Saturno haberi; ſeu principia religionis tradentibus Idæis*, *quos cum Saturno pulſos*, *&c conditores gentis* (Hebræorum) *accepimus*, *&c.* Hinc non mirum, ſi unus Tibullus ſemel *diem Saturni* dicat, dum mores Hebræorum commemorat. Et lux eſt Dioni ſcribenti de eadem gente ſancta, Καὶ τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλουμένην ἀνέθεσαν, vertitque Reimarus tom. 1. pag. 123. *diemque*, *quæ Saturni vocatur*, *dedicarunt*, ideſt, quod ab Hebræis ipſis vocabatur *dies Saturni:* vides Tacitum, & Dionem in eundem lapidem urgere ajentes Palæſtinos coluiſſe Saturnum, ab eoque numine diem appellaſſe.

Et nunc primum patent luculenter Suetonii verba in Tiberio cap. 32. quæ antehac ingenia exercuere, ubi de Diogene grammatico narrat: *Diſputare Sabbatis Rhodi ſolitus*, *venientem* (Tiberium,) *ut ſe extra ordinem audiret*, *non admiſerat*, *ac per ſervulum ſuum in ſeptimum diem diſtulerat. Hunc Romæ ſalutandi ſui cauſa pro foribus adſtantem nihil amplius*, *quam ut poſt ſeptimum annum rediret*, *admonuit;* patet enim Tranquillum referre, in animo habuiſſe Diogenem Hebræorum inſtar ſeptenis diebus, ſive Sabbatis ſcholas ſolummodo celebrare. Romanos autem hunc numerum dierum nunquam curaſſe ſcimus; habuiſſe eos potius dicas quandam novenorum dierum partitionem, quam ex ſat notis eorum nundinis aucupamur; quam etiam ſuis kalendariis adſcribebant: hinc Ovid. 1. Faſt. v. 54. *Eſt quoque* (dies,) *qui nono ſemper ab orbe redit.* Cæſar Tiberius, ut grammaticum ἑβραΐζοντα irrideret, gentis Syræ morum ſe gnarum eſſe jactans opportune diſtulit Diogenem ſalutare cupientem etiam ad *ſeptimum annum;* quod Tiberii reſponſum ſalis ac leporis plenum dicas, ſi advertas ethnicos crediđiſſe Hebræos non ſolum ſeptimum diem religioſiſſime proſecutos, ſed ſeptenum quemque annum; quare imperator feſtive Diogenem ἰουδαΐζοντα perſtrinxit, atque ἐπχάρακτεν·

Rr De

De cultu ab Hebræis ſeptimo anno exhibito teſtis vehemens mihi eſt Tacitus hiſt. lib. 5. cap. 4. ut cernas, quam bene profani ſibi conſpirant: *Septimo die* (Hebræis) *otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit; deinde blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum*. Noſti jam ex Tacito multa luce Suetonii κείμενον perfuſum; quare mecum uſque miratus ſum hujus hiſtorici verba tot importunis commentariis mactata, nec doctiſſimos interpretes ad Tacitum provocaſſe, quo abditam ſententiam σὺν δεινότητι proferrent; & magis mirum dicas Seldenum, qui in laudatum ſæpe volumen tot de ſeptimo die, quot nemo antea, aut poſtea temporis comportavit, licet tanquam gemmas adhuc rudes, nam vel in locum non ſuum aggeſta ſunt, vel ſibi contraria, ad ea Tranquilli verba adeo obſtupeſcere viſum eſſe, ut iſthæc inclamarit lib. 3. c. 16. pag. 383. *Sabbata ſic in uſu, ac ſeptimi diei Rhodi! Atque ejuſdem mentio, velut rei notiſſimæ!* illum vero in lucem reſtituere omnino poſthabuit vir ſummus. Ceterum famoſum Juſtini locum lib. 36. c. 2. poſthabeo appellantis Sabbatum *ſeptimum diem*, cum de Moſis tempeſtate ſermo ei ſit.

Nollem demum, ut quis valentem Mazochii noſtri auctoritatem promptus objiceret, quem ſalutamus veterum morum callentiſſimum, atque obſtreperet tantum ἀρχαιολόγον in trita ſententia fuiſſe priſcos Latinos dixiſſe *diem Lunæ, &c.* dum in Kalend. pag. 536. col. 2. in adnot. propalam edicit: *Illud vero, quod ad finem ſect.* 48. *Apoſtolus* (Barnabas) *depoſitus dicitur* δευτέρᾳ σαββάτου, *altera die ſabbati* (*pro eo quod nunc dicimus feria II, veteres autem die Lunæ*) *id apertam habet Judaiſmi ſignificationem*; id mihi objectanti facile reponam cl. Mazochium hac in re communem eruditorum opinionem ſecutum, atque ob ſcribendi pernicitatem, & dicendorum copiam in Seldeni, aliorumque doctiſſimorum hominum judicium dejeraſse; verum neque exempla profert, & ab ethnicis Scriptoribus veſtigare fruſtra erit.

Atque hæc fortaſse prolixiora præter ſpem, quo præſtarem Græcos, ac Romanos uſos eſse planetarum hebdomade contra cæleſtem ordinem, & dies non ab aſtris nuncupaſſe uti nos hodiedum, atque olim etiam uni Chriſtiani factitabant, ſed ſolummodo eoſdem dies ſeptenis illis Diis dedicaſse, ut eorum numine tempora procederent felicius, ac regerentur. Hinc in ſeq. cap. oſtendam Deos hoſce ſidereos ſumma religione cultos, atque ſecundum ἑβδοματικὴν τάξιν in non unis monumentis ſcalptos me reperiſse gratulor; quare Regio huic atramentario iiſdem Diis honeſtiſſimo & grandem antiquitatem, & pretium conciliaturus ſum. Nunc autem ad aliud novum, atque intentatum ἀπόρημα excutiendum aggredior peræque ſcitu jucundum, nec minoris mihi curæ, ac negotii ſtaturum, ſcilicet de dialium planetarum principe, ſed, ut eodem felici ſidere abſolvam, jure mihi verendum eſt.

CA-

Digitized by Google

****

CAPUT III.

Saturni, non Solis aſtrum initium hebdomadi dediſſe contra communem opinionem oſtenditur. Cur ordo cæleſtium planetarum in dialem τάξιν inverſa ſit, nunc primum profertur.

I. S*Aturnum initium fuiſſe hebdomadis, non vero Jovem contra communem eruditorum ſententiam oſtenditur: hac in ve Chryſoſtomum argute interpretatur cl. Mazochius.* II. *Vox* Sabbatum *in diverſa prorſus notione eſt in veteri, ac audit in novo Teſtamento, quod nulluſdum antehac adverterat.* Una Sabbati, *φράσις ignota ante Evangelium. Vocabulum* שבתות *in Levitico appoſitum librariorum ſtupore pro* שבעות. III. *Errores tum ethnicorum, tum Chriſtianorum in* Sabbati *διαγνώσει, in ejuſque etymo.* Septimus dies *nunquam in novo fœdere; cur σαββατισμὸς dixerit Apoſtolus.* IV. *Firmatur Saturnum initium hebdomadis fuiſſe ex Petro Alex. Tertulliano, & robuſtius ex Dione. Querelæ de Reimaro.* V. *Idipſum fere ἀποδεικτικῶς habeo ex ænea cymba ἑβδοματικοῖς planetis onuſta, quorum princeps Saturnus: hujus cimelii vera ex Porphyrio interpretatio, antehac ignota: Montfauconius notatur: Caſaubonus corrupta Porphyrii verba doloſe intercidit, & Holſtenius inficete vertit; omnia probe conſpirant, ſi reſtituatur ὥς τινας in ἀστέρας. Ex hac cymba multa lux capiti* I. *Geneſews. De Jo. Bapt. Paſſerio querelæ.* VI. *Saturnus iterato dierum primus in marmoreo anaglypto, quod perperam interpretatur Montfauconius; hujus etiam παρεργάματα enumerantur in gemma planetaria. Vera hujus gemmæ divinatio.* VII. *Etiam in lucerna Saturnus dialium Deorum agmen agit, quem Scaliger, Petavius, Seldenus, &c. in extimam ſedem dejecerunt.* VIII. *Quæ contra primam hanc Saturni τάξιν congeſſit Seldenus, facile elevantur, nam teſtes producit ſatis impoliti ſæculi. Cur Sol audit aliquando ἑβδομαγίνης.* IX. *Rationum momenta, cur veteres cæleſtem planetarum ordinem in illum hebdomadis immutarint: Scaligeri, & Bedæ ſententia refellitur.* X. *Duplicem rationem hujus mutationis nobis Dio Caſſius prcſlitit: quædam verba ſatis interpolata a κεμίνῳ deturbantur, & quædam aſfecta ſanantur, quod non fecit magnus Reimarus.* XI. *Dionis mentem non aſſecutos Wolſſium, & Scottum oſtenditur: in Keilium, alioſque noſtri ævi philoſophos animadvertitur.* XII. *Vera planetarum inverſionis ratio antehac tot ſummis viris, & Dioni ipſi ignota proculditur, ex nova ſcil. notione vocum ἁρμονία, & τετρακτύς, quas tantum Pythagoras commendarat. Quid ἁρμονία apud Hom. & Heſiodum, nunquam pro* concentu, *& συμφωνίᾳ· & ἁρμόζω idem, ac πήγω, cujus etymon eſt a* פגע. XIII. *Ἁρμονία pro συμφωνίᾳ ſequioris ſcholæ Pythagoricæ eſt. Etiam Chaldæum vocabulum* הרמן, *unde ἀμέσως fruticat ἁρμονία, eſt* conſentire. *Quædam exempla poſterioris ab Homero ætatis Scriptorum, in queis ἁρμονία eſt* partium coagmentatio. XIV. *Nummi quidam planetarii illuſtrantur contra Zoſimum, Patinum, Vaillantium, Spanhemium, & Begerum ajentes eos addictos ludis ſæcularibus; Apollo nunquam radiatus in his ludis; ſed cuſos dicas, ut Deos ſeptenos fauſtos ſibi redderent. Spanhemio reſiſtitur Mercurium pro Sole in zodiaco accipienti. Stuſſius negat ſæcularia munera in nummis, ſed nil divinat.*

I. EX multis, quæ a me ſuperiori cap. comparata ſunt pro ſeptenis diebus planetariis numinibus dedicatis, non vero eorum nomine a profanis Scriptoribus nuncupatis, facile colligas thecam hanc calamariam

riam his aſtris ἑβδοματικοῖς illuſtrem antiqua ævitate florere, dum veteres pro ſiderum religione ac cultu, & quo fauſtiſſimi dies ſibi volverentur, in vaſculis, aliiſque inſtrumentis, quibus utebantur, appoſuiſſe ipſe mox oſtendam, plurimis æreis & marmoreis collectis monumentis. Nunc magis improbum operæ pretium offertur, quod antehac eruditorum nemini in animum cecidit, num ſcilicet hæc dierum hebdomas a Sole inceperit, an a Saturno, cum omnes, quotquot evolvi ἀρχαιολόγους, veluti fide ſibi præſtita, membranis ſuis illeverint Solem, non vero Saturnum, præcipua vi ac potentia dies rexiſſe, atque audiviſſe ἑβδομαγέτην, eaque opinio adeo omnium præcordiis inſedit, ut fama, ſermonibus, ac doctis voluminibus trita ſit, ac celebratiſſima. Ipſe vero ope hujus atramentarii nunc primum pateſaciam Saturnum primam ἑβδομάδος dialis ſedem jure occupaſſe, Jovemque jure ab ea deturbabo; quam quidem προτίμησιν fide ſubleſtiſſima ſat ſæculorum uſurpaſse deprehendi; patremque, ut quondam ἀνίκητος, καὶ ἀκηδὴς . . . βίῃ καὶ χερσὶ δαμάσσας τιμῆς ἐξελάαν auſus eſt, Heſiod. Theog. v. 489. & nunc etiam in extimum planetarum dialium locum detruſum cernimus. Interea legentes vellem non tam cito juratos in tot vetuſtatis doctiſſimos magiſtros, ſaltem ea in re ſibi parum ampliandum exputent, dum rationum momenta, ac priſca documenta perlectitent. Id autem me clare contra ingentem adverſariorum doctiſſimorum vim præſtaturum recipio: & ſi nihil boni aliud rei litterariæ hoc vaſculum intulerit, quam ut veterum dierum forma, ac ratio noſcatur, una hac re illius pretium grandius increſcit, & longe dignius Rege ſe prodit.

Nullus ambigat, quin ſeptem dierum partitio apud gentes omnes religioſe culta ab Hebræis ortum traxerit, a quibus Brachmani fortaſſe primum, ut pag. 301. dictum eſt, inde Ægyptii, Dione teſte edit. Reimari to. 1. p. 123. quod multo ante id etiam nos docuerat Herodotus lib. 2. c. 82. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐστὶ ἐξευρημένα· μεὶς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη Θεῶν, ὅτευ ἐστὶ, quem hiſtorici locum non vidit Seldenus: inde ad omnes gentes morem hunc dimanaſſe ibid. teſtatur Dio; & idem vir ſummi nominis Seldenus non in unis capp. lib. 3. aggeſtis undequaque Scriptorum utriuſque linguæ auctoritatibus firmare adniſus eſt. Quod cum ita ſe habeat, & profanæ gentes in dierum τάξει amarint ἑβραΐζειν, facile eruo Saturnum, non Solem in ea ſerie primum locum acquiſiviſſe, cum Sabbato ab ſancto hoc populo primam ſedem tributam in hebdomade primus ipſe vidiſſe viſus ſim: & pag. 313. ethnicos vocem Hebræam *Sabbatum* peræque valere, ac Saturnum crediſiſſe jam præſtiterim. Hujus noſtræ ſententiæ fundum do ἑβραϊστὶ doctiſſimum Hieronymum, in quem hac in re non jurare piaculum reor: *Unam Sabbati*, inquit epiſt. ad Hedibiam qu. 4. p. 171. to. 4. edit. 1706. Pariſ. non vero ad Algaſiam, uti inquit Seldenus p. 417. *dies dominica intelligenda eſt, quia omnis hebdomada in Sabbatum, & in primam, & ſecundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & ſextam Sabbati dividitur, quam ethnici idolorum, & elementorum nomi-*

nominibus appellant: igitur ſecundum Hieronymum Sabbatum olim erat initium hebdomadis, a quo ſeni dies reliqui per ſuos numeros vocitabantur, deſinebantque in ſextum; quod Sabbati feſtum, ſi poſtremam dierum ſedem obtinuiſſet, *ſeptimi* nomine in novo fædere donatum eſſet. Clarius id adſtruit Chryſoſt. to. 5. p. 525. an. 1724. Διὰ τοῦτο μεγάλη καλεῖται ἑβδομάς, καὶ ὥσπερ αὐτὴ κεφάλαιον τῶν λοιπῶν ἑβδομάδων, οὕτω ταύτης κεφαλὴ τὸ σάββατον τὸ μέγα· καὶ καθάπερ ἐν σώματι κεφαλή, οὕτως ἐν ἑβδομάδι τὸ σάββατον· (hic etiam locus Seldenum fugit :) vides Chryſoſtomum edicentem apertiſſime *Sabbatum principium eſſe hebdomadis, ſicut caput eſt corporis initium.* Cum autem antehac doctiſſimi quique exputarint Sabbatum extremum ſeptem dierum exſtitiſſe, arctiſſimas in incitas ſe conjecere, & verba Chryſoſtomi mire, & non ſine πολυπραγμοσύνῃ interpretati ſunt, dum eorum animis altius inſederat, uti eſt hodiedum, Sabbatum audiviſſe olim etiam hebdomadis finem. Quare memini me curſim legiſſe longe aliter patriarchæ hujus verba interpretatum eſse Mazochium, ni fallor, in præclariſſimo opere kalend. tom. 3. dum typographus ſchedas ab erroribus purgaret, hinc pagellam adnotare haud mihi licuit, nam dum hæc ſcribo, non adhuc tomus hic publicæ uſuræ factus eſt, quare ope indicis verba ſummi viri facile reperies voce *Sabbati:* in eo autem Mazochii ſententia verſatur, ut Chryſoſtomus ideo appellarit Sabbatum initium, ſive κεφαλὴν hebdomadis, licet ſit *cauda*, ut ipſe loquitur, quia in eo veluti concludebantur, qui præcedebant, ſeni dies; & ſicuti voces *ſumma*, & *concluſio* ſæpe pro principio adhibentur, cum revera extremum quid adnotent, ita etiam Sabbatum, eo quod ſummam & concluſionem ceterorum dierum complectebatur, vocitari poterit eorundem κεφαλή. Verum quiſque mecum conjurabit de aperta & plana ſententia Chryſoſtomi, & Mazochium argutiſſime & ſubtiliter diſputare, & quod apertum, & rectum eſt, nimis involvere, ac contorquere; cum e contrario omnia æqua ſint, atque expedita, ſi Sabbatum ſeptenorum dierum initium facias, uti ratum jam eſt, & ex dicendis etiam atque etiam conſtabit, dummodo vulgari opinioni Sabbatum hebdomadis fuiſſe finem ac caudam nuntium remittas; præſertim Hieronymo nuper laudato clare edicente, *Quam* (hebdomada) *ethnici idolorum*, & *elementorum nominibus appellant*, ipſeque mox Saturnum etiam apud profanas gentes, qui idem ac Sabbatum eſt, diebus ἑβδοματικοῖς præfuiſſe, in eiſque enumerandis ab ethnicis gentem ſanctam haud defeciſſe evidentiſſime patefaciam.

II. Pro re nata ſat implexas quæſtiones de voce duplici nim. *dies ſeptimus*, & *Sabbatum* enodandas reor, antehac fortaſſe ob rei difficultatem, aut potius oblivionis incuriæque gratia poſthabitas; mihique ſemita aperitur, quo quibuſdam objectationibus eam obviam. Porro apud Hebræos circa extremam Machabæorum tempeſtatem Sabbatum hebdomadis principium fuiſſe, & antiquiore ævo frequentiſſime *ſeptimum diem* ſalutatum fateor. Et ut brevis ſim, evolve omnes novi Teſtamenti membranas, nunquam ſane offen-

Digitized by Google

offendes Sabbatum appellari diem ſeptimum, jam enim his temporibus evaſerat dies primus; hinc factum eſt, ut ipſe animadverterim in unis ſanctis novi fœderis libris dictiones illas *una Sabbati*, *altera Sabbati*, *&c.* reperiri, propterea quod Sabbatum ipſum jam hebdomadis dies princeps ſalutabatur, quas in veteri inſtrumento ne ſemel quidem invenire eſt: uti apud Chriſtianos audit *Dominica* hebdomadis primus dies, & nomina feriarum uſque ad ſextum aſcendunt, ita & Hieronymus poſt Sabbatum Hebræorum uſque ad ſextam loco paullo ante laudato enumeravit. Neque quis mihi moleſtus ſit, eo quod in titulis pſalmi 23. *prima Sabbati*, & pſalmi 93. *quarta Sabbati* inſcriptum legatur, hinc eas φράσεις eſſe vetuſtiſſimas opponat, nam norunt univerſi nihil ſanæ fidei, nec antiquioris manus eſſe illorum titulos; imo ceteris argumentis dubitandi de eorundem γνησιότητι nunc primum hoc alterum, & certius addas. Si vero expoſtules, quo pacto reliquos ab Sabbato dies vocitarint Hebræi ante novi fœderis tabulas, quoniam eæ dicendi formulæ *una Sabbati*, & *quarta Sabbati*, *&c.* Chriſto jam nato effictæ ſunt, exſtare ajo vice multiplici in Moſis membranis, quod expetis, atque ita conceptum reperi, veluti Levit. 23. 15. ספרתם ממחרת השבת, *Numerabitis a craſtino Sabbati*, & hic etiam Sabbatum vices & jura veluti primæ diei exhibet.

Nec minus operæ pretium eſt advertere vocem *Sabbatum* uno novi fœderis ἁγιογράφων tempore adhibitam pro tota hebdomade, uti Act. 17. 2. *Per Sabbata tria diſſerebat*, & Luc. 18. 12. *Jejuno bis in Sabbato*, & ſexcenta id genus. At anteriori ævo diem ſeptimum dumtaxat valuiſſe conſtat: evolve utriuſque teſtamenti membranas, eamque conſtantem diſtinctionem Prophetas, & Evangeliſtas ſervaſſe mihi fidem te daturum pro re certa teneo. Contra hanc veram, licet novam ſententiam ſcio valide reſiſtere Levitici verba 25. 8. ubi Deus jubilæum indicit Hebræis *poſt ſeptem Sabbata annorum*, i. e. poſt 49. annos, שבע שבתות השנים, ubi aperte evincitur vocem שבת, *Sabbatum*, ſumi a Moſe pro ipſa omni hebdomade, uti in novi fœderis libris. Verum non tam cito animum deſpondeo, propterea quod, cum innumerabiles θεοπνεύστων Scriptorum loci mecum conſpirent, hæc priva Levitici verba adverſantur. Quare ne te multis teneam, confinge ſine periculo illud שבתות, *Sabbata*, in priſcam, veramque vocem שבעות, *hebdomades*, quam uno apice diſcriminatam vides, eritque proba, & priſca ſententia, poſt ſeptem *hebdomadas* annorum; tenuiſſima elementi mutatione conſtans ſibi uſque erit Moſes, qui ſoli *ſepteno* dierum τὸ שבת addixerat. Errorem hunc certe in Leviticum ſubrepſiſſe novi, vel a vicinitate ſoni ambarum vocum שבעות, & שבתות, vel ab poſterioribus exſcriptoribus, quando jam vocabulum שבת in notionem *hebdomadis* deſciverat. Hanc meam non poſthabendam medelam cumulate juvant Helleniſtæ interpretes, qui profecto legerant שבעות, in iis enim legere eſt ἑπτὰ ἑβδομάδας ἐτῶν, non vero ἑπτὰ σάββατα ἐτῶν, qui quidem ita vertiſſent, ſi τὸ שבתות illitum reperiſſent.

Cum

Cum his viris LXX. conjurat Hieronymus, qui Latine appoſuit ibidem *hebdomadas*, non *Sabbata*. Demum etiam Chaldæus paraphraſtes, (non autem mihi otium eſt ceteros inviſendi,) probe transfudit Hebræum fontem in שבע שבוען, æque ac nos affectum locum ſanavimus. Ratum igitur dicas Evangeliſtarum ævo τὸ *Sabbatum* novam tum principii ſeptem dierum, tum totius hebdomadis notionem induiſſe, cum antea pro die extimo ejus periodi haberetur; & fortaſſe non male Levitici verborum difficultatem diluimus.

III. Neque in animum inducas, quo firmem aliter in vetere, aliter vero in novo fœdere vocem *Sabbatum* ſignificaſſe, me non ſatis eſſe, ut divinem, cur pauci ethnici Scriptores aliquando hunc diem contra meam ſententiam *ſeptimum* appellarint, uti ſemel Ovid. pag. 313. a me laudatus *Culta Palæſtino ſeptima feſta Syro*, & Sueton. in Tiber. c. 32. dum ait Diogenem *Sabbatis* docere ſolitum fuiſſe, quæ & *ſeptimos dies* vocat. Atque haud ſcio, an veſtiges aliud exemplum ex profanis libris, quod iis, quæ de duplici *Sabbati* notione ſtatui, adverſetur; plurimum enim olei & operæ abſumptum eſt in eorum utriuſque linguæ voluminibus excutiendis. Porro cordatum virum frangere minime debent bina hæc dumtaxat teſtimonia, cum e contrario pro tuenda nova Sabbati διαγνώσει plenæ ſunt membranæ Evangeliſtarum, atque Eccleſiæ patrum, ac conciliorum; imo breves id genus reliquiæ magis ſiſtunt antiquam, atque unicam ejus vocis ſignificationem.

Verum ut directo reſpondeam, concedam oportet non adeo deperiiſſe ingenitam & avitam vim ῥήτεως *Sabbati* pro ratione *ſeptimi diei*, ut nunquam omnino adhibitam contendam; vel melius dicendum ethnicos linguæ Hebræorum ignaros, quibus hujus gentis ſanctæ mores, & ſacra prorſus occulebantur; in ritibus ſibi peregrinis enarrandis longe hallucinatos eſſe, vide præ ceteris Tac. init. lib. 5. hiſt. ita etiam in voce *Sabbatum*; etenim inaudientes ab Judæis Helleniſtis, horumque forſan libros etiam lectitantes æque *Sabbatum*, atque *ſeptimum diem* immenſis laudibus concelebrari, rati ſunt Hebræam ῥῆσιν *Sabbatum* adnotare hunc numerum, non vero quod re ipſa valet, *requies* ſcilicet; quare hoc errato abducti diem Saturni, ſive *Sabbatum* dixere *diem ſeptimum*, non porro quod ipſis ſeptima vere lux eſſet, nam firmum eſt primam ethnicos feciſſe, ſed ob fraudem vocis *Sabbati*, quod *ſeptenum* quid notare exputarunt; alias nobis illuderent nunc in prima dierum τάξει hunc Deum locantes, nunc in extimam detrudentes. Aberraſse autem veteres in hac *Sabbati* διαγνώσει certum eſt, nam Lactant. lib. 7. c. 14. ait: *Hic eſt ille dies Sabbati, qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit*, cum vel tiro noſcat τὸ שבת eſse *quies*. Lactantio addes Theophilum Antiochenum lib. 2. ad Autolycum, modo hoc opus ejus Scriptoris γνήσιον admittas: *Hic dies, qui ab Hebræis Sabbatum vocatur, Græce ſi quis nomen interpretatur, ſeptimus dicitur: hoc nomine mortales omnes diem iſtum*

ap-

appellant, *at nominis cauſam neſciunt plerique* ; ſed ipſe Theophilus ſermonis Hebræi ſe prodit ignariſſimum. In eundem lapidem etiam quosdam Græculos impegiſse conqueror, veluti Vettium Valentem Antiochenum, (de quo Scriptore paullo inferius,) in titulo : Ὑπὲρ ἑπταζώνου, ἤτοι σαββατικῆς ἡμέρας ἀπὸ χειρός, *de heptazono*, *ſive de die ſeptenario canon facilis* ; palam vides apud Vettium eandem vim ineſse voci σαββατική, ac ἑβδοματική, adeo hominum menti inhæſerat *Sabbatum* peræque valere, ac *ſeptenarium*. Haud mirum igitur, ſi Ovidius, ac Suetonius *Sabbatum* vocitarint *diem ſeptimum*, quando idipſum habes a Chriſtianis Hebræam linguam minime callentibus ; neque hinc colligere eſt & Saturnum, & Sabbatum ob duorum ethnicorum σφάλμα diebus hebdomadis non præfuiſse. Scio præterea Joſephum lib.2. contra Apion. §.3. p.494. edit. Avercamp. appellare Sabbatum ἑβδομάδα, *ſeptimum diem* ; verum Hebræus hic cultior præ ceteris ſecutus eſt φράσιν antiquam, & Prophetarum loquendi modum ; ſicuti etiam Paullus ſemel *Sabbatum* vocavit *diem ſeptimum*, eo quod uſus eſt Moſis verbis, vid. epiſt. ad Hebr. 4. 4. *Dixit enim in quodam loco* (Gen. 2. 2.) *de die ſeptimo : Et requievit die ſeptima ab omnibus operibus ſuis*, ceterum in reliquis epp. unicum vocabulum *Sabbatum* tibi præſto eſt : imo adeo Apoſtolus ab *ſeptimo* abhorruit, ut novam dictionem cuderit, σαββατισμός ſcilicet pro ἑβδομάς, ibid. v.9. Cl. Mazochius pag.68.& 69. kal. præclara ſatis de Sabbato adnotavit, ſed ingenii mei viribus haud æqua reperi, rogaris ut tutemet legas ; verum vir magnus alibi ſe ea luculentius explicaturum ſpondet.

IV. Ut autem, quæ de duplici nuper detecta in ſanctis libris τοῦ *Sabbati* notione, συντόμως contraham, quæque longius protrahere quiviſsem, niſi prolixiora viderentur, oſtenſum eſt hujus vocis vim priſcam, nempe *ſeptimi* in binam diverſam ſignificationem, nimirum tum diei primi hebdomadis, tum uniuſcujuſque ex diebus ejuſdem periodi, deſciviſse Apoſtolorum ævo ; ut magis firmarem Saturnum apud ethnicos fuiſse principem ἑβδομάδος, eo quod etiam apud Hebræos Sabbatum, quod profani Saturnum interpretati ſunt, vid. pag. 313. in eadem prima ſede fixum ubique ex novi fœderis membranis conſtat. Utinam antehac tot ἐξοχώτατοι interpretes iſthæc adnotaſsent, non exiguo labore mihi levato gratularer.

His animadverſis de Hebræorum hebdomade, quatenus ad Saturni πρωτεῖον ſpectant, & veluti ſeminibus quibuſdam jactis, reliquum nunc eſt, ut ex certioribus & vehementioribus documentis undequaque corraſis ab Græcis mixtim, Latiniſque Scriptoribus hoc aſtrum in dierum digeſtione non extimam, ſed principem τάξιν, ut in noſtro atramentario, occupaſſe oſtendam, & res fere ad ἀπόδειξιν accedet. Et conquerendum mihi eſt de Allatio in diſsert. de dominic. & hebdomadib. Græcor. a quo plurimum opis ſperabam, de hoc dierum negotio vix pauca attigiſse, ſed vix tolerando labore totum ad hebdomadas Chriſtianorum deſciviſſe.

Primum teſtem advoco Petrum Alexandrinum in Iſagoge Apoteleſmat.

Digitized by Google

mat. Περὶ τοῦ πολεύοντος, καὶ διέποντος, *de planeta poſſidente, & adminiſtrante:* Ὁ αὐτὸς ἀςὴρ (Κρόνος) κύριος τῆς ἡμέρας γίνεται, καὶ πολεύει ὅλην τὴν ἡμέραν· τὴν α ὥραν αὐτὸς πολεύων, καὶ διέπων· τὴν β παραδίδωσι τῷ ♃, καὶ λέγομεν τὴν β ὥραν, ♄ πολεύοντος, καὶ ♃ διέποντος, *ipſe* (Saturnus) *dominus eſt diei, & poſſidet omnem diem; quin & horam primam non ſolum, ut dominus poſſidet, verum etiam ſibi ipſi regiminis miniſteria præſtat; ſecundam vero horam tradit Jovi, & dicimus horam ſecundam, poſſidente quidem, & dominante Saturno, ſed miniſterium præſtante, & procurante Jove.* Vides jam Petrum, quicumque is fuerit, veterem diſciplinam nobis obtrudere de dominio planetarum in dies ſeptem, & contra de horarum ſervitio, & miniſterio ſideri diurno exhibito; quæ ambo ut explicet, bene admodum ab primo hebdomadis die incipit, a Saturno ſcilicet; etenim ſi Saturnus ultimus dies audiſſet, ſane ἄλογον, atque ineptum ſe probaſſet Petrus hic Alex. qui haſce aſtrologicas nænias venditans ab ultimo, non a primo, uti ratio ordinis jure poſtulat, occæpiſſet. Neque reponas hic Saturnum accipi, uti primum aſtrum, non vero ut diem principem, nam reponam Petrum hunc Alex. apertiſſime accipere ſeptena iſthæc aſtra quoad dierum rationem, non vero quoad cæli ordinem, ait ſiquidem Saturnum *regere omnem diem* κύριον, καὶ πολιτεύοντα ὅλην τὴν ἡμέραν.

Verum mihi ſuperſunt locupletiora teſtimonia, quorum ope Solem a primo loco deturbem, licet longiſſimo tempore adverſus Saturnum patrem contra jus faſque invaſerit: Tertull. Apolog. c. *16.* p. 17. an. 1641. gentes Chriſtianis convicia ingerentes ita alloquitur: *Æque, ſi die Solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione Solis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui die Saturni otio, & victui decernunt, exorbitantes & ipſi ab Judæorum more, quem ignorant:* fatetur propalam hic Tertullianus Chriſtianos diem Solis, ſive dominicum ſancte celebrantes ſecundo loco, i. e. unico die ab eo, qui Saturni eſt, ab ethnicis diſcrepare; igitur ſi gentes in hujus principis planetæ feſto uno die Chriſtianos prævertebant, neceſſe eſt Saturnum ἀμέσως diei Solis anteiviſſe, ut primum, non ut ſeptimum; tunc etenim dixiſſet Tertullianus *ſeptimo loco diſtamus;* noverat ipſe ob religionem dominicæ reſurrectionis Sabbatum, ſeu Saturni diem hebdomadis principem, quo otio, & victui indulgebatur, in ſacratius feſtum immutatum, tranſlatumque in ſubſequentem Solis diem, quo mortis victor Chriſtus dominus ab inferis emerſit: & nemo aſſereret in præſenti dierum enumeratione, in queis Solis primus eſt, ordine ὀπισθοπόρῳ, Saturni, & Veneris dies ſecundo, & tertio loco ab Sole abeſſe, ſed ſexto, & ſeptimo diſtare. Tertullianus ipſe majorem lucem ſibi præſtat in opere ad Nation. lib. 1. c. 13. p. *39. Vos certe eſtis, qui etiam in laterculum ſeptem Deorum Solem recepiſtis, & ex diebus ipſorum prælegiſtis,* (i. e. Saturnum primum dierum elegiſtis, ea enim eſt vis τοῦ *prælegiſtis,*) *quo die . . . otium, & prandium curetis . . . Quare ut ab exceſſu revertar, qui Solem, & diem ejus nobis exprobratis, agnoſcite*

Digitized by Google

vicinitatem ; non longe a Saturno , & Sabbatis veſtris ſumus . Vides jam gentes fixiſſe primum diem hebdomadis ſub Saturni tutela , quare jure morem ſui temporis expreſſit noſtri atramentarii artifex , cum hunc Deum prima ſede donarit.

Verum ex profanis ipſis hiſtoricis rem robuſtius, imo παντελῶς firmemus, quos nullus neget probe ſeriem dialium Deorum calluiſſe: porro veluti magnus Apollo mihi ſit Dio Caſſius, qui docte, atque apertiſſime horum aſtrorum τάξιν deſcribit, Solique ſecundum diem, & tertium Lunæ ab Saturno planetarum duce conſecrat pag. 124. edit. Reimari : Τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν, καὶ ἐκείνην μὲν τῷ Κρόνῳ διδοὺς, τὴν δὲ ἔπειτα τῷ Διῒ, καὶ τρίτην Ἄρει, τετάρτην Ἡλίῳ, πέμπτην Ἀφροδίτῃ, ἕκτην Ἑρμῇ, καὶ ἑβδόμην Σελήνῃ, κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων, καθ' ἣν οἱ Αἰγύπτιοι τοιαύτην (Reimarus αὐτὴν) νομίζουσι, καὶ τοῦτο καὶ αὖθις ποιήσας· πάσας γὰρ οὕτως τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσιν ὥρας περιελθὼν εὑρήσεις τὴν πρώτην τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ὥραν ἐς τὸν Ἥλιον ἀφικνουμένην· καὶ τοῦτο ἐπ' ἐκείνων τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τοῖς πρόσθεν λόγον πράξας, τῇ Σελήνῃ τὴν πρώτην τῆς τρίτης ἡμέρας ὥραν ἀναθήσεις· καὶ (Reim. κἂν) οὕτω καὶ διὰ τῶν λοιπῶν πορεύῃ τὸν προσήκοντα ἑαυτῇ Θεὸν ἑκάστη ἡμέρα λήψεται· ταῦτα μὲν οὕτω παραδέδοται. *Horas tam diei, quam noctis a prima enumerare incipiens, & primam illam Saturno attribuens, ſecundam Jovi, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, ſextam Mercurio, & Lunæ ſeptimam ſecundum ordinem orbium, quem Ægyptii definiunt, & hoc aliquoties faciendo, ubi ita per omnes quatuor & viginti horas circumiveris, primam ſubſequentis diei horam Soli obtingere invenies: & idipſum per eaſdem quatuor & viginti horas ſecundum ſuperiorem rationem faciens, Lunæ primam tertiæ diei horam ſacrabis : atque hoc pacto ſi reliquas excurreris, congruentem ſibi Deum quælibet dies accipiet: atque hæc quidem ita nobis tradita ſunt.* Prolixiorem locum appoſui, ad eorum, quæ dicimus, meliorem intelligentiam, & ut cogites Dionem negotium planetarum ſerio egiſſe : vides jam Soli aſſignari primam horam ἐπιούσης ἡμέρας, *ſequentis diei* poſt Saturnum, & Lunæ primam τῆς τρίτης ἡμέρας, *diei tertiæ ;* notumque eſt ex hac computandi ratione Deum, cui prima ſacratur diei hora, regere ſolidum diem, uti belle expreſſit Petrus Alex. nuper laudatus, ὅλην ἡμέραν πολεύειν. Agendæque gratiæ Dioni, qui cum Regio atramentario conjurat; etenim intuemur Auroram, ſive Solem ſecundæ vaſculi faciei affixum, & Lunam tertiæ, & primæ Saturnum regem, ita ut omnium extima ſit Venus. Nullus igitur poſthac artifici iraſcatur, tanquam dierum hebdomadis ignariſſimo; ſed noſtri ævi Scriptorum ſtuporem caſtiget, qui veterum teſtimonia incurioſi lectitarunt, & neſcio qua injuria Jovi, non Saturno dierum, ac Deorum patri principem in hebdomade ſedem tribuerint. Liceat mihi hic mirari, Reimarum litterarum Græcarum opibus florentiſſimum in ſelectis in Dionem adnotationibus non pauca de planetis apponere ex Selde-

Seldeno præſertim corrogata, atque laudare bene multos, qui de hac Deorum ſerie ſcripſerunt, nihil de Saturno hebdomadis primipilo ſuſpicatum eſſe, licet hunc Deum aperte ſeptenorum numinum dialium ducem dicat Caſſius: valuit enim apud ſummum virum perquam ingens numerus Scriptorum pro Jovis principatu jurantium, ut tantam a Dione lucem pro Saturno ἑβδομαγέτῃ intueri haud ſatis fuerit.

v. Porro ut rem perpetua conſtantia roboremus, marmorum, atque æneorum monumentorum ope firmanda eſt: porro ab temporis malignitate, & ab quorundam hominum contra pretioſiſſimas vetuſtatis gazas furore ſervatum eſt æneum vaſculum in cimeliarchio Domini Bon ex primis ſenatoribus in Fiſci regii curia Monſpelienſi, quod inſtar ſcaphæ exiguæ eſt, geſtatque ſeptem dierum Deos eadem τάξει & ordine, quo viſuntur in hoc Regio atramentario, atque agmen ducit Saturnus: Montfauconius, qui hanc margaritis contra cariorem ſupellectilem in lucem protulit in Antiq. explan. ſupplem. tom. 1. pag. 37. ſchem. 17. in hujus cimelii admirationem rapitur, atque inquit, *nuſquam ſimile cimelium ſe vidiſſe hactenus;* ac longe præſtantius eſt vaſculum noſtrum, ubi non protomæ planetarum, ſed hi omni parte perfecti, argenteique renident. Aggerit vir clariſſimus ad illuſtrandam naviculam Diis onuſtam vulgaria quæque, & quæ ad rem ſanequam parum faciunt; nam totus eſt in icunculis deſignandis, quæ ſunt vel tironibus notæ; de hebdomade, & ordine ſiderum parum ſollicitus, curſimque notat; *Veteres, ut videtur, a Saturno hebdomadam incipiebant*, & quod certum eſt, dubii plenus profert; & miror teſtem vocare Dionis locum pro Jovis principatu, qui luce clarius aſſerit Soli ſecundum, tertium Lunæ diem ſacraſſe veteres; recte igitur ex hac ærea ſcaphula concludam firmari magis magiſque ethnicos dialibus Diis præfeciſſe Saturnum, & hujus cimelii, & atramentarii artifices bene conſpiraſſe, ut-



pote temporum mores expreſſerant. Ecce tibi ſchema; cui autem uſui foret iſthæc navicula, inferne ſuo loco apponam, quando de noſtri atra-

Digitized by Google

mentarii domino ſermo mihi obtigerit; in præſenti paucis accipe rationes, cur hæc numina ſcaphula convehantur, quod pro ſui ratione inſtituti præſtare debuerat Montſauconius: atque iterum querelæ mihi ſunt de magno Reimaro ad hoc cimelium ibidem provocante, attamen ea de re nihil legentes docuiſſe me piget.

Hæc in cl. Montſauconium vix exſcripſeram, cum legenti mihi, ut moris eſt, Athenæi libros, obvia facta eſt vera hujus cimelii interpretatio, & ſcaphulam hanc ſeptem planetarum in poculum inverti jubeo, facem mihi præferente Caſaubono in animadv. in Athen. pag. 789. & 790. qui porro, exquiſita tum ſacra, tum profana ex variis Scriptoribus corraſa ſupellectile, inquit finxiſſe olim veteres Herculem poculo pro navi uſum fuiſſe: Solem etiam ad occidentem ab oriente vehi poculo, ſive cymba; nam olim utriuſque linguæ Scriptores eodem cymbæ nomine, & figura poculum donarunt, & navigium: inde etiam ortum eſſe ait Caſaubonus philoſophos de Sole, & Luna diſputantes nomen *diſci* uſurpare. Cumque vir ſummus bene multa de navigio Solis, & Lunæ aggeſſiſſet, tandem concludit: *Cum didiciſſent antiquiſſimi mortalium, vel e libris Moſis, vel e ſermonibus majorum Spiritum Dei incubare ſuper aquas, veritatem hanc miris commentis deformarunt.... Quam ob cauſam Ægyptii Dæmonas, Solem, & cæleſtia corpora alia, ut navigio vecta pingebant:* profertque locum Porphyrii de antro Nympharum: Νύμφας δὲ Ναΐδας λέγομεν, καὶ τὰς τῶν ὑδάτων προεστώσας δυνάμεις ἰδίως· ἔλεγον δὲ καὶ τὰς εἰς γένεσιν κατιούσας ψυχὰς κοινῶς ἁπάσας· ἡγοῦντο γὰρ προσιζάνειν τῷ ὕδατι τὰς ψυχὰς θεοπνόῳ ὄντι, ὥς φησιν ὁ Νουμήνιος διὰ τοῦτο λέγων καὶ τὸν Προφήτην (Moſem intellige) εἰρηκέναι ἐμφέρεσθαι ἐπάνω τοῦ ὕδατος Θεοῦ πνεῦμα. Τούς τε Αἰγυπτίους διὰ τοῦτο καὶ τοὺς Δαίμονας ἅπαντας οὐχ ἑστάναι ἐπὶ στερεοῦ, ἀλλὰ πάντας ἐπὶ πλοίου, καὶ τὸν Ἥλιον, καὶ ὅμως πάντας· huc uſque Caſaubonus exſcripſit Græca Porphyrii, reliqua ad rem apprime conducentia poſthabuit vir ἑλληνικώτατος, utpote fœde corrupta ab amanuenſibus, ſcilicet, οὕς τινας εἰδέναι χρὴ τὰς ψυχὰς ἐπιποτωμένας τῷ ὑγρῷ τὰς εἰς γένεσιν κατιούσας· apponam Lucæ Holſtenii interpretationem, qui neque librariorum oſcitantiam advertit, quare poſtrema ejus verba nullam præſeferunt ſententiam: *Nymphas vero Naidas proprie vocamus virtutes aquis præſides, ſed & communiter omnes animas generationem ſubeuntes appellabant; quas aquæ, quæ divino Spiritu ſovetur, aſſidere putabant, ut ait Numenius: ideoque Prophetam dixiſſe Spiritum Dei ferri ſuper aquas. Ægyptios quoque hanc ob cauſam omnes Dæmones non in ſolido ſtabilique ſtatuere, ſed ſuper navigium: ipſum quoque Solem, & omnes omnino, quos animas in generationem deſcendentes humore invadere ſciendum eſt.* Vides jam poſtrema verba tum Græce, tum Latine ne Œdipodem quidem divinaturum; & primum miror Holſtenium ὅμως fudiſſe in *omnino* pro *pariter*: deinde ἐπιποτωμένας τῷ ὑγρῷ τὰς εἰς γένεσιν κατιούσας vertiſſe *in generationem deſcendentes humore inva-*

invadere pro *animas ad generandum deſcendentes in humido volitare*. Verum nodus omnis hæret in voculis ὅς τινας, quæ mentem Porphyrii, & ſententiæ vim omnino occultant: eas facile, & minima mutatione & Holſtenius, & Caſaubonus in genuinam veramque vocem reſtituere potuiſſent, ideſt ἀστέρας, quos neceſſario cum τ̃ Ἥλιον conjunxerat Porphyrius; quare poſt ἀστέρας apponenda eſt πλεία στιγμή· & ita vertendum: *Ægyptios quoque hanc ob cauſam dæmônas omnes non in ſolido ſtabilique ſtatuerunt, ſed univerſos ſuper navigium; & Solem ipſum, & ſimul omnes planetas;* & adjecta στιγμῇ, *Scire oportet animas in humido volitantes ad generandum invadere*. Atque ita mens Porphyrii ſibi conſtat, ac ima ſummis belle reſpondent. Caſaubonus nodum intercidit verba Porphyrii dimidiata apponens, cum ſexcenta his ſalebroſiora ubique confingat, explanetque.

Sed ad æneam noſtram ſive cymbam, ſive potius poculum redeamus: & primo conquerendum eſt Montſauconium virum miræ lectionis hunc famoſum Porphyrii locum latitaſſe, atque doctas non vidiſſe Caſauboni animadverſiones, quæ hoc cimelion quanquam aſtris onuſtum luce multa offundunt. Inde pro re certa habes artificem hujus ǽnei vaſculi theologicis gentium, & Ægyptiorum deliramentis fucum facientem expreſſiſſe ſeptem planetas omnes in cymbula, & per aquas vectos: eamque fabellam effictam eſſe, & male detortam ex veris ſanctorum librorum oraculis, docente id nos Numenio Pythagoricæ hæreſeωs filio: quare poſthac nullus dubito, quin quiſque fateatur certum hujus metallicæ ſcaphulæ, aut poculi interpretamentum, mentemque artificis.

Præterea longe miratus ſum tot tantoſque viros orientalium litterarum gaza ditiſſimos, cum ſacram geneſin perpetuis commentariis oneraſſent, ad illuſtrandum verſum 2. cap. 1. hunc Porphyrii locum minime uſurpaſſe; atque haud ſcio, cur hæc περιθρύλλητα verba præſertim ὕδωρ θεόπνοον, atque πνεῦμα Θεῦ ἐμφέρεται ἐπάνω τῦ ὕδατος ab Numenio non exiguæ vetuſtatis philoſopho a Moſe exſcripta minime accurarint, quæ ſane pluris æſtimanda reor, quam illa bene multa, quæ ex ethnica philoſophia, & poeſi ad eum locum explanandum aggeſta ſunt a Grotio, Clerico, & Calmetio, &c. vid. etiam crit. ſacr. imo vox obſcuritatis, & contentionis plena מרחפת, ἐπεφέρετο, *ferebatur*, συνέθαλπε *incubabat*, *inſufflabat*, *ſupervectabatur*, *&c.* ex Numenio multum lucis mutuaretur; ſicuti etiam verba Jobi 9. 8. *Qui* (Deus) *graditur ſuper fluctus maris*. Verum hæc in præſenti penſi mei non ſunt; ſatis mihi ſit æneam cymbam planetis onuſtam cum Deorum Regii atramentarii τάξει opportune comparaſſe; & cur in poculo, vel ſcaphula vectentur, divinaſſe. Venia hic mihi ſit, ſi conquerar de Paſſerium πολυΐστορα, qui in nunquam affatim laudanda diatriba de Tranſvectione animarum multa de equis eas convectantibus ab aliis jam occupata protulit, nihil vero de cymba, ſive poculo, & maritima tranſvectione ediſſeruiſſe; vide hujus ἐξοχωτάτυ viri to. 3. de gemmis aſtriferis. Demum ne mihi tandiu obſtrepent quidam minuti

inge-

ingenii eccleſiaſtici viri, & futile inclament, & levidenſe verſare profana exemplaria, & monumenta, ſi ex eiſdem tantum lucis hauriamus ad firmanda, & honeſtanda ſanctorum voluminum oracula.

VI. Sed marmora inviſamus, nam huic ſententiæ meæ adſerentis Saturnum eſſe principem dierum ſors arridet undique. Liber m. ſc. exſtat in bibliotheca S. Victoris Pariſien. qui fuerat viri undequaque cl. Peireſchii; in hoc cernere eſt depictum fragmentum fortaſſe non exigui lapidis ornatum monſtroſo venti capite: deinde circuli partem inſpicies cum planetis dialibus, ſed ordine alterno diſpoſitis, ſcilicet Saturnus ſuperne, in primaque ſede, inferne Apollo, ſive Sol; ſuperne Luna, inferne Mars: inde eodem ordine Mercurius, & Jupiter cornutus: ſuperno, extremoque loco Venus. Hoc ſchema idem Montfauconius in ſupplem. antiq. tom. I. pag. 48. minus curate interpretatur, ſibique indulget artificem quatuor planetas, uno ſemper intermedio relicto, ad arbitrium ſcalpſiſſe; tria autem inferna numina eſſe duo zodiaci ſigna, Geminos ſcil. puellos, & partem capitis Tauri; quod curſim intuenti facile imponeret. Sed contra eſt, nam nihil mihi ſuccurrit, cur terna illa numina poſthabuerit artifex, præſertim pulcherrimum omnium planetarum Solem, Jovem Deorum maximum, Martemque formidandum. Verum primus ille adoleſcens Apol-



lo eſt coma pingui, cujus proprium προσθετὸν eſt *crinitus*, & apud Hom. Il. υ. v. 39. & in hymn. v. 134. Φοῖβος ἀκερσεκόμης· Anthol. lib. 5. ἀχαίτης· Pind. Olymp. od. ς. ἐπῳδ. β. ſalutatur χρυσοκόμας· & Pith. od. β. ἀντιστρ. α audit χρυσοχαίτας· & paſſim apud poetas idem Deus dicitur χαιτήεις. Sed nemo elegantius ejus crines deſcribit, quam Callimachus in hym. v. 39. & ſeqq. quos legas rogo; eoſque Tibullus lib. 3. el. 4. v. 27. contraxiſſe videtur: *Intonſi crines longa cervice fluebant, Stillabat Tyrio myrrhea rore coma;* ſcis autem crines eſſe radios. Altera icuncula Mars eſt, cujus

caput

caput vel leonis pelle tegitur, uti qui marmor delineavit, expreſſit, vel galea eſt hujus belluæ capitis inſtar; ceterum, nemo unus unquam ſignum Geminorum ad armati herois exemplar exhibuit, vide ipſum Montfauconium, qui non unam zodiaci figuram in lucem protulit. Tertiæ vero imagunculæ pars admodum manca & mutila ne te turbet, cum videas cornua, & longiuſculas aures; quovis enim pignore decernam illum eſſe Jovem, non Taurum; etenim haud dubius ſum, quin pictor intuitus in fracto marmore partem cornutæ faciei, nihil de Jove Ammone quidquam cogitaverit, ſed a cornibus deceptus de ſuo auriculas extenderit, & altera vice hunc Deorum patrem in bovem converſum nobis conſpiciendum obtulerit. Præterea ut noſcas has ternas icunculas ad zodiacum non ſpectare, circulum γεωμετρικῶς compleas, ſemidiametrum quatuor pollicibus æqualem habebis; eademque ratione ac diſtantia, qua Gemini a Tauro abſunt, reliqua dena ſigna depingas, plurimum vacui ſpatii ſupererit; cum contra ſciamus hæc ζῶα æqua ſede ſita deſcribi, totamque orbitam opplere, exempla proſtant in nummis, gemmiſque, in queis zodiacum inviſimus, vid. ſeq. pag. 344.

Verum ut ſtabiliam ſolidius tertiam infernam figuram eſſe Jovem cornutum, conſtat mihi ex gemma, ut cetera miſſa faciam monumenta, quam Montfauconius depingendam curavit tom. 2. par. 1. p. 244. ſchema



pag. 245. in ejuſque explanatione, quæ opinionum monſtra ſuborta ſint, puduit Montfauconium facere palam; plures tamen, & bene longas diatribas totam ἀρχαιολόγων Gallorum gentem exantlaſſe fatetur; tandem divinationem ſuam tanquam ex cortina deprompſit, & ab Academiæ litteratis viris probatam enormi Antiquitatum operi illevit, ſibique tanquam Œdipo modeſte indulget, ex ea ſummam laudem partum iri ratus: ſed, ut verum fatear, ipſe cælum terræ miſcet; tanti viri conjectationem hilaritatis ergo adſcribendam exputo; mox ipſe veram ſcalptoris mentem ἄνευ βασκανίας indicabo. Senile caput velatum jubet Montfauconius eſſe M. Aurelium imp. ſacrificantis ritu; globulum ſupra frontem fixum pro mundo habet, etenim in artificis dextra apponendi locus non erat; & inſtrumentum illud, quod retro cernitur, Plutonium eſſe ait, ſed ob loci brevitatem minime diſtingui. Aſſerit deinde caput illud cornutum ab M. Aurelii regione non Jovem Ammonem, ſed Æſculapium fingi, cum cornua illa ſint arietina, Jovis autem contorta, atque alio ſitu, & queritur ea ſibi negotium faceſſere; concluditque περὶ κεράτων arcanum quid ſibi eſſe. Tertium caput clypeo renidens edicit Romam urbem repræ-
ſen-

ſentare, provocatque nos ad numiſmata: quæ ſub Roma exſtat mulieris icuncula, famoſa M. Aurelii conjux Fauſtina, quæ ſuis notis indiciiſque ſe prodit. In extremo capite vidit ipſe Hygiam, uti ex ſerpente baculum circumcingente arguitur: atque Baudelotio, qui inter ceteros circa hujus gemmæ *μανθείων* ſatis diu laboravit, caduceum interpretanti Montfauconius illud clare non exprimi opponit. Demum pro figura, quæ in gemmæ medio ſtat, grandior arcum ſagittamque ſtringens, neſcio, quæ de centauro pronuntiat; deinde aſtrum, quod in ejus capite lucet, optat eſſe Sagittarii cæleſtis ſignum; ſed lunulæ creſcentis, ſive cornutæ obliviosiſſimus eſt, fortaſſe etiam ſibi negotium faceſſebat.

His animadverſis, ad mutam hanc hiſtoriam aggreditur, quam ne tædium creem, paucis dabo. Graſſante Romæ ſub M. Aurelio lue pertinaciſſima, ut ex Capitolino cap. 13. habetur, imperatorem ſacrificantis more Æſculapio, & Fauſtinam conjugem Deæ Hygiæ vota feciſſe credendum eſſe jubet; eaque de re ſcalptor duos auguſtos e regione amborum numinum incidit; Romæque imaginem appoſuit artifex, ut in ea urbe principe fœde, atque affatim tantam calamitatem deſæviſſe ſciatur: mox *ἀκαίρως* omnem fere Æſculapii virtutem, ejuſque ſtatuæ Romam advectæ hiſtoriam, & Hygiæ (ipſe autem Hygieam vocat) filiæ *Θεῶν σωτήρων* poteſtatem exaggerat. Demum Sagittarium adnotare ait, id ſacrificium votumque Novembri menſe, cui hoc *ζώδιον* præſidet, celebratum pro lue averruncanda. Hæc ſumma fide, quanquam contractiori ſtilo ex plurimis Montfauconii verbis, ipſe enim *περίλαλ@* eſt, & ſermonis perquam largus, collegi. Sane ſi hujus gemmæ ſculptor ab elyſiis ad nos adreperet, atque hoc præceps, & ſibi prorſus *ἀπρονόητον* doctiſſimi viri judicium inaudiret, haud ſane ferret gemmam ſuam infaceto mendacio inquinatam, & magica *μεταμορφῶσει* Deos ambos Martem, & Mercurium in feminas commutatos; nullamque ſe hic hiſtoriam deſignaſſe juraret; ſed ſolummodo vultus, & ſymbola tironibus notiſſima ſeptem planetarum.

Porro jam grande operæ pretium reor, ut ipſe dem gemmæ divinationem: & profecto vides jam in ſene illo velato Saturnum: nihil Plutonii retro geſtantem, ſed falcem recurvam, & ſupra frontem mundum, quem, cum hoc numen partibus omnibus abſolutum expreſſere veteres, manibus appoſuere; exſtat inter monumenta Brixienſia Saturni ſtatua in Hermæ modum deſinens etiam coronati, barba demiſſa, ipſeque Montfauconius globum, quem manibus illa regit, mundum interpretatur; ejuſdemque numinis caput frequens eſt in nummis conſularibus cum falce retro adjecta; inviſas Morellium pag. 294. & Vaillantium famil. Rom. to. 2. pag. 170. in Nonia, quod Urſinus interpretatur *Jovem propugnatorem*, Vaillantius, & Morellius *Ditem*, Spanhemius in P. N. to. 2. pag. 160. ſilentio præterit omnia; verum aſtrifera hac gemma duce Saturnum dicas, nam in tertio hujus familiæ nummo vides Ditem duobus remis ornatum ob Charontis cymbam.

Sol

Digitized by Google


Sol relucet in aſtro, quod pone caput Arcitenentis eſt. Inſequitur Jovis ſidus cornibus caprinis erectis, quæ artificis libertas fuit, neque in iis μυστηριώδεις quid latet: neque uni Jovi caprina, licet ſæpius hircina habuerit, cornua data ſunt, verum etiam uxori Junoni, quæ Ammonia dicta eſt, κεροπρόσωπος, imo & αἰγοκέρως, ejuſque effigiem multiplicem vides in denariis gentis Papiæ, Prociliæ, & Roſciæ apud Morell. &c. atque apud Goltium in nummo Pyliorum p. 317. Et Cicero hanc Deam etiam caprina pelle exornat lib. 1. de nat. Deor. cap. 19. Quam varia ſint cornua caprina, adi Spanhem. to. 2. pag. 199. de P. N. Mars luculentiſſime renidet. Hoc ſubter Venus, e cujus regione cum caduceo ſuo Mercurius facile ſe prodit. Septimum luminare Lunam nemo non videt. Apponendum curavit gemmæ poſſeſſor ſidus Arcitenentis, ſub quo fortaſſe ei naſci contigit; notum eſt quanto religionis ſtudio hanc Chaldæam, & genethliacam artem proſecuti ſint veteres, & ὑπερακριβῶς genituram obſervarint; indeque fatorum ſuorum ſeriem divinabant, quam ſi bonam mathematici, atque ὡροσκοποῦντες interpretarentur, thema natalitii ſideris fauſtum in gemmis incidebant, eoque ſæpe nummos feriebant; quare de Auguſto cap. 94. tritum eſt, quod narrat Suetonius, & ad rem appoſitiſſimum: *Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit*; quem refert Vaillantius tom. 1. pag. 3. edit. Romanæ. De turbis eruditorum de hoc Auguſti Capricorno vide Spanhem. to. 1. p. 237. de P. N. alioſque ea de re nuperos νομισματογράφους. Itaque ſicuti Auguſtus in nummis, ut horoſcopo ſuo fucum faceret, Capricornum, ita hujus gemmæ poſſeſſor Arcitenentem genituræ ſuæ patronum ſcalpere juſſit; propterea in ea hoc aſtrum omni parte completum effulget, & medium, honeſtioremque locum tenet, aliorum planetarum vel ſolas προτομάς vides, vel notas, ut Lunæ, & Solis, quos ſeptem omnes genethliaco ſideri, ut adminiſtros apponendos voluit. Veteres affectionem cæli natalitiam nimium coluiſſe ubique veterum Scriptorum proſtat: qui mos ſive κακοήθεια natalitium thema inſpectandi ab Ægyptiis derivavit, teſte Herod. lib. 2. frag. 82. Τὰ δὲ ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐστὶ ἐξευρημένα· μεὶς τε, καὶ ἡμέρη ἑκάστη Θεῶν, ὅτευ ἐστὶ, καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ποῖσι ἐγκυρήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται. Verum ſequioribus ſæculis eo crevit fides aſtris, ut aſtrologos etiam de fato urbium conſulerent, ut de Roma veteri narrat Cenſorinus c. 17. & Conſtantinum aug. idipſum egiſſe de nova refert Zonaras to. 3. pag. 7. quod de Chriſtiano principe vix credam.

Poſthac nihil dubii relinquitur, quin gemmæ artifex de planetis ſolummodo cogitaverit, cum primiſque de natalitio ſidere Sagittario; ceteraſque conjectiones ne dicas ἀρχαιολόγων judicia, ſed delirantium ſomnia, qui Deos in homines convertunt, inque feminas viros. Et redeundum, unde aliquanto longius divertimus, ad Peireſchianum ſcil. marmor dialium planetarum; ſi aſtriferæ huic gemmæ Jovem cornutum certo reſtituimus,

Digitized by Google

nemo unus miretur, ſi in laudato ſaxo ſeptem Deorum etiam cornibus florens idem numen ſiſtamus, bovemque deturbemus, ut omnium dialium numinum communitas minime ſcindatur; & plurimum debere me fateor τῷ πάνυ Peireſchio, qui planetarium hoc fragmentum gemma Indica carius in membranis ſuis expreſſit, & Montfauconio, qui maximo deinde operi Antiquitatum adjecit; etenim uti in noſtro atramentario, ita in hoc mutilo lapide Saturnus pater aſſidet primus, teſtatiſſimumque facit veteres ab eo, non ab Sole ἑβδοματικοὺς dies inceptaſſe.

VII. Addam demum lucernam, quam ſat elegantem affert to. I. pag. 21. Jo. Bapt. Paſſerius ὁ πολύγλωττος, atque grande Italiæ noſtræ decus, in qua ſunt ſepteni planetæ quoad hebdomadis τάξιν appoſiti, inque medio terra; cumque in circulo diſpoſitos videas, ignorabatur antehac, unde Dii initium ſumerent, vel potius antequam Regium hoc atramentarium nos Saturnum principem eſſe docuiſſet, univerſi ἀρχαιολόγοι Soli τὸ πρωτεῖον facile indulgebant; verum ex tot ſcriptis, ac figuratis monumentis, quæ ſuperne dedimus, quiſque πρωτοστάτην in hac lucerna Saturnum lubens ſalutaturus eſt. Paſſerius in id vaſculum nihil, quod lucernam oleat, adnotavit, præter iſthæc verba: *Uſum computandi per hebdomada tempora minime antiquum eſſe apud Romanos*; quæ quidem multum difficultatis patiuntur, & qua de temporum vetuſtate ſermo ei ſit, ignoramus. Præterea jam multis pag. 308. præſtiti ſane quam diverſum eſſe dierum hebdomada planetis dedicare, ac ab his eandem nuncupare, & illud quidem ſatis vetuſtum, hoc ſolummodo Chriſtianorum, & po-



& poſterioris etiam ætatis fuiſſe jam dedi; quare non inde quis colligat lucernam hanc minime antiquitate ſpectabilem, cum ſacrandi dies his aſtris Dionis Caſſii ævo jam mos patrius evaſerat. Ceterum de hoc cimelio, quando verba de noſtræ thecæ calamariæ poſſeſſore mihi factitanda ſunt, quædam etiam addam. Jure appoſita eſt in vaſculi hujus centro Veſtæ, ſive Terræ icuncula; etenim notum eſt planetas audiviſſe κοσμοκράτορας, & ſane κόσμος præcipue pro *terræ habitatoribus* adhibetur, quod vel a lexicis tenes.

Vides jam præter Dionis Caſſii, Tertulliani, & Petri Alex. auctoritates, marmorea etiam monumenta, & ex ære ſcapham, & lucernam, præter Regium hoc vaſculum atramentarium una conſpiraſſe, ut quidquid præjudicati in animis etiam doctiſſimorum virorum inveteravit de Sole principe hebdomadis, funditus evelleretur; & nunc ſtoliditatis arceſſendus, ſi quis hujus notæ, & roboris, tantæque vetuſtatis teſtimoniis antiqui erroris tenax minime obſequatur; ſcio etenim ferire ingenia res quaſdam ἀναλπίςους, & nunquam prævidas; pigetque perdenda fateri, quæ ad ſenium uſque edocti ſunt homines, præſertim ſi ſatis diu ſapientum virorum nomine, & fide innixa viguerint, uti planetarius ordo dierum eſt, qui ab Sole initium ſumere cenſebatur; nunc denique ab Saturno eorundem τάξιν cæptam definimus, poſthabita magnorum Scriptorum contra ſentientium fama: nec Seldenum curamus, (ut Scaligerum, & Petavium taceam), qui ut ceteri Saturnum ad imam ſedem rejecit, licet de re planetaria diali peregrina, & ſelecta quæque congeſſerit; hic etenim in cap. 20. probandum ſumma ope aggreditur: *Orbis dierum hebdomatici conſtans apud veteres initium in die Solis, quale hodie manet;* verum ſi totum hoc caput ad tædium longiſſimum attente legas, omnia docte involuta invenies, & nihil concocta; quæ ut a me apte digererentur, ac componerentur, diu adlaboratum eſt.

VIII. Age cum Seldeno de re planetaria benemerentiſſimo decertemus, qui in omni cap. 20. laudati operis totus eſt, ut Solem hebdomadis principem, uti vulgo creditum eſt, ſtabiliat firmetque; verum ſocios ſibi adſcivit nullius pretii, & ævi inficeti, veluti Vettium Valentem, qui primas agit, Philaſtrium, & Auſonium; cum nos pro Saturno, præter ceteros, atque ænea, & marmorea monumenta, ſtitimus Dionem Caſſium in hiſtoria primipilum, & bonæ ætatis. Et quidem Vettium probat H. Dodwellus in diſſ. de tabulis cæli, quam legas in fin. to. I. ſpicilegii Patrum p. 431. adnotaſſe obſervationes aſtrologicas æræ Diocletiani anno 160. & Chriſti 444. recentiores, ita ut Vettius longe junior ſit Conſtantini tempeſtate, qua vixiſſe videtur Seldeno. Fortaſſe etiam tempore multo ſequiore eum ſcripſiſſe inveniremus, ſi ejus opus, quod m. ſc. in non unis bibliothecis ſervatur, typis editum evolveremus; quare aſtrologi hujus circulatoris auctoritas nihili eſt contra felicioris tempeſtatis, & maximæ notæ Scriptores. Philaſtrium Brixienſem, qui in ordine die-

 rum

rum in libello de hæreſ. n. 111. Jovem Saturno anteponit, non curamus, cum norint omnes, quanto ſuaviſſimus auctor audiat. Tritum epigramma, in quo ἑβδοματικοὺς Deos Auſonius concluſit, divinoque illi parvo agmini præfecit Jovem, complectitur dierum ordinem, quoad Chriſtianorum ritum, qui pro admirandæ Chriſti reſurrectionis cultu, diem ſecundum hebdomadis, i. e. Solis, in primum converterunt; hinc mirum non futurum, ſi idipſum lectites alibi; invaluit enim adeo mos ita enumerandi dies, ut in oblivionem ethnicæ conſuetudinis omnes traxerit; ſiquidem ſatis ſuperque ratum firmumque oſtendimus ethnicos primas detuliſſe Saturno. Neque mihi opponas Solem appellari in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις v. 806. ab Æſchylo τ̃ σεμνὸν ἑβδομαγέτην, *venerandum ſeptem* (i. e. ſiderum) *moderatorem, ac principem*, præſertim cum Seldenus interpretetur pag. 447. *Sol veteribus* ἑβδομαγέτης *dicebatur, quoniam ſcil.* τ̃ ἑβδόμης *eſſet* ἡγέτης, *ſeu ſeptenarii tam in planetis, qua cælum tenent, quam in hebdomadica dierum denominatione princeps, dux, ſeu qui velut in exemplum præibat:* nam pace hujus doctiſſimi viri quæſitiſſima quæque εὐκαίρως ἀκαίρως colligentis reponam vocem ἑβδομαγέτης Soli adjectam ob Procli rationem, qui in Timæum Plat. c. 3. pag. 200. ait, *Soli* ἑπτάδα ἀνεῖσαν, ὡς συνέχοντι πάσας τὰς συμφωνίας . . . διὸ ϗ ἑβδομαγέτην ἐκάλουν τ̃ Θεόν, *ſeptenarium dedicarunt, tanquam complectenti univerſos concentus . . . quare & ſeptenarii moderatorem Deum vocarunt:* neque a media cæleſtium planetarum zona deturbandus eſt Sol, ut ſit ἑβδομαγέτης, cum inibi potentius, & ſede honeſtiori συμφωνίαν ſervat, & reliquorum ſex ſiderum moderatur vim luminis. Idipſum acceptum refero Tullio in ſomnio Scip. qui in heptazonii medio Solem ſiſtens ait: *Subter* (i. e. poſt terna ſuperna ſidera) *mediam fere regionem Sol obtinet, dux, princeps, & moderator luminum reliquorum. Hunc, ut comites conſequuntur Veneris alter, alter Mercurii, in infimoque orbe Luna;* vides igitur quanto apertiſſime in Rom. ſermonem verterit Cicero vocem ἑβδομαγέτης, & quam recte interpretetur, ut quiſque miretur potuiſſe in Seldeni mentem irrepere Solem etiam in ordine dierum eſſe ducem & principem Æſchyli auctoritate illud minime ajentis. Demum reliqua Seldeniana documenta contra Saturnum vere ἑβδομαγέτην quoad dierum & heptazonii τάξιν piget me pro tanti viri fama proferre, cum ex ſe quiſque noviſſe ſatis ſit ſubleſta eſſe, & detorta; veluti cum initio cap. 20. prompte adſtruat Dionem diem primum ἑβδοματικὸν ſacraſſe Soli, non Saturno, quod aperte contrarium vero eſt, ut ſupra bene multis evicimus, & pag. 429. ait Petrum Alex. ſibi etiam adſtipulari, cum locus hujus Scriptoris pro Saturno dierum principe luculentiſſimus ſit, vide p. 320. 321. Ceterum ſi Seldeno patuiſſent & atramentarium Regium, & quæ icones planetariæ prolatæ ſunt a Montfauconio, vir ſummus longe diverſa dubio procul ſenſiſſet; interim gratias habeo thecæ calamariæ artifici, qui in cauſa fuit, ut ab planetaria hac ignoratione nos excitaverit, & Sa-

turno

Digitized by Google

turno patri Deum prima & avita dierum reſtituta ſit ſedes.

IX. Ordo rei fert, ut non premam ſilentio, cur Veteres ſeriem planetarum turbarint, atque aliam τάξιν in cælo, aliam in deſignandis diebus edixerint; de prima nihil mea refert, cum atramentarium noſtrum ſideribus hebdomadis reluceat: quare non multum mihi ea de re laborandum fuiſſet, ſi unum Dionem Caſſium ducem auctoremque, qui rationes hujus inverſi ordinis teſtatas reliquit, ſequi cogerer; verum ab ejus ſententia licet boni ævi Scriptoris longe diſcedam, nam ab vulgari opinione facile trahi paſſus eſt. Porro venia mihi ſit quorundam virorum prius cogitata συντόμως elevare, inde ſtilo aliquanto uberiori Dioni animo lubenti me opponam; fortaſſe præſtabo dignum quid mente tua legentis: neque timeas, ne minora proferam, quam putes, nec plura, quam ſatis ſint.

Joſephus Scaliger lib. I. de emend. temp. pag. 8. novam rationem, cur cæleſtis ordo planetarum in illum hebdomadis inverſus ſit, excogitavit; ſeptem inſcripſit circulo triangula æquo ſpatio diſſita, unicuique vertici planetam, quoad cæleſtem ſeriem affixit, atque ex laterum oppoſitione planetarium ordinem dierum commentus eſt, quod in ſchemate facile inſpicies, cum ipſe ſidera non per notas, ſed per nomina diſtinxerim; hæc autem cauſa inverſorum planetarum cum nulli veterum auctoritati nixa ſit, nihili eſt, & tanquam ad luſum puerorum effiƈta; & non unum ſchema huic ſimile cudi poſſe norunt omnes; ipſe etiam per otium ſimplicius do, ut unicuique pateat Scaligerianam hypoteſin nihil ſani prſæerre: ſit heptagonum æquilaterum, in cujus angulis planetæ cæleſti ordine inſcribantur, ternæ lineæ eo modo ducantur, ut in ſchemate vides; nulla vero ad Saturni angulum extendatur, nam cum ultimus aſtrorum ſit, ne mini opponitur; (loquimur ſecundum præpoſteram Scaligeri, aliorumque ſententiam, qui ultimo dierum addicunt Saturnum:) vides jam perquam bene Solem Lunæ, Martem Mercurio, Jovem Veneri per reƈtas has lineolas* opponi, extremumque Saturnum, cum nulli adverſetur, veluti ſolitudine ac ſe-





ſeceſſu obleſtari ; quod confundit ſchema Scaligerianum . Sed faceſſant longe hæ germanæ gerræ.

Beda præterea cuivis incauto imponeret, nam ejus ratio navum quid, & induſtrium oſtentat; ita ut a Jo. Marshamo Canon. Chron. p.197. probetur; eam enim repetit Beda ex varia planetarum reliquorum luminibus, vicinitate, atque alternatione: *Hæc erat*, inquit de temp. rat. cap. 6. tom. 2. pag. 55. *ſtultitia gentilium falſa ratiocinatione ſubnixa, qui quaſi jure primam diem Soli, quia maximum eſt luminare; ſecundam Lunæ, quia ſecundum luminare eſt, ſe conſecrare putabant; & de inordinata alternatione tertiæ diei primam a Sole ſtellam* (Martem:) *quartæ primam a Luna* (Mercurium:) *quintæ ſecundam a Sole* (Jovem:) *ſextæ ſecundam a Luna* (Venerem:) *ſeptimæ tertiam a Sole* (Saturnum) *præponebant*; verum bonus Beda, ac venerabilis cum falſo innixus ſit fundamento, ejus haud inelegans commentum ſtatim ruinas edit; latebat enim ipſum utpote Chriſtianum ethnicos hebdomadis initium non a Sole, ſed a Saturno arceſſiviſſe; quare id genus aſtrorum *vicinitates*, atque *alternationes*, ſi Saturnus ſit dierum princeps, caſſæ ſunt ac inanes; nec te trahat Seldeni auctoritas pag. 445. ibid. cui valde quam arridet hæc Bedæ hypotheſis, nam oſtendi virum ſummum communi παροράματι abreptum Solem ἑβδομαγέτην conſtituiſſe. Miror ſane hoc lepidum Bedæ inventum planetarum nullumdum recentiorum mathematicorum conſuluiſſe, qui plerique omnes cum Dionea ſequenti harmonia conjurant.

x. Miſſis autem non ſolummodo Scaligeri aſtrorum triangulis principe litteratorum haud dignis, verum etiam fucoſo Bedæ commento, ad binas vetuſtiores Dionis Caſſii rationes aggredior; quarum unam repetit ex horarum regimine, & præfecturis, quas hos ſeptenos Deos habere confinxere aſtrologi; rem ipſam clarius a Dione, quam a recentioribus cognoſces to. 1. pag. 124. edit. Reimari: *Horas tam diei, quam noctis a prima enumerare incipias, ipſamque Saturno attribue, ſecundam Jovi, tertiam Marti, Soli quartam, Veneri quintam, ſextam Mercurio, Lunæque ſeptimam (ſecundum eum orbium ordinem, qualem Ægyptii definiunt;) hoc rurſus facto, & poſtquam ita omnes quatuor & viginti horas circumiveris, primam ſequentis diei horam ad Solem ſpectare invenies; atque idipſum etiam ſi circa illius horas quatuor & viginti, ut ante opereris, Lunæ primam tertiæ diei horam dicabis; atque hoc modo ſi per reliquos excurreris, ſinguli dies ſibi congruentem Deum nanciſcentur; hæc ſane ita traditione accepimus*; Græca apponam, ut, vitiis deterſis, in integritatem reſtituam: Τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν, καὶ ἐκείνην μὲν τῷ Κρόνῳ διδοὺς, τὴν δὲ ἔπειτα τῷ Διῒ, καὶ τρίτην Ἄρει, τετάρτην Ἡλίῳ, πέμπτην Ἀφροδίτῃ, ἕκτην Ἑρμῇ, καὶ ἑβδόμην Σελήνῃ (κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων, καθ' ἣν οἱ Αἰγύπτιοι αὐτὴν νομίζουσι,) καὶ τοῦτο καὶ αὖθις ποίησας (vox ποίησας ſuſpecta, confingas ποιήσεις, ſequitur enim ſtatim γάρ, quod μόριον præcedens κόμ-

μα

μα completum oſtendit :) πάσας γὰρ οὕτως τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσιν ὥρας περιελθὼν, εὑρήσεις τὴν πρώτην τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ὥραν ἐς τὸν Ἥλιον ἀφικνουμένην· καὶ τοῦτο καὶ ἐπ' ἐκείνων (corr. ἐκείνου i.e. Ἡλίου) τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τοῖς πρόσθεν λόγον πράξας, τῇ Σελήνῃ τὴν πρώτην τῆς τρίτης ἡμέρας ὥραν ἀναθήσεις, καὶ οὕτω καὶ διὰ τῶν λοιπῶν πορεύσῃ, τὸν προσήκοντα ἑαυτῇ Θεὸν ἑκάστη ἡμέρα λήψεται· ταῦτα μὲν οὕτω παραδέδοται· expungenda aperto pignore edico , quæ initio vides παρενθέμενα , utpote ex mundo in τὸ κείμενον irrepſerunt ; primum quidem quod, his abraſis, integrior erit ſententia, imo etiam clarior; deinde Dio paullo ante nos docuit Ægyptios ſolummodo turbato a cæli ordine nomina planetarum indidiſſe diebus , cujus turbationis hic hiſtoricus rationem inquirit, veterrimam autem ſeptem aſtrorum in cælo τάξιν Ægyptiis tribuere ne ſomniavit quidem Dio ; ſed furtim immiſſa verba clare id illum ſenſiſſe enunciant; etenim poſt enumeratam rectam planetarum ſeriem, ſtatim addit, κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων, καθ' ἣν Αἰγύπτιοι τοιαύτην νομίζουσι· itaque cum hiſtoriæ ſint adverſa, ipſumque Dionem ſibi ipſi contrarium traducant, quis poſthac a poſteriori manu indoctiſſimi exſcriptoris inſerta dubitet , cum in margine eſſent ab aliquo illita, ut de Dione inſcite mereretur, qui paucis ante verſibus probe pronunciarat Ægyptios tantum nomenclaturam hebdomadi dediſſe ? Adde ſi vocem ποιήσας in ποιήσεις inverterim, ne mihi obſtrepes, etenim magnus etiam Reimarus importunam eſſe oboluiſse mihi viſus eſt , nam licet vim participii ποιήσας Latine ſervarit, voculam γάρ clanculum interpretationi minime appoſuit. Tantoque viro præterea gratiam habeo, qui mecum conjuravit, dum librariorum peccatum, qui ἐκείνων illeverunt pro ἐκείνου ipſe, urgente ſententia, vertit, *illius*. Quare mirari mihi fas ſit virum hunc ἑλληνικώτατον ternis hiſce corruptis Dionis locis nil medelæ feciſſe, atque in doctiſſimis commentariis nihil adnotaſſe.

Hoc affectiſſimo hiſtorici clariſſimi loco reſtituto , redeundum, unde diverteram, jam ex Dione ſcimus, quæ veteres cogitarint de interturbata ſiderum ſerie in hebdomade , & quæ ſit horaria Deorum hæc præfectura, unde inverſa ratio dialium planetarum eruitur . Hæc autem ratio utpote ſcitu & captu facillima philologis , & mathematicis omnibus arriſit, quos bene multos enumerat Seldenus pag. 441. ipſamque primo loco profert ipſe Wolffius in chronolog. elem. cap. 2. def. *16.* commendavitque mihi clariſſimus Nic. Martinus regiæ Academiæ noſtræ decus, qui ſitne ſuavitate morum, an ſublimi matheſeos ſcientia nobilior, incertos nos jamdudum tenet. Altera, quam primo loco refert ibid. Dio ipſe, eſt ſtudii plena, & auguſtior: *Si quis harmoniam , quam diateſſaron vocant, hanc ſiquidem principem locum in muſica obtinere creditum eſt, atque ad iſthæc aſtra, a quibus omnis cæleſtis elegantia regitur, ſecundum ordinem, quo unumquodque ipſorum convertitur, transferat incipiens ab ſupremo orbe , quem Saturno tribuunt , poſtea duos pro-*

proxime ſequentes præteriens quarti circuli planetam dominum ſignaverit; poſt hunc rurſus duobus aliis præteritis, ad ſeptimum orbem deſcendat; atque hoc eodem pacto ipſos deinceps repetens, & in gyrum rediens gubernatores Deos ſeligat diebus, inveniet omnes dies, muſica quadam ratione, cæleſti eleganti ordini congruere. Ne pigeat hoc ipſum Dionis κείμενον ex puriſſimo Græco fonte haurire, ubi vocem praviſſime luxatam reſtituam: Εἰ γάρ τις τὴν ἁρμονίαν τὴν διὰ τεττάρων καλουμένην, ἥπερ που καὶ τὸ κῦρος τῆς μουσικῆς συνέχειν πεπίστευται, καὶ ἐπὶ τοὺς ἀστέρας τούτους, ὑφ' ὧν ὁ πᾶς τοῦ οὐρανοῦ κόσμος διείληπται, κατὰ τὴν τάξιν, καθ' ἣν ἕκαστος αὐτῶν περιπορεύεται, ἐπαγάγοι, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ἔξω περιφορᾶς τῆς τῷ Κρόνῳ διδομένης, ἔπειτα διαλιπὼν δύο τὰς ἐχομένας, τὸν τῆς τετάρτης δεσπότην ὀνομάσειε· καὶ μετ' αὐτὸν δύο αὖ ἑτέρας ὑπερβὰς ἐπὶ τὴν ἑβδόμην ἀφίκοιτο· κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ τρόπῳ αὐτάς τ' ἔπαυνον ἐπιών, καὶ τοὺς ἐφόρους σφῶν Θεοὺς ἀνακυκλῶν ἐπιλέγοι ταῖς ἡμέραις, εὑρήσει πάσας αὐτὰς μουσικῶς πως τῇ τοῦ οὐρανοῦ διακοσμήσει προσηκούσας. Vel tiro internoſcet vocem ἔπαυνον nihili eſſe hic, quare Xylander jugulandam, atque eradendam jubet, quocum conjuravit ſummus vir Reimarus, more eorum, qui cum vulnus ſanare non ſatis ſint, membra obtruncant; ſed leviſſima mutatione pro ἔπαυνον reſtitue ἐπάνω, *deinceps*, ut ipſe in interpretatione repoſui; præſertim cum Leunclavius legat ἐπαυῖον, quod proxime accedit ad ἐπάνω· ortus error ab *accentu* τῷ alpha impoſito, qui apex locum ſolito inferiorem occupavit, qua de incuria operarum ſæpe conquerimur.

XI. Exſcriptis ab Dione verbis de dialium dominio planetarum, quantum valui curate, quo fides Græca conſtaret, & bonus Latialis eſſem interpres, addenda, quæ ſenſerint tot doctiſſimi recentioris ævi aſtronomi circa hanc harmoniam διὰ τεσσάρων, quæ, ut ait Dio, primas agit in muſice; ea enim de re a philoſophis ſperandum nihil eſt; fateor, cum præ ceteris Wolffium inviſiſſem, hunc æque cum aliis nihil ſani afferre, quare eadem obſcuritate, qua antea, hæc ἁρμονία involvitur, imo miratus ſum Wolffium mentem Dionis minime aſſecutum, inquit enim elem. chron. c. 2. def. 16. ſchol. 1. *Addit Dio Caſſius rationem alteram ab harmonia cæleſti deſumptam: obſervata nempe fuit harmonia diateſſaron magni in re muſica momenti, conſiſtens in ratione 4. ad 3. Ita ex. gr. a Saturno progreſſus fit ad Solem, quia a Saturno uſque ad Solem planetæ ſunt tres, a Sole uſque ad Lunam ſunt quatuor:* hæc autem ratio ab doctiſs. mathematico ad arbitrium efficta eſt, atque ad eam, quæ hodiedum viget, muſicam animum advertit; verum Sol, qui inter planetas ſeptem medius eſt, æque diſtat ab extremis Saturno, & Luna; & adeo a vero Wolffius exorbitat, ut Scottus in Dionis harmonia repererit proportionem διὰ τεσσάρων, & διὰ πέντε· ſane utramque rationem & Scotti, & Wolffii in ſeptenario facile reperire eſt, quare de τῷ διὰ τεσσάρων Dioneo uterque illudunt potius, quam quid boni nos docent. Si vero ceteros philoſophos conſulas, eaſdem ambages tibi reponunt; quidam autem adeo inepta age-

ge-

Digitized by Google

gerunt, ut bilem conciant ; audias, ſi fert animus, quæ verborum monſtra de hebdomade ſummus vir Keilius fudit: *Hebdomas eſt ſeptem dierum ſyſtema ; variis appellationibus hebdomadis dies diſtinguuntur. Eccleſia Chriſtiana primum diem, dominicum vocat, vulgus diem Solis nominat, & ſoli noſtri temporis phanatici Sabbatum nuncupant ; ſecundum hebdomadis diem, feriam ſecundam ; tertium, feriam tertiam, & ita deinceps ; ſeptimum autem diem, Sabbatum nominat Eccleſia ; vulgus autem nomina dierum a Romanis uſitata, & a planetis denominata indita retinet* ; ſcilicet rem, quam inquirimus, Keilius acu tetigit, hiſque monſtroſis verbis προβλήμασι ſatis ſuperque fecit ; ſed his mathematicorum filiis parcas rogo ; cum enim per cæli cardines obambulent, Græcas hiſtoricorum ſententiolas minuti ingenii hominibus excoquendas jubent. Quin autem Dionis verba, mentemque minime aſſecuti ſint Scottus, & Wolffius, nullus dubites ; nam a Dione ipſo noſcitas eandem intereſſe rationem inter Saturnum, ac Solem, ac inter Solem ipſum, & Lunam ; quare rejiciendas eſſe ambas 3. ad 5. & 4. ad 3. teſtatiſſima ſunt Dionis verba: Ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ἔξω περιφορᾶς τῆς Κρόνῳ διδομένης, ἔπειτα διαλιπὼν δύο τὰς ἐχομένας, τὸν τῆς τετάρτης δεσπότην ὀνομάσειε· καὶ μετ' αὐτὸν δύο αὖ ἑτέρας ὑπερβὰς ἐπὶ τὴν ἑβδόμην ἀφίκοιτο, κ. τ. λ. *Incipiens a ſupremo orbe, quem Saturno tribuunt, poſtea duos proxime ſequentes præteriens planetam quarti circuli dominum* (Solem) *ſignaverit ; poſt hunc rurſus, duobus aliis præteritis, ad ſeptimum orbem* (Lunam) *deſcendat*, &c. Vides jam unam, ac peræquam ἀναλογίαν ab Saturno ad Solem, atque ab Sole ad Lunam, δύο λιπὼν, δύο ὑπερβάς· igitur id genus homines haud facile nobis imponunt, ſi quæ meditantur, Græcorum, & veterum Scriptorum teſtimoniis innitantur, & ad illos provocent.

XII. Solvo nunc fidem meam, & pertentandum, an divinationi locus ſit, quid notet ἁρμονία διὰ τεσσάρων, quæ τὸ κῦρος τῆς μουσικῆς ἔχει· libens fateor rem eſſe tenebricoſam, quam neque Dio ipſe calluit, nam cordate apponit, *quam vocant*, καλουμένην διὰ τεσσάρων· rebar autem Salmaſium in ſtupendo opere de annis climactericis, ubi veterum aſtrologiam, eorumque deliramenta omnia collegit labore improbo, hoc arduum planetariæ harmoniæ negotium explanaſſe ; verum cum ingens ejus opus diu noctuque verſaſſem, ne verbum quidem ineſſe de Deorum hebdomade, imo Caſſii locum ne meminiſſe quidem deprehendi. Seldenus, qui tanta aggeſſit de dialibus planetis, de eadem harmonia, quam quærimus, nihil ſane apponit ; Jo. Mœbius differt. de planetaria dierum denominatione Lipſiæ 1687. idipſum excutiendum ſuſcepit, ſed ejus lucubratio nihil novi me docuit ; ut ſileam de tot egregiis viris, qui Dioni longiores commentarios aggeſſerunt. Reor autem ipſe ἁρμονίαν διὰ τεσσάρων in dierum hebdomade longe diverſam eſſe ab συμφωνίᾳ μουσικῇ, quam ſcrutari in Dionis verbis adlaborarunt tum veteres, tum recentes aſtronomi,

mi, ſed præſeferre quid ſamoſæ Pythagoricæ τετρακτύος, (nihil mea refert, an ſenex hic Samius revera quaternarii hujus auctor ſit;) quam cum hujus Philoſophi diſcipuli minime intelligerent, ineſſe in eo numero myſterium rati omnia ad τέταρτον detorſere, imo per hanc vocem, tanquam numen, jurarunt; quare ut etiam in planetarum ordine hanc τετρακτὺν reperirent, inverſa, quacum in cælo ſunt ſerie, illos ſecere dierum dominos ratione, ſeu ἁρμονίᾳ quaterni numeri: veluti ſi hac ἀναλογίᾳ ſeptem aſtra diſpoſita, ſive potius, ut ſollemni verbo utar, ἁρμοσθέντα majorem vim in homines exſererent, ſuæque philoſophiæ μυστηριώδη fucum facerent: & hoc pacto percipimus illud διὰ τεσσάρων idem eſſe, ac τετρακτὺν, quam in ſeptem planetis ſtabilivere veteres, & Dio ignoto ſibi nomine ἁρμονίαν, & μουσικὴν cæleſtem compellavit; noſtrique etiam mathematici immemores quaternariæ θέσεως Pythagoræ, in una muſicæ συμφωνίας arte ſcrutari fruſtra adniſi ſunt.

Sed rem aliquanto altius repetam, & ad veram vocabuli ἁρμονίας notionem confugiam. Primum quidem deſperandum eſt internoſcere, quavis diligentia adhibita, ab poſterioris ætatis interpretibus, quid mente concoxerit Pythagoras in voce illa τετρακτὺς, de qua tot veterum, & recentiorum Scriptorum ſunt opinionum divortia, ſeu deliramenta, ut potius noctem diei miſceas, quam ſecum illas conſocies: profecto vix iram cohibueris, ſi Jo. Fabricii Gr. bibl. to. I. pag. 466. & præſertim Bruckeri to. I. pag. 1053. evolvas, quem omnium ſententias juvit collegiſse; verum in eadem ignoratione deſerimur; & piget tot ſummos viros tantum otii triviſſe, quo Pythagoricam hanc τετρακτὺν divinarent; demum factum eſt, ut iiſdem tenebris obfuſcetur, & lateat adhuc. Conſulendum etiam ratus ſum nuperrimum opus Jo. Chriſtophori Heilbronner editum 1752. Lipſiæ, inſcriptum, *Hiſtoria matheſeos univerſæ*, & pag. 106. ubi de Pythagora ſermo ei eſt, & iſthæc verba illinere ſatis habuit: ***Nota eſt Pythagoræ tetractys, maximorum ſemper ingeniorum carnificina:*** præterea ſanequam pauca eo de numero μυστηριώδει adſcripſit pag. 754. jam ab aliis occupata. Utinam Mazochius noſter hunc Pythagoræ quaternionem, qua valet vi ingenii, enodaſſet in kalend. adnotat. pag. 154. attamen virum ſummum rem vix delibaſse jure conquerendum eſt. Certum e contrario dicas ἁρμονίαν, quam Samius ſenex in τῇ φύσει, inque aſtrorum ordine laudat, non eſſe ſonorum quid, & muſicum, verum quid σύμμετρον, & quod alio vocabulo compellavit κόσμον· inferioris autem ab Pythagora ævi Scriptores ad concentum & συμφωνίαν inflexere; hinc legas in eiſdem ad tædium, & in Cic. ipſo de ſom. Scip. *In mundo ineſſe ſonum acuta cum gravibus temperantem, atque eo uſque incitatum, ut eum aures hominum capere non poſſint*, atque id genus canoras nugas. Ciceroni adſtipulatur Sextus Empiricus adverſus muſic. pag. 362. edit. Fabricii, Τῷ κατὰ ἁρμονίαν διοικεῖσθαι τὸν κόσμον· vide hic adnotationes, in queis fere omnia, quotquot veteres Græci, Latinique Scriptores de concentu eam vocem

in-

Digitized by Google

interpretati ſunt, adſcripta legas. Verum tempore Pythagoræ ἁρμονία, & ἁρμόζειν erant ἁπλῶς *coagmentatio*, & *coagmentare*; ſervavit nobis Laertius lib.8. 85. p.543. initium librorum Πυθαγορικῶν περὶ φύσεως, in quo probe noſces vocis, de qua diſputamus, veterem notionem & vim, Laertioque gratiæ plurimum habeo: Φύσις ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε, καὶ περαινόντων· quæ verba φύσις, & ἁρμόζω Cicero appoſite de ſenect. c. 20. videtur interpretatus, *Opus ipſa ſuum eadem, quæ COAGMENTAVIT NATURA, diſſolvit*. Menagius ὁ πάνυ locum Ciceronis cum oblitus ſit, factum eſt, ut, φύσις ἁρμόχθη an probe transfuderit, *natura apte coacta eſt*, haud noverim. Idipſum videre viſus ſum in eod. Laertio pag. 543. dum, quæ ſenſerit Philolaus, ediſſerit: Δοκεῖ δὲ αὐτῷ (Φιλολάῳ) πάντα ἀνάγκῃ, καὶ ἁρμονίᾳ γενέσθαι, & caveas, ne duce Menagio vertas, *opinatur autem* (Philolaus) *omnia neceſſitate, ac harmonia fieri*, nam verba vides nil ſententiæ claudentia; dicas potius ac verius: *opinatur* (Philolaus) *rerum univerſitatem conſtanti ordine ac neceſſario regi ac moderari*. Sed nemo melius, quam Nonnus lib. 2. ab v. 650. γνησίαν, & priſcam vim vocabuli hujus Pythagorici, licet auctor non politioris ævi, nos docuit, cujus verba ignota fuiſſe philoſophis miratus ſum:

Καὶ ταμίη κόσμοιο παλιγγενέος φύσις ὕλης
Ῥηγνυμένης . . . .
Ἁρμονίης ἀλύτοιο πάλιν σφηγίσσατο δεσμῷ.
Et diſpenſatrix mundi regenerati natura materiæ
Diffractæ . . . .
Harmoniæ inſolubilis rurſus conſtringebatur vinculo.

Conqueror de Latialis linguæ egeſtate, quare Græcam Nonni carminum grandem δεινότητα aſſequi non ſatis fui: & lib. 12. v. 32. æternas fati leges, quarum vi & immutabili ordine omnia hominibus accidunt, vocat κύρβιας Ἁρμονίης.

. . . . Ἥλιος . . . . ἐπεδείκνυε . . . . κούρῃ
Κύρβιας Ἁρμονίης ἑτερίζυγας, αἷς ἔνι κεῖται
Εἰν ἑνὶ θέσφατα πάντα, τά περ πεπρωμένα κόσμῳ.
. . . . *Sol* . . . . *oſtendit* . . . . *puellæ*
Leges (vulgo tabulas) *Harmoniæ disjunctas, in queis proſtant*
In uno fata omnia, & fataliter contingentia hominibus.

Si qui ante Samium Philoſophum ſcripſere, conſulas, Homerum, & Heſiodum, idipſum apud hos principes vates vocem ἁρμονία valere reperies, neque unquam pro *concentu* & συμφωνίᾳ eſt; porro primus ea utitur ter, quod ſciam, & bis quidem in notione *commiſſuræ* & *coagmentationis*, deque navium lignis utrobique loquitur, Od. ε. v. 361. Ὄφρ' ἂν μέν κεν δούρατ' ἐν ἁρμονίῃσιν ἀρήρῃ, *donec quidem ligna compagibus inhæſerint*; & ibid. v. 247. narrat, quo pacto Ulyſſes navim ſibi paravit, Τέτρηνεν δ' ἄρα πάντα, καὶ ἥρμοσεν ἀλλήλοισι, Γόμφοισιν δ' ἄρα τήν γε, ἁρμονίῃσιν ἄρηρεν, *terebravit vero omnia, & coaptavit inter ſe, Clavis autem eam*

(ratem) *&* *compagibus coagmentavit*. Ecce tibi vis primigenia, & valor τῦ ἁρμόζειν, & vocis ἁρμονία, quam ab Homero nunquam arti muſicæ tributam legas; quin ſummus vates Il. ε. v. 60. ut notet *naupegum* artis ſuæ callentiſſimum, nomen κύριον fingit Ἁρμονίδης· hinc ſcholiaſtes appoſite inquit, οἰκεῖον ὄνομα τέκτονος παρὰ τῦ συναρμόζειν. Adde Themiſtium orat. 26. p. 316. edit. Harduin. de hoc Homerico Ἁρμονίδῃ τεκταινομένῳ, verba facere, tanquam omnium primo naves conſtruente; etiam memini me legiſse olim in Euripide, & fortaſse in Helen. eam vocem, uti ab Homero adhibetur, de re ſcil. lignaria, σκάφος συναρμόσας ὁ Πριαμίδης. Ne dubites, quin tantum vatem ſumma ἀκριβείᾳ verſer, & celem tibi ipſum ad aliud etiam ſignandum vocem ἁρμονία uſurpaſſe in Il. χ. v. 25. Ἀλλ' ἄγε δεῦρο Θεὺς ἐπιδώμεθα, τοὶ γὰρ ἄριστοι Μάρτυροι ἔσσονται, καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων, *ſed age huc Deos vocemus, hi enim optimi teſtes erunt, &* *ſpeculatores pactorum*; verum hæc altera notio eodem tendit, nam συνθῆκαι, ſive *pacta* dexteram dexteræ aptando feriebantur: hinc ſatis notum illud, *dextram da jungere dextræ*; & Latialem ῥῆσιν *pactum* nunc clare nitet dictam eſſe ab πήγω, ſeu Dorice πάγω, quod verbum perquam σύνφωνον eſt τῷ ἁρμόζειν· imo πήγω, ſive πάγω videtur olim in originatione *fœdus ferire*, & *paciſci* adnotaſſe, inde detortum ad alia, nam Hebr. ῥῆσις פגע, unde naſcitur, valet *intervenire*, & *convenire*. Haud parcam laborioſiſſimo viro H. Stephano, qui hanc notionem Homericam vocabuli ἁρμονίας pro συνθήκη, ut explicat etiam hujus vatis ſcholiaſtes, penitus oblitus eſt, cum piaculi inſtar ſit principis poetæ vocum νοήσεις lexicis tanti pretii non illinere.

Heſiodus vero, qui amiciſſime cum Homero conſpirat, ſemel meminit ἁρμονίας, ſed longe aliena ſententia ab concentu; canit enim Theog. v. 934. Venerem Marti peperiſſe Φόβον, & Δεῖμον, *Terrorem*, & *Metum*, quæ perſonæ ſunt, deinde v. 937. Ἁρμονίαν, i. e. *Pactum*, ſeu *Fœdus*, nam bella tandem ad pacem vergunt, atque ad συνθήκας· advertas rogo me non latere Heſiodum iterum v. 975. hujus Ἁρμονίας meminiſse, ſed eadem Veneris filia eſt. Scias etiam obiter μυθολόγους deteriores, ut Ovidium, Palæphatum, Higinum, &c. hanc Harmoniam, quam Cadmi cujuſdam antiquiſſimi facit uxorem Aſcræus vates, prava nominis corruptela dixiſſe *Hermione*, & Cadmum Heſiodeum, Martis filium cum Cadmo Agenoris filio, & Europæ fratre confudiſſe; quare, cum duos hos heroas nihil ſatis fuerint Bochartus Chan. lib. 1. cap. 19. Clericus in Heſiod. & Banierius mytholog. tom. 6. p. 107. & ſeqq. ſecernere, ſuſque deque omnia miſcuere; & dum peregrinas linguarum opes aggerunt, veritatem hiſtoriæ, & fabellarum nihil ſatagunt; utinam id agerem, utriuſque Cadmi res ſuis finibus facile circumſcriberem.

XIII. Verum, ut unde diverti, redeam, veteres, qui non ſatis diu ante Pythagoram ſcripſere, atque etiam hic Philoſophus ἁρμονίαν pro *apta partium conformatione*, & συμμετρίᾳ accepere, non pro muſici cantus artificio:

Digitized by Google

ficio: ſed eo quod inelegantioribus temporibus ea vox ad *συμφωνίαν* potiſſimum ſignandam detorta eſt, vulgatus error invaluit quid muſicum edixiſse Pythagoram in rebus univerſis; & Dio Caſſius etiam in planetis concentum exſtare auctor eſt, ut Ciceronem, ceteroſque taceam, quando ſenex Samius ſolummodo docuit *ἀναλογίαν* ineſſe, & rectam omnium partium rationem, quæ quaternario ſepe numero conſtabat, qui nobis *αἰνιγματώδης* evaſit, pronunciavit; alias auditoribus illuſiſſet ſuis ſummus hic ſapiens, ſi *muſica harmonia* totius mundi *φύσιν* regi edixiſſet; id vero a ſequiori hujus *σοφοῦ* ſchola vocem *ἁρμονίαν* ad ſæculi genium interpretante inductum, & libris illitum. Nemo autem majori cum *ἀκριβείᾳ* hanc inficetam cælorum muſicam, atque *ἁρμονίαν* expreſſit, quam Heraclides, vid. opuſc. mytholog. p. 425. 427. ita ut eam in Sirenas canoras inter cæleſtes orbes commorantes tranſmutavit; & dolendum ſancta Pythagoræ ſapientum principis *δόγματα* iniquitate temporum in fabellas converſa: Ἐπὶ δὲ τῶν κύκλῳ αὐτοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην φωνὴν ἱεῖσαν ἕνα τόνον· ἁπασῶν δ' ὀκτὼ οὐσῶν, μίαν Ἁρμονίαν συμφωνεῖν . . . . . ὡς οὐ κωφὸς, οὐδ' ἄφθογγός ἐστιν ὁ κόσμος, quæ ita converſa lego: *item ſupra ſingulos cæleſtes orbes Sirenem una circumire, muſica voce modulantem, & cum univerſæ ſint octo unam Harmoniam concini . . . . hinc igitur patet non mutum eſſe, ac ſive ſono mundum;* ſane nihil tueor qua Græce, qua Latine poſt editorum librorum memoriam inquinatius, & interpretem verba appoſuiſſe ſententiam minime curantem; neque me audacem traducas, ſi utraque confingam: Ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων οὐρανοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην φωνὴν ἱεῖσαν ἱκανήν· ἁπασῶν δ' ἑπτὰ οὐσῶν, μίαν Ἁρμονίαν συμφωνεῖν . . . . , ὡς κ. τ. λ. *præterea in unoquoque ex cæleſtibus orbibus deſuper incedere Sirena, & circumire, quæ vocem congruentem emittit, ſeptem autem exſiſtentibus* (Sirenibus) *ſolummodo Harmoniam concentum omnem edere; ita ut, &c.* vel qui mediocriter Græca deguſtarunt, me Heraclidis verbis multam, & bonam medelam feciſſe adſtruent. Et tædet me tantum olei perdere in tot Scriptorum Græcorum ob librariorum ſtuporem erroribus detergendis. Atque haud ſcio, quo pacto ad Chaldæos advecta ſit vox רמז, vel הרמז *adſentire*, *annuere*, unde fruticat *ἁμέτως* verbum *ἁρμόζω*, nihil de muſica cogitantes, ſed de paciſcentium nutu, & de rebus bene ſibi quadrantibus. Hanc bonam conjecturam tuentur Dionis Caſs. verba ajentis laudato libro 36. p. 37. concentum *διὰ τεσσάρων* in dialibus aſtris Græcos veteres omnino ignoraſſe, i. e. veteres Pythagoræos, Ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτὸ, ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίσταντο, *veteribus Græcis, quantum mihi conſtat, notus is mos neutiquam fuit:* ſed muſicam hanc, & numericam ſcientiam infeliciori ævo ab degeneri *αἱρέσει* Samii ſenis Græcos, & demum etiam Romanos acceptaſſe credas: rogatum te volo, ut Dionis verba inviſas pag. 123. edit. Reimari; neque te turbet hunc hiſtoricum adſeruiſſe morem, de quo diſputamus, ab

ab Ægyptiis hauſtum, non vero a Pythagoricis; primum etenim hiſtoricorum fides de re philoſophica ſatis ſubleſta eſſe ſolet; deinde, quia Dio ipſe dubii plenus id narrat, cum verba illa non exigui ponderis immiſceat, ὡς λόγῳ εἰπεῖν, *quantum conjicere ſatis ſum:* demum, quod id numericæ, & harmonicæ rationis genus, quam venditat Caſſius, nunquam apud Ægyptios, ſed dumtaxat apud Pythagoræos viguiſſe certo ſcimus.

Pæne oblitus eram pauca quædam proferre, queis firmem etiam apud reliquos Homero poſteriores Scriptores vocem ἁρμονία valuiſse *congruentem partium concordiam*, quo ſcias ſervatam omni ætate inditam, primamque ejus ῥήτεως ſignificationem, Anthol. lib. 3. cap. 6. ep. 41.

Πλευραί τε σαρκολύτη, ταρσοί δ' ἑτέρωθεν ἄμοιροι
Νεύρων, καὶ κώλων ἔκλυτος ἁρμονίη.

Et latus carne-denudatum, & pedes utrinque carentes
Nervis, & membrorum reſoluta harmonia.

Adde & locum longiuſculum, quem affert Salmaſius de ann. climacter. pag. 780. mihi carum, utpote ad aſtra ſpectantem: Ὅτι οὐκ εἰσὶ ἀστέρες κακοποιοὶ, ἀλλὰ πάντες ἀγαθοὶ, ἀλλ' ἐπεὶ καθ' ἁρμονίαν τὸ πᾶν συνίσταται, οἱ μὲν αὐτῶν εἰσὶ ξηροὶ, οἱ δὲ ὑγραίνουσι, οἱ δὲ ἄλλοτι ἔχουσιν πρὸς τὰς κράσεις αὐτῶν, quæ ſic vertas: *quod ſtellæ nullæ maleficæ ſunt, ſed omnes bonæ, quippe cum univerſum harmonia compoſitum ſit, nonnullæ earum ſiccæ ſunt, aliæ vero humectant, aliæ aliam habent temperaturam;* hinc quiſque facile dignoſcit, quodnam concoquebat Pythagoras in ſua ἁρμονίᾳ, neque de muſicis concentibus quid ſomniarat. Atque hæc ſatis, quæ non exigui pretii fortaſſe reputes, de ἁρμονίᾳ τῶν τεσσάρων, & an meliora ſint tot mathematicorum commentationibus, tute cogites, & non parva lux offuſa eſt Dionis loco περιβοήτῳ, ad quem nos ſepteni argentei planetæ διὰ τεσσάρων in Regio atramentario affixi provocarunt, diuque, & jucunde tenuerunt; quin in cauſa fuere, ut a non unis circa Sabbatum, & primum diem hebdomadis erroribus ſat pœnitendis, quos ſæva atque infeſta veritati ſæcula induxerant, emergeremus.

XIV. Scio mihi grandem dicam ab aliquo impingendam, ſi nummos quarundam familiarum, quos per me liceat vocitari *planetarios*, effugiam; hi nummi in cauſa fuerunt, ut ſummi viri eruditiſſima quæque pro iis illuſtrandis e ſua ditiſſima penu effuderint, Zoſimus, Patinus, Vaillantius, Begerus, præſertim Spanhemius; & ſanequam multa vel pro Apollinaribus, vel pro ſæcularibus ludis cuſos congerunt, eo quod in antica Apollinem viderunt radiatum, in poſtica Lunam cum quinis, vel ſenis ſtellis, aliquando etiam cum ſeptenis; Spanhemius poſtquam more ſuo, quæ antea de ludis Apollinaribus turbata, & tenebricoſa erant, ſumma luce affudiſſet de P. N. p. 121. to. 2. in Horatii auctoritate totus eſt, & nummos illos ad Solis, Lunæque honorem, quibus Diis ludos ſæculares concelebratos ſcimus, ab eorundem præfectis, quorum nomina poſtica parte

legas,

legas, feriri curatum eſſe contendit. Verum eo redit omnis clariſſimi Spanhemii ratio addicendi nummos ludis ſæcularibus, quod in iis Apollinem ſub Solis, ac Dianam ſub Lunæ σχήματι videt, de ſtellis parum ſollicitus; ſatis eſt enim ſibi recinere Horatii verſus -- *Dianam lucidum cæli decus* . . . – *Siderum regina bicornis*, -- *Luna*, *puellas*; & quod hæc Dea Græce audit ἀστροχίτων, ἀστερος, ἀστράρχη. Attamen quis prohibet, quominus dicam denarios illos cuſos, quo Deos planetarios ſibi fauſtos redderent, & conciliarent? ſcimus, quantum aſtrologiæ ſtuduere Romani, & quoties mathematici Roma exacti ſunt, duris legibus contra eoſdem latis. Atque in circo fuiſſe ſeptem hæc ſidera notum nimis eſt, vid. Salm.



in Solin. pag. 647. & ſeqq. Quæ fides planetis, quantumque curæ præſtitum ſit, diſcimus etiam ex Paracelſo, qui arteriarum pulſus in ſeptem præcipuis corporis partibus unicuique ex his aſtris deſtinarit, vid. Dan. Clericum p. 811. qui eadem ait quibuſdam membris, & viſceribus dominari pag. 806. Porro ne dubites, quin iis nummis ſepteni dumtaxat Dei ſiderei inſint, nam ſi alicui ſeptem ſtellulas cum Sole, Lunaque adjectas videas, artifex, ut omnem ſeptenum eorum numerum ſervaret, ambos planetas principes repetit in propria figura; ideoque nunquam vel octonos, vel novenos, neque minus quam quina ſidera appoſuit; imo Spanhemius in nummis ſeptem ſtellarum has edicit *Triones*, ubi renident ſex, vel quinque, nihil omnino divinat.

Præter hæc ſatis notum eſt Apollinem ludis ſæcularibus laureatum præſuiſſe, non vero radiatum, quin prætorem, & populum lauro cinctum aſſediſſe: igitur nummos hoſce aſtriferos alio ſpectare certe credendum eſt. Adde exſtare denarios, in quibus Apollo viſitur, vel celes, uti in iis gen-

Digitized by Google

gentis Calpurniæ, & Liciniæ, vel in bigis, uti in gente Furia, & Junia, vel in quadrigis, uti in Valeria, quos facile ad id genus ludos detorqueas, neque in eiſdem vel Lunam, vel ſtellas inſpectes; meque piget Spanhemium τὸν πάνυ, quo opinioni ſuæ omnia ad ſæculares ludos vertenti fucum faceret, numiſma Fulvii Urſini, in quo Apollo laureatus, & Diana, ſeu Ceres cum duplici face cuſi ſunt, etiam ſæcularibus addicere, ab Urſinoque diſcedere, qui Cerealibus ludis, & fortaſſe verius accenſet; non ſane mirum ſit ſummos viros agi tranſverſos, quoties, quæ ſibi aſſumunt, ab initio labaſcunt. Concludendum igitur denarios aſtriferos familiarum ſeptem planetas præſeferre, duoſque principes, ſcilicet Solem, Lunamque grandius, ac decentius, ceteros vero ſub parvis ſtellarum ſymbolis oſtendere, ut aſtrorum virtuti ac potentiæ nimium veteres indulſiſſe ſciamus univerſi, eoſque vel thecis atramentariis argenteos, aliiſque non unum genus inſtrumentis, ac nummis affixiſſe. Sane ſubiraſcitur Begerus theſ. Brandeb. contin. atque inquit: *Quid ad ludos ſæculares ſtellæ?* verum nodum non ſolvit, ſaltem Patini, qui horum ludorum commentum primus fabricatus eſt, auctoritatem, in quam jurat Spanhemius, caſtigat. Adeo autem ſideribus gentes omnes olim fiſas legimus, ut zodiacum ipſum in numiſmatis inciderint, uti eſt ſingulare illud Valeriani, quod refert ipſe Spanhemius ibid. tom. 2. pag. *690*. in cujus averſa parte cernere eſt in ora duodecim ſigna, atque veluti in centro caput adoleſcentuli belle criniti; quem male Spanhemius, pacem peto a tanto viro, putat eſſe Mercurium ſine petaſo; quid Mercurius cum zodiaco? Solem certe, & ſine periculo eum credas, qui ubique Latialium Scriptorum *crinitus* audit, & Græcorum ἀκερσεκόμης, εὐχαίτης, χρυσοκόμης, χρυσοχαίτης, χαιτάεις, ἀβροχαίτης· vid. ſuperne pag. 326.





Vix iſthæc de nummis planetariis adverſus Spanhemium τρισμέγιστον pro tuenda aſtrorum ſeptenorum in his nummis veritate exſcripſeram, cum mihi copia facta eſt legendi nuperrimam ann. ſcil. 1745. *commentationem* doctam æque, ac laborioſam Chriſtiani Stuſſii Ilfeldenſis Gottingæ editam: *De opinatis ſæcularium ludorum notis in numis Romanarum gentium;* & verebar, ne Stuſſius eadem de his planetariis numiſma-

miſmatis ſentiret, atque a me divinata ſunt: verum cum plurima, & pleniſſima bonæ frugis de ludis ſæcularibus contra eruditos quoſque collegerit, & nova bene multa de ſuo adjecerit, lubens dicam jam demum Stuſſii ope, quæ certiora ſunt de tenebricoſis hiſce ludis, nos ſciviſſe; totus eſt vir ſummus, ut longam humaniſſime effundat orationem contra Patinum, Spanhemium, & ceteros, qui ad ſæcularia munera eos denarios ſpectare rati ſunt; atque affatim firma argumenta profert, queis ſi mea addas, nihil dubii poſthac futurum, quin veteres de ludis nihil cogitaverint. Demum cap. 3. §. ult. Stuſſius cum ſuas de aſtris his ſeptenis conjectationes proferre debuiſſet, ut legentium exſpectationi faceret ſatis, nullius aſſis opinione Duchoulii σιωπώμως expoſita, ea in re comperendinatum ſibi poſtulat, *ſeque*, ait, *candide fateri, quam eæ imagines in noſtris conſularibus denariis vim ſibi habeant tributam, non liquere*; atque veluti ludibundus vocat hæc *ſidera deceptricia*, ſibique optat *hiſtoriam unam helicem certiſſimam*; attamen rem planam illico feciſſet, ſi ei in mentem animi veniſſet ardens Romanorum ſludium in ſeptem planetas principes, uti ſuperne a nobis dictum eſt; ceterum, quæ ſummi viri cogitarunt, explodere haud arduum reor, nova, & ſua procudi a Stuſſio quærebamus.

Sanequam multa huc congerere poſſem, quantum veteres curarint planetas, ſed longius ſermo ſpatiaretur, neque ſolummodo ethnici, verum etiam Hebræa gens, & Chriſtiani ipſi; verum brevibus cancellis me coarctari probe novi, cum de hiſce aſtris quoad dierum τάξιν dumtaxat diſputandum mihi ſit. Et quidem Judæos etiam candelabrum ſeptenis lucernis nobile planetarum numerum referre venditabant, vide Joſephum ant. Jud. lib. 3. cap. *6.* p. 137. edit. Avercamp. & Philonem pag. 150. to. 2. edit. Mangey 1742. licet iſthæc deliramenta ſint ſequioris ævi Rabbinorum; nam adverti in ſanctis libris unius Solis, & Lunæ nomina, quinque vero reliquorum aſtrorum ne meminiſſe quidem ἁγιογράφοις. Præterea Chriſtianos ſcio etiam in lucernis cum bono Paſtore, & cum quampluribus ſacris ſymbolis planetas appoſuiſſe, adiſis Mamachium antiq. Chriſt. tom. 3. pag. 78. & miror etiam horum oculos hæc luminaria perſtrinxiſſe. Gentes demum adeo ſidera ſeptena coluerunt, & de eorum potentia ac vi tot Græcanica, ac Latiaria volumina ſcripſerunt, ut ſi ſolummodo nomina recenſerem, utramque ceram opplerem: quare ſi id genus nugamenta, & commentarii te oblectent, Fabricianas bibliothecas conſulas, & egregia volumina Paſſerii de gem. aſtr. præcipue præfat. num. VI. quem oblitum miror gemmæ præclariſſimæ, quam affert L. Auguſtinus par. 2. num. 33. & Vandale de ritib. taurob. pag. 19. in ea præter Mitram, ſeptem ipſi planetæ omnes ſub ſpecie tum ſtellarum, tum ſymbolorum iteratæ viſuntur, quædam etiam triplicatæ, itaut nullum viſere eſt vetus monumentum planetis onuſtius ac ditius. Sed age ab ἀστρονομικῷ argumento, quod me acriter ac perdiu torſit, ad jucundiora, & minus implexa adeamus.

C A P. III.

De ſeptenis planetis atramentariis ſingulatim, præſertim de Auroræ figura, de eorumdem habitu, veſtibus, ſymbolis, etymo: & de vite aurea, ab aliis ἀρχαιολόγοις nondum occupatis.

I. *Saturnus ἀργυρίνεος, ea vox male verſa ab Stephano, & ab interpretibus. Cur hi planetæ cum ſceptro.* II. *Multa ſatis de Saturni falce: ſententia Mazochii de δρεπάνη etymo expenditur; binæ clariſſimi viri origines exploduntur, utpote Rabbinicæ:* צרף, *unde etiam Mazochius trahit δρέπανον, eſt ſolummodo* efferruminare metalla. *De Pharo inſula pauca delibantur. A verbo* צרף *potius* Sarepta *educitur, quam δρεπάνη· atque ea in re Mazochio reſiſtitur.* III. Corcyra, *quæ & Drepane revera falcis ſpeciem præfert, ejus rei bene multa teſtimonia, ac potiſſimum Em. Quirini auctoritas, contra ac ſentit Mazochius. Exempla plurimarum urbium ab figura nomen indeptarum; Apamea, cur* Κιβωτός, Arca, *dicta, melius divinat* Cellarius, *quam Mazochius. Megalis etiam, inſula Neapolitana, educitur ab* מגל, falx, *non a* מגור, commoratio, *quod eſt ejuſdem ſummi viri etymon.* IV. *Vera originatio τῆς δρεπάνης ab voce* דרבן, *quam Hieronymus immerito vertit* aculeus, *cum* LXX. *& Syrus, & Arabicus interpretes appoſuerint δρέπανον. Verior etymologia ῥήσεως* Saturni *ab* שטר נר. V. *De Aurora atramentaria, ejuſque ἐπιθέτοις. Flagellum ſtringit vel quod equos regat, vel quod homines ad labores excitet. Μάστιγα, & Hebr.* מר גנא *denotant* flagrum aurigantium. VI. *Aurora in noſtro vaſculo roſis honeſta: vera notio vocis ῥοδοδάκτυλος, inficete ab omnibus vertitur* roſeos digitos habens. *Δάκτυλος vocabulum Homeri, & Heſiodi ætate forte haud natum. Lis inter Spanhemium, & Bochartum de hac ῥήσει· ad ſignificandos palmæ fructus barbari adhibuerunt:* דקל *inelegans vox: ſummi hi duoviri nihil de ῥοδοδάκτυλος commentati ſunt.* VII. *Nativum etymon vocis δάκτυλος eſt* תכלת, *ſive* תכתל, hyacinthus; *verus color ejus floſculi multa exemplorum vi Græce, & Latine ſtabilitur.* VIII. *Thetis cur ἀργυρόπεζα, vox ignota antehac interpretibus, ejus etymon Phœnicium; hinc lux eſt dictioni τράπεζα, quam jure Maro appellat* quadra. *Lis apud Dipnoſophiſtas Athenæi de voce τράπεζα· explicantur τραπεζοφόρος, κυανόπεζα, φοινικόπεζα, ἀχλυόπεζα, &c. Quid Aurora ῥοδόπηχυς, male refundunt univerſi* roſeis lacertis prædita; *reſpondet ῥήσει Chaldææ τῇ* שפרפרא. IX. *Regium hoc vaſculum ſingulare, eo quod affixa eſt Aurora pro Sole: quod ſumptum eſt ab Homero Solem parvi quaſi curante, de Aurora uſque benemerente. Hinc non temere conjectandum Neapoli dictum eſſe* diem Auroræ pro die Solis, *quippe quæ urbs Homericis ſtudiis famoſa, nihilque magis animo concoquebant Neapolitani, quam Iliada, & Odyſſeam; quod bene multis ac vehementibus Græcis, Latiniſque Scriptorum teſtimoniis firmatur; & haud aberrabit quiſquis colliget hujus atramentarii Neapolitanum fuiſſe artificem.* X. *Lunæ ſymbola, ejuſque προσθετά explicantur, cum primis tenebricoſa ſatis dictio χρυσάμπυξ, de qua D'Orvillio reſiſtitur: vera notio aperitur, atque γνήσιον etymon extunditur contra cl. Mazochium, ſcil. ab* אופז, aurum. Apices *non ſunt litteræ, neque characterum baſes, uti vult idem ſummus vir. Querelæ de Spanhemio, & de Jo. Alberto.* XI. *Martis ſidus ab Homero expreſſit argentarius, qui nos docuit, quid valeat tum vox χρυσεῖνος*

ab

Digitized by Google

ab interpretibus male verſa, tum τετραθέλυμνος *dictio ab Hom. ſemel dicta. Mars planeta* ἰδίως *audit* Θοῦρος. XII. *Non pœnitenda de quinto ſidere Mercurio: quid virga cum anguibus contra communem ſententiam: cur ſalutetur* χρυσόῤῥαπις· *vox Phaleſgica ab* רפא, medicus: *ea de re Spanhemii laudes. Pauca de hujus crumena, & de pallio, quod proprie audiebat* σπάργανον, *& male interpretes dixere* faſciam. *Vera ratio, cur vocitetur* Ἀργυφόντης *antehac ignota; purum putumque Phœnicium vocabulum eſt* הרגיע פנירת. XIII. *Jovis imaguncula* διὰ βραχέων *illuſtratur: de ejus* ſceptro *non contemnenda adnotantur. Libellus Burmanni de Jove fulgeratore commendatur. Homerus, & Heſiodus nunquam Diis, ſed hominibus apponunt ſceptrum. Dii nunquam* βασιλεῖς *apud Hom. D'Orvillii laus.* XIV. Ἐπίθετα *Veneris atramentariæ. Inedito epigrammati in hujus Deæ baſi reperto, & obſcuritatis pleno multa lux. Quid* cœna, cœnare, cœnaturio, *&c. in ſenſu* ἀσελγῶ. *Ex alio marmore, quod Matthæus Ægyptius ratus eſt* αἰνιγματῶδες, *elegans ſententia eruitur.* XV. *Cur argentarius aurea vite opereulum atramentarii vaſculi ornaverit, multis Græcis, Latiniſque exemplis patefit. Locus Achillis Tatii affectiſſimus ſanatur, quod non fecit Junius.*

I. CUm tandem, veluti ex ſyrtibus, me ab hìs planetariis operoſiſſimis curis vigiliiſque, quas mea induſtria, ac ingenii nil actuoſi indole ſuperiores rebar, liberarim, ad jucundiorem materiem, atque ad res varietatis, ac hilaritatis plenas ſtilum convertam; etenim ratio ordinis urget, (quem unum præcipue ſervandum ab initio juratiſſimus deſpondi,) ut atramentarios planetas non γενικῶς, ſicuti in binis hiſce capp. forte minime pœnitendis a me factum vides, ſed ſingillatim eos inviſam, ut ſi quid in illorum habitu, veſtibus, & ſymbolis novum reperire ſit, & re litteraria dignum, adnotem; hinc enim proclive futurum, ut & remotam ætatem, & majus pretium hujus vaſculi jam ἐξοχωτάτῳ admireris. Cernis profecto Saturni occipitium, ut moris eſt, pallio tectum, & parvam flammam, quam vix expreſſit ſculptor, in ejus capite renidere; primum etiam adeſt in gemma ſuperne a me contra Montſauconium explanata pag. 327. ſecundam vides in ſaxo, quod eodem loco depingendum curavi pag. 326. Ejus mentum non floret barba promiſſa, ut ubique veterum monumentorum me ſcrutatum eſſe memini, ſed criſpa & lata, quod novum eſt, & σκευάζιον longe commendat, neque auctoritate careo, etenim Nonnus lib. 18. v. 229. vocat Saturnum εὐρυγένειον, *latam barbam babentem*, quod ἐπιθετὸν ab veteribus mutuatum eſſe Nonnum minime negandum, ævo enim ſuo fingebatur tantum βαθυγένειος, μακρογένειος, κ. τ. λ. Non me fugit tum Nonni interpretem, tum H. Stephanum in lex. vocem εὐρυγένειος reddere *latas generationes babens*, ſed quam importune, vel cui parum Græce cor ſapit, noſcitat; nam ipſe Stephanus ſat multa ἐπιθετὰ ab γενεῖον conflata ad variantes barbæ formas aptat, id unum ab γείνομαι trahit: in idem peccatum impegiſſe Nonni interpretem indoleſco. Gratiam habeo Dinnero, qui in epithet. voce Κρόνος mecum conjurat, vertitque εὐρυγένειος, *latam barbam babens*: Sceptrum ſiniſtra ſtringit, tirones etiam norunt Deos eſſe σκηπτούχους, & vides in hoc cimelio Lunam, Jovem, & Venerem idipſum geſtare: ſed in duorum extremitate

 globu-

globulus nitet; in eo, quod Saturni eſt, floſculus viget ad inſtar lilii, quod cernimus in Regum Gallorum ſtemmate; id ſi vidiſſet Montfauconius, in longam admirationem abreptus eſſet; nam modo mihi in mentem venit tantum virum, cum retuliſſet in Antiquit. explan. imaginem, neſcio quam, non magnæ vetuſtatis virgulam cum ejuſdem figuræ floſculo manu regentem, lectores ſuos id attente advertere juſſiſſe: ſed ea de re nihil nos docet; hoc unum ipſe monitum te volo, ut artificis noſtri curam notes, qui quaterna iſthæc ſceptra pro Deorum ποιότητι ac dignitate apte diſtinxit, & Saturno, utpote οὐρανίδῃ μέγ᾽ ἄνακτι Θεῶν προτέρῳ βασιλῆϊ, uti vocat Heſiodus Theog. v. 486. auguſtius, atque ornatius dedit, ceteris ſimplicius, Jovi imperioſius, & veluti haſtam puram, cui ſe innitentem ubique cernimus; Veneri elegantius, & infula, ſeu vitta decorum: verum de ſceptro addam quædam etiam non pœnitenda, cum mihi de Jove ſermo erit. Sed gratulor divinaſſe, cur hæc ſiderea numina ſceptris ab atramentario artifice ornata ſint; id me docuit ſcholiaſtes Apollonii in lib. 4. Argon. v. 262. dum inquit ſeptem planetas fuiſſe veluti ſatellites & lictores duodenorum zodiaci Deorum, hinc virga armari oportebat, & ῥαβδοφόρους vocari: Καὶ τὰ μὲν δώδεκα ζώδια Θεοὺς βουλαίους προσηγόρευσαν· τούσδε πλανήτας ῥαβδοφόρους. Idipſum adſtruit auctor libri, qui *Epinomis* dicitur falſo Platoni affictus. Hic mirandum mihi eſt Petrum Fabrum, qui quæſitiſſima de omne genus ῥαβδούχοις ſcrutatus eſt Agoniſt. lib. 1. c. 20. & ſeqq. planetarum ῥαβδούχων fuiſſe oblivioſiſſimum. Et gaudendum mihi eſt hujus thecæ calamariæ fabrum res aſtrorum, & ſymbola probe calluiſſe.

II. Saturnus dextra ſtringit inſtrumentum, quo a Diis diſtinguimus, ſcil. falcem: Banierius mythol. to. 3. p. 429. inferioris ævi opinioni adeſit, hunc Deum nempe falcem geſtare, quod culturam agrorum invexit: cui adſtipulatur Jo. Bapt. Paſſerius in gemm. aſtrifer. pag. 42. teſtemque vocat Macrobium: & piget tantum virum ea de re etiam ad Virgil. Æn. 7. v. 179. provocare, cum inibi poeta Sabinum canat *ſervare curvam falcem*, non vero Saturnum. Ceterum Heſiodo μυθολόγων principi credas, qui docet Theog. 180. Saturnum falce τὰ μήδη ſui patris demeſſuiſſe:

. . . . δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅρπην
Μακρὴν, καρχαρόδοντα, φίλου δ᾽ ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Ἐσσυμένως ἤμησε.

Quod etiam habeo ab inferioris notæ poetis, uti Nonno lib. 7. v. 226.

. . . . ἀμερσιγάμῳ Κρόνος ἅρπῃ
Μήδεα πατρὸς ἔτμηνεν . . .

Et lib. 18. v. 225.

Κουφίζων Κρόνος ὑγρὸς ἀμερσιγάμου γένυν ἅρπης . . . .
Τάμνεν . . . στάχυν ἄρσενα πατρός.

Licet Aſcræus vates, & Nonnus *falcem* non vocent *curvam*, ea forma donatam fuiſse certos nos reddit Homerus, δρέπανον μὲν ἐγὼν εὐκαμπὲς ἔχοιμι Odyſs. 18. v. 367. ea de re alios etiam Scriptores conſulas, quos

ego

ego non curo, locuples mihi fundus eſt poetarum dux: vide etiam Anthol. lib. 6. ubi legere eſt cap. Γεωργῶν ep. 9. v. 2. γαμφὰς πυρολόγυς δρεπάνας· & ibidem cap. Κηπωρῶν ep. 1. κὴ δρεπάνην καυλῶν ἄγκυλον ἐκτομίδα.

Nunc mihi lis eſt acrior, & diuturna de hujus vocis δρέπανον, ſive δρεπάνη etymo cum Mazochio τῷ πάνυ, qui in eo veſtigando orientalis linguæ penitiores gazas exhaurire viſus eſt in non ſatis laudando ſchediaſmate de Corcyræ nominibus; itaque conatur primum virorum ſummus δρέπανον extorquere ab זרב *effundere*, *profluere*, poſteriori ævo etiam *infarcire* & *conſtipare;* namque, ait hanc inſulam Δρεπάνην coarctatam eſſe, atque infartam ab limo, quem fluvii ab Epiro decurrentes exonerarunt, ita ut prope jam illam continenti adnecterent; concluditque: *Hæc quidem etymologia mala non eſt: ſed quærenda ſunt meliora*. Quare calculis melioribus probat δρεπάνη poſſe extrahi a צרף quod eſt *conflare*, & apud Chaldæos *conjungere*, *conſolidare*, ita ut δρεπάνη ex fonte Hebræo tracta audiat Latine *ferruminatio*, *adglutinatio*, & Græce ἠπείρωσις· nam parum aberat, ne fluvii illam διηπειρῶσι, ex inſula ſcil. continentem facerent, ac conſolidarent; atque ut hoc Phaleſgicam etymi ſui induſtriam firmet, teſtem vocat Ariſtotelem, qui nobis conſervavit fuiſſe hanc inſulam ἠπειρωθεῖσαν, deinde, averſis amnibus, iterum disjunctam. Et ne credas cl. Mazochium de κυρίοις nominibus τῦ Δρεπάνυ ſolummodo loqui, hæc etiam apponit in adnotationib. p. x i. col. 2. de voce δρέπανον appellativa: *Nec a vero abhorret, ſi dicamus vocem ipſam appellativam δρέπανον, quæ falcem deſignat, ex eodem* צרף *terap, ſive drap, quod eſt conflare & conſolidare fuiſſe factam*. Mox antehac inauditum procudit σύστημα urbes omnes, & promontoria, quæ Δρεπάνυ nomine appellitantur, hoc habuiſſe, non eo quod ſint δρεπανοειδῆ, verum quod olim inſulæ, deinde vi torrentium vel ex earum rupibus, vel ex continente decidentium oppleto mari, quod interjacebat, ἀκρωτήρια evaſerint, quod ubi factum eſt, tum vero *Drepani*, h. e. *Ferruminationis* nomen obtinuerunt. Demum vir maximæ lectionis duodecim, ni fallor, urbes maritimas, & promontoria Δρέπανα, vel Δρέπαναι dicta corraſit ex Strabone, Stephano, & Cellario, (quæ in horum indicibus facile reperias,) cunctaque ita appellari vult, quod ab circumfluis undis terræ adglutinata ſint. Concluditque urbem *Sareptam* etiam quoad etymon æque eſſe, ac Δρεπάνη, eamque olim fuiſſe inſulam id genus ferruminationis paſſam.

Hæc a me ἐν κεφαλαίῳ bona fide ex aureo Mazochiano libello extracta quæſo, ut inibi opulentius non ſine ſelectiſſimæ eruditionis fœnore legas. Attamen mihi pro recurvæ falcis etymo, & veritate, tamquam pro Achillis armis contra decertandum eſt. Et ſane voces דרף vel זרף non curamus, nam poſterioris ævi ſunt, & Rabbinicæ, neque in ſanctis libris eas reperies, atque ab bona ῥήσει Hebræa צרף, *conflare*, abortæ ſunt; verbo autem צרף notio vera, & κυρία ineſt *defæcandi*, & *conflandi* ſolummodo *metalla*, & ſuboles nominum, quæ ab hac radice fruticant, ſunt

fuſo-

fuſores auri, *argentarii*, atque id genus artifices; vide in ea ῥήσει Marium de Calaſio; ubi etiam advertes in eo convenire cum ceteris orientis ἰδιώματι· quare nimis detortam video, ſi etiam ad limoſam terrarum conglutinationem transſeratur. Præterea ut pullulet δρεπάνη ab צרף non parum otii terendum; permutes oportet prius צ in ד, deinde addendum ϛοιχεῖον נ in fine: ſcio ſane נ eſſe litterulam heemanticam, adque poſſe in fine vocum, uti quidam ex סתר, *latuit*, expromunt in lucem *Saturnus* addito נ, de cujus falce nunc ἀπολογοῦμαι· verum id etymon inficetum eſſe mox oſtendam, & bonum ipſe cudam, ac fortaſſe verum; ſi autem in vocula trium litterarum primam commutari, in extrema etiam quid adglutinare velimus, quis ferret nos ἑβραΐζοντας, tanquam figulos ex amphoris creare urceos? Præterea id genus aggeſtionum, quæ terras πελαγίας continenti adnexuere, ne unam quidem veram in hiſtoriis reperire eſt; & Pharus, Ægyptia inſula, quam canit Homerus Od. δ. v. 355. ante Nilum ſitam, & unius diei navigatione a terra ſemotam, vel ab vate principe efficta eſt, uti inibi Protei fabella; atque ita etiam ſentit Strabo, προϛέθηκη παρ' ἑαυτῦ πολλαπλάσιον διάϛημα τῦ μυθῶδυς χάριν pag. 64. Amſtelæd. edit. 1707. vel credam potius terræ motibus ſubſediſſe, ſi unquam exſtiterit, quam fluvium Nilum tantum cœni limique intra vaſtum mare exoneraſſe, eoque longius impuliſſe, ut fere per centum mille paſſus cœnum illud contra aquarum vim maximam protulerit, quo Pharum inſulam Ægypto adglutinaret. Quantum hi Homeri verſus, quos patronos ſententiæ ſuæ ex Strabone affert cl. Mazochius, pag. 5. in adnot. col. 2. interpretes torſere, vide matronam Daceriam in commentar. in Hom. Contra vero pro certo habetur mare potius terras arroſiſſe, exindeque ab ἠπείρῳ evulſas partes terræ etiam immanes inſulas circumfluas efformaſſe, ut probat Sam. Bochartus, cum de Pharo inſ. loquitur. Et certiſſime ſcimus Leucada nunc πελαγίαν Homeri tempore fuiſſe ἠπειρωτικὴν· ita ut ne Judæus quidem crederet, quotquot urbes, & promontoria Δρέπανα dici legimus, antea fuiſſe πελάγια.

Neque mihi cum undecumque eruditiſſimo Mazochio moleſtus ſis, eo quod a Cerere rogatus Neptunus amnes ab Epiro decurrentes alio detorſit, Corcyra hujus numinis ope a grandi ſcilicet infortunio ἠπειρωτικῷ liberata ſit; nam hæc ſabella enata eſt, ut vident, quibus vel parum jecur ſapit, quia Græci interpretati ſunt nomen Homericum hujus inſulæ *Scheria* a verbo σχέω *inhibeo*; quare inhibita flumina a Diis commenti ſunt, cum fabula quidem longe nomine ipſo inſulæ poſterior ſit. Contendit præter hæc Mazochius, propterea quod Buxtorfius huic radici צרף, *efferruminavit*, veluti traducem facit nomenclaturam urbis צרפת, *Sarepta*, olim etiam inſulam exſtitiſſe in Phœnicia; (quam vocem nunc in ſanctis libris ſanequam inficetis punctis animatam leges, ſcil. *Tſorphat*, immane diſſonam a vera ἐκφωνήσει *Sarepta*, quam ſervarunt LXX. Senes, & Lucas Evangeliſta); verum id oppidum ex ſitu, in quo geographi Relandus, & Cellarius

Digitized by Google

larius apponunt, vel flumine, vel mari circumfluam olim fuiſſe excogitare poſſet nemo. Concoquere autem nullus queo id, quod addit vir κριτικώτατος pag. 11. Drepanen, ac Sareptam nihil prorſus inter ſe differre; etenim ſi utrumque nomen ab eodem fonte צרף flueret, rationem nullam excudi poſſe reor, cur ex inſulis continenti adglutinatis una dumtaxat *Sarepta*, pluſquam vero duodecim Drepanæ vocitatæ ſint tam longe a fonte Hebræo Mazochiano degeneres; verum fatendum eſt vel utramque vocem, vel ſaltem Δρεπάνην τῷ צרף eſſe germen ſuppoſititium; præſertim cum in nominibus propriis Phaleſgica στοιχεῖα ſanequam pauca Græci emolliant & inflectant; quare ſi verum eſſet, quod a viro clariſſimo docte, ac ingenioſe excogitatum eſt, omnes id genus infelices ob duram ἠπειρώσεως neceſſitatem inſulæ, Sareptæ melius, quam Drepanæ audiviſſent.

III. Cum igitur hæc ſententia tantis, & fortaſſe non contemnendis affligatur difficultatibus, a veteri, & concinna minime abeundum, urbes, inſulas, ac promontoria Δρέπανα dicta eſſe a *falcis* figura, ſeu a curvatura ſinus, cui inſident. Et ſane Corcyram, qua de nunc ſermo, fuiſſe recurvam indicat flos poetarum Homerus, illam enim deſcribit portuoſiſſimam Od. ζ. v. 263. καλὸς δὲ λιμὴν ἑκάτερθε πόληος, *pulcher vero portus hinc & inde urbis*, quos ambos ſanequam capaces Ulyſſes admirabatur Od. η. v. 43. θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας, καὶ νῆας, quare nemo neget huic inſulæ plurimum adfuiſſe curvaturæ, ut mare introrſum cederet, & falcatum, & bis portuoſum litus faceret: imo illud longo intervallo circumflectere oportuiſset, ut in eo eſſent Neptuni templum, grande forum, & mirifice patens navale Od. ζ. v. 266. Ἔνθα δέ τε σφ' ἀγορὴ, καλὸν Ποσιδήιον ἀμφίς. v. 268. Ἔνθα δὲ νηῶν ὅπλα μελαινάων, κ. τ. λ. Præter hæc Cellarius in geographicis tabulis ſatis ſuperque recurvam depinxit Corcyram, & Guilelmus Delisle ex regia Pariſienſi academia, quo nemo curatius terras delineandas ſtuduit, hanc inſulam vere δρεπανοειδῆ in tab. Græciæ antiquæ exhibet; & poſthabenda eſt figura ejuſdem inſulæ, quam leviter curvam in chartis ſuis geogr. illevit Nic. Samſon, ita ut pro recta linea haberi poſſit, ad quem pro ſententia ſua provocat cl. Mazochius; præſertim cum etiam Card. Quirinus, qui vere ſtudet αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, Hom. *ſemper præcellere, & eſſe omnium eminentiſſimum* in laborioſo volum. de Corcyræ primordiis, utpote per plures annos αὐτόπτης, ad falcis fœnariæ σχῆμα effinxerit, cujus doctiſſimi Cardinalis pondus atque auctoritas quemque pertinaciſſimum frangere debet.

Ceterum urbibus, lociſque populos nomina dare ex figura, quam præſeferebant, affectaſſe tritum eſt; ſatis ſit evolvere geographorum indices; & ecce tibi Δέλτα μέγαν, & Δέλτα μικρὸν in Ægypto; Trinacria, vel Triquetra ob terna promontoria audit Sicilia; Cyclades inſulæ notiſſimæ ſunt hoc nomine, quia *circa Delum in orbem ſitæ*, ut ait Plin. l.4. c.12. Et Strabo lib.10. p.334. ἡ Δῆλος, καὶ αἱ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες. Non unas etiam legimus urbes Lunæ nomine, vide Geographos, eo quod

ejus

ejus aſtri falcati figuram referunt: præſertim urbs Luna in ſolo Etruriæ, quam memini me legiſſe in nuperis ejus regionis doctis Scriptoribus, ita appellatam, quod ad ejuſdem ſideris cornuti imaginem conſtructa eſſet; quin & inibi numiſmata adſerunt reperta argentea, cum Hadriani capite, atque in poſtica eſt Luna falcata cum ſtella, tanquam ejuſdem urbis ſymbolum, uti in Rhodianis roſa ineſt. Quædam ab aſpectu, & ab σχήματι, quod a longiore ſpatio intuentibus oſtentant, nomen nacta ſunt, veluti Τριήρης, *Triremis*, urbs maritima in Phœnicia: Climax, ſeu *Scala*, mons: & urbs *Phaſelis*, de qua inquit Liv. l. 37. c. 23. *In confinio Lyciæ, & Pamphiliæ Phaſelis eſt, prominet penitus in altum . . . & procul navium præbet proſpectum*. Miror ſane viros indefeſſæ lectionis Salmaſium, & Cellarium, illum in Solinum pag. 551. ubi bene multa de Phaſelide, hunc in notit. orb. ant. minime collegiſſe, quæ de Phaſelitarum moribus in oratione adverſus Lacritum affert Demoſthenes, eoſque inter cetera traducit πονηροτάτους καὶ ἀδικωτάτους ἀνθρώπων. Et ipſe eruditiſſimus Mazochius me docet in libello de Aſcia pag. 258. Apameam dictam Κιβωτόν *ex eo, quod Arcæ figuram qualemcumque oſtenderet*; quanquam contrarium proferat Cellarius in geogr. ant. to. 2. p. 136. ait enim, *Apamea*, Κιβωτός, *Arca urbs dicta fuerit, quia emporium erat, & quaſi mercium arca & receptaculum*, quod magis placet, nullus enim ſcio, quo pacto urbs *arcæ* σχῆμα præſentare nobis poſſet.

Adde Clupeam, urbem Africæ, quod inſtar clypei in rotundo munita erat, ut inquit Salm. in Solin. p. 220. Áb noſtris etiam Neapolitanis locis exempla petamus, ajo inſulam Megaridem, ſeu Megalidem, aut Megaliam, ita vocitatam, eo quod ad exemplum falcis mari curva inſideret, etenim מגל eſt *falx*; ſi cum elemento canino R legas, tirones norunt ambas litterulas L, & R quavis lingua facile inverti, vid. ſexcenta exempla in Voſſ. de permut. litterar. & Cellarium to. 1. p. 763. Neque dubites, quin a curvitate nomen indepta ſit hæc noſtra inſula, dum ætate Statii curva audiebat, inquit enim Silv. 2. carm. 3. *Quæque ferit curvos exſerta Megalia fluctus*, niſi enim falcata fuiſſet, a curvis fluctibus minime percuſſam poeta caneret. Forte ideo plures urbes Megaræ, ſive Megarides dictæ ſunt, quia in curvis ſinibus exſtructas reperio, uti non unas Drepanas. Quod etymon a מגל ſincerum exputo: ſi quod aliud obtendatur, illiberale eſt, & νοθείαν olet: miror ſane virum ſummum Mazochium in diſſ. hiſt. de Eccl. Neap. p. 220. Megaris in Bocharti verba jurantem extrahere ab גור, inde מגור, *commoratio*, quod nomen eſt nimis γενικόν, & cuivis loco, vel regioni habitabili apponi poſſet, præterquamquod litterula ו redundare vides; atque haud ſcio, an jure ſibi gratuletur, cum chartis ſuis illinat: *Hæc igitur vera origo nominis hujus* νησιδίου. Aliud etymon, quod a voce Greca profert, nihili eſt, cum a Græculis inelegantis ſæculi mutuetur, neque ipſe emunctiſſimæ naris vir tanti mihi videtur facere, ideſt ab dictione μέγαρα, *ſubterraneæ habitationes*, ſeu *barathra*, cum contra veteri Græciæ vox μέγαρον, vel

μάγα-

Digitized by Google

μέγαρον ſit *domus ampla*, uti ſæpe apud Homerum. Verum ea de inſula bene multa ſervo, cum σὺν Θεῷ de Puteolana regione mihi diſſerendum ſit. Igitur ſi oppida, & ἀκρωτήρια veteres appellaverint ab σχήματι, quod exhibent intuentibus, quis prohibet, quominus etiam a ſinus curvatura Δρεπάνα dicta ſint, præſertim cum *falcis* vocabulum, & figura unicuique nota ſit, & menti facile ſe offerat? Contra vero negare cum Mazochio tot urbes Δρεπάνας non a σχήματι deſumpſiſſe nomenclaturam, videtur non parum προπετείας præſeferre; atque haud ſcio an eruditiſſimi viri fama nobis poſthac imponat δρεπάνην in Hebræo fonte eſſe *ferruminationem*, non *falcem*.

IV. Quoniam vero opinionem aliorum caſtigare non tam arduum eſt, niſi meliora veritate ſua nos percutiant; tentandum an ab lingua principe hauriri vox poſſit, quippe jam viget hodiedum mos τοῦ ἑβραΐζειν, quæ & integra ſit, nulliſque indigeat fulcris, atque ab *falcis* notione nihil diſcedat; eam ſane reor eſſe דרבן, quam interpretatur aliquanto ἀπροσδιονύσως Hieronymus, *aculeus*, *ſtimulus*; verum certum eſt 1. Sam. 13. 21. hanc ῥῆσιν apponi cum ceteris agreſtibus inſtrumentis, quare nemo mihi intercedat, quominus inibi pro *ſtimulo* vertam *falcem*; præſertim cum Rabbini edicant דרבן nomen γενικὸν eſſe, atque adnotare *ferrum ligno inditum*, quæ definitio belle quadrat τῷ δρεπάνῳ. Et ne credas harum falcium ligno affixarum nos exemplo carere, ecce tibi Cæſar appoſitiſſime lib.3. de B.G. cap. 14. qui eas *murales* etiam appellat: *Una erat magno uſui res præparata a noſtris*, *falces præacutæ*, *inſertæ adfixæque longuriis non abſimili forma muralium falcium*. Adde quibuſdam falcibus etiam aculeum adnexum fuiſſe, præſertim illis, quas ſtringebat Saturnus, vide ſuperiorem gemmam Senatoris Bon p. 327. & quamplures hujus Deorum patris nummos. Præterea habes falcem cum aculeo in præclariſſima gemma, quam exhibet L. Auguſtinus part.2. n.33. & in ſecunda Jo. B. Paſſerii de gem. aſtrif.

Verum ut rem omnino firmem, & viris ἑβραΐζουσιν in Græcorum vocum etymo famam conciliem, ſcias in laudato Samuelis loco, ubi eſt דרבן, ſenes LXX. appoſuiſſe δρέπανον, & jure meritiſſimo, noverant enim tum veram dictionis Hebrææ notionem, tum vocabulum in utraque lingua iiſdem elementis conſtare; miror Hieronymum ab his ſenibus diſceſſiſſe, atque vertiſſe *aculeus*, meque piget hunc partes interpretis πολυγλώττου parum curate impleviſſe, quod felicius præſtitere, qui Samuelis libros in Syrum, atque Arabicum ſermonem commutarunt, nam vocem, quæ *falx* valet, adhibuiſſe conſtat. Conqueri mihi fas ſit tot doctiſſimos viros, qui in ſancta βίβλια æternos commentarios convectarunt, nihil de ῥήσει דרבן adnotaſſe, neque ejus γνήσιον ſignificatum penſitaſſe, quem & Clericus poſthabuit, licet Hebræi ſermonis ſcientiſſimus. Demum intererat Mazochii, qui præclara ſatis de δρεπάνῳ ſelegit, vocabulum דרבן cum primis exacte perpendere, neque penitus obliviſci, quem vel a pueris rerum, & vocum *biblicarum*, cum in his me adoleſcentem inſtitueret, omnium

Digitized by Google

retro doctiſſimorum virorum callentiſſimum ſuſpexi. Hinc facile concludam vocem δρεπάνη longe melius extrahi ab ורבן, cui nulla litterula vel mutanda, vel appingenda, & notio ſanequam proxime accedit ad Græcum vocabulum, quam ab Mazochiano צרף, quod in utroque graviter, pace tanti viri dicatur, claudicat ac nutat; atque iterum reparatur vetus ſententia oppida, & promontoria Δρεπάνων nomine ab hujus agreſtis inſtrumenti σχήματι ita appellitata; ac ipſam ruſticorum falcem non a צרף, ſed a noſtra ſaniore ורבן radice pullulare.

Porro facile prætereunda mihi reor, quæ plurima de hoc ſidere primigeno ab aliis dicta ſunt: unum addam de etymo vocis *Saturni*, quod puto nullumdum mihi inficiaturum, licet in eo veſtigando perdiu inſudarint; videtur ſane ἀμέσως enaſci ab Phaleſgico שטר נרה, *dominus lamentationis*, ideſt Latinorum more, *is*, *qui vehementem animi ægritudinem infert, ac vim malignam exſerit*; quæ hujus ſideris poteſtas eſt, quamque omnes formidant: hinc opportune audit apud Orph. Arg. v. 424. αἰνολέτης, *graviter perdens*: atque apud Oppian. Κυνηγ. γ. v. 10. ἀμείλικτος, *qui mulceri nequit*, & apud Nonnum ὠμηστὴρ, *crudelis*, & in Antholog. στυγνός, *inviſus*, ſed binorum Scriptorum pagellam adnotare, & verſum oblitus ſum; & lib. 2. cap. 43. epigr. 2. audit ἀστὴρ πᾶσιν ἀπεχθόμενος, *aſtrum omnibus infeſtum*: dictum fuiſſe etiam κακοποιὸν docuit me Phil. D'Orvillius in Charitonem pag. 773. quæ quidem προσθετὰ Hebrææ vocis ſignificationi, quam attuli, conſonant, imo στοιχεῖα eadem cernis, ac *Saturnus*, שטר נרה. Contra vero etymon, quod procudit, Junius ab סתר, *abſcondit*, atque omnes amplexi ſunt, commendatque Voſſius, ſocer enim hujus erat Junius, tum longe petitum, tum extrema ſyllaba deſertum vides. Laudandus autem Junius, qui vocem Κρόνος ab קרן, *ſplendeſcere*, educit, cum ipſe reperiam ſidus Saturni a Cic. 2. de nat. Deor. appellari *Phænon*, atque ab Orpheo in 12. hymn. Saturni, αἰθαλής, *ardens*, *lucens*. Quo autem non cum iis, qui orientis ἰδιώματος gazas ignorant, etymon a me cuſum vocis Saturni contemnas, firmandum duco affatim lepido epigrammate Lucillii Antholog. lib. 2. cap. 25. ep. 7. ubi hic Deus, tum δεσπότης, tum κακοποιός ſalutatur, quæ apprime reſpondent Hebræis binis ſupernis voculis; & miror D'Orvillium in laudato loco in Charitonem hoc epigramma non vidiſſe, quanquam tanto viro hæc Ἀνθολογία in deliciis fuerit, novamque ἔκδοσιν pararet.

Τὴν γένεσιν λυπῶντα μαθὼν Κρόνον Ἡλιόδωρος,
  Νύκτωρ ἐκ ναῶ χρύσεον ἦρε Κρόνον,
Τίς πρῶτος κακοποιὸς ἐλήλυθε πείραστον, εἰπών,
  Δέσποτα, καὶ γνώτη τίς τινός ἐστι Κρόνος·
Ὃς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει·
  Εὑρὼν μοι τιμὴν, πᾶν ἀνάπλλ', ὃ θέλεις.
Noverat infeſtum ſibi Saturnum Heliodorus,
  De nocte e templis aurea ſigna rapit:

Expe-

Experiare, inquit, quis primus nunc malus adſit,
Dive, ac Saturnus tu mihi, an ipſe tibi:
Namque aliis mala qui ſtruit, ipſe crucem ſibi figit:
Portendas, dives nunc ſum ego, quod cupias.

Ita Latialiter recuſum a me per otium accepiſti.

v. Verum diu ſub infauſto Saturni ſidere morati ſumus, ad inſpectandam hilarem, ac benignam Auroræ figuram accedam, nam ϛυγνὸς Κρόνος, Ἥλιος ἡδὺς Anthol. lib. 7. ipſam autem vides in noſtra calamaria theca cum longa tæda, ſic apud Hom. Il. ω. 785. audit φαεσίμβροτος, quod etiam προσθετὸν ineſt in Orphei hymno in Auroram, & Q. Calaber φαεσφόρον eam vocitat lib. 2. v. 185. 655. ejuſque facem dicit φάος lib. 3. v. 1. ut de ceteris ſileam, nam nota res eſt. Hujus Deæ ſiniſtra flagello armatur; quod nunc primum cernimus; imo nullum adjunctum in Græcis, vel Latinis Scriptoribus reperire eſt. Minime gratias habeo Athenæo, qui inquit ſolummodo in pompa Ptolemæi Philadelphi fuiſſe etiam imaginem Auroræ, ſed illam deſcribere pœnituit, fortaſſe uti imaguncula noſtra flagello exornabatur, vid. lib. 5. pag. 195. Εἵπετο δ' αὐτοῖς καὶ Ἡμέρας, Γῆς τε, καὶ Οὐρανοῦ, καὶ Ἠοῦς, καὶ Μεσημβρίας, κ. τ. λ. Verum ſi Euripides in Oreſt. vocat μονόπωλον, *unico equo gaudentem:* Calaber lib. 1. v. 48. Ἠὼς μαρμαρέοισιν ἀγαλλομένη φρένας ἵπποις, & lib. 2. χρυσήνιον, *habenas aureas regentem:* Theocritus idyll. 13. λεύκιππον, *candidis invectam equis:* & Nonnus in Dionyſ. δίζυγον, *bijugem*, ut Latinos taceam, compellant, neceſse ſane eſt, ut flagellum ſtringat dextera, quo equos cædat; ſicuti Statium noſtratem id inſtrumentum Lunæ dediſſe memini, *ſeſeque vagantem Colligit, & moto leviter fugat aſtra flagello:* ſi tibi otii eſt conſule tot inſculptas gemmas, Montfauconium, & Herculanei picturas, in eiſque cernes fere Deos omnes currus regentes μάστιγας etiam ſtringere; apponam vivax Argentarii epigramma, licet notiſſimum ex Anthol. lib. 1. εἰς Ἔρωτα, in quo Cupido in onyche vim leoninam moderans ad arbitrium, & verberibus premens deſcribitur, ut te Græcis poetarum deliciis parumper levem tædio meo ſcribentis:

Αὐγάζω τὸν ἄφυκτον ἐπὶ σφραγῖδος Ἔρωτα
Χερσὶ λεοντείαν ἡνιοχεῦντα βίαν,
Ὃς τῇ μὲν μάστιγα κατ' αὐχένος, ᾗ δὲ χαλινοὺς
Εὐθύνει· πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις·
Φρίσσω τὸν βροτολοιγόν· ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάζων
Ἄγριον, οὐδ' ὀλίγον φείσεται ἀμερίων.

Quod Latine, quantum Linguæ paupertas patitur, reddidi κατὰ λέξιν·

Accluſum tueor ſcalpta hac in gemmula Amorem,
Tracta hujus manibus lora leo patitur:
Hæc flagrum in collum intendit, regit altera frænos,
Quam multa, & vivax gratia ubique viget:
Horreſco hunc hominum peſtem, qui monſtra ferarum
Edomat, nil hominum parſerit hic ſoboli.

Yy 2 Adde

Adde Platonem unico hexametro gemmam ſculptam deſcribentem Anth. lib.4. c.18. ep.12. Εἷς λίθος, ἅρμ', ἐλατὴρ, ἵπποι, ζυγὸν, ἤνια, μάστιξ, vides igitur ubi currus, & equi, aut belluæ, qui eum trahunt, cum eiſdem ſimul *flagelli* mentio; Auroram autem currum regere ad ravim canunt poetæ, pro multis unum Ovidium legas in eleg.13. lib.1. amor. ubi longo carmine hanc Deam graphice deſcribit, & v.2. & v.19. *axem* ejus, ſive *currum pruinoſum* meminit, ac v.37. *rotas*. Et ſane dum v.10. canit: *Roſcida purpurea comprime lora manu*, quis prohibet, quominus *lora* hic ſint *flagellum*, licet plerique omnes *habenas* intelligant? verum norunt vel tirones vocem *lorum* utramque notionem induiſſe, hinc ſollemne eſt Latinis *cædere loris*; & in Ovidii verſu pro μάστιγος notione vox *lorum* eſt longe opportunior. Verum ne dubites, quin inter Græcos Scriptores Auroram currum equoſque regentem me veſtigare haud potis fuerim, etenim id teneo ex Nonno Dionyſ. lib.15. v.279.

Τιτωνὸς ῥοδόεις πέλε νύμφιος, ὃν διὰ μορφὴν
Δίφρον ἐὸν στήσασα φαέσφορος ἥρπασεν Ἠώς.

Quare neceſſe eſt, ut equos tum habenis, quo vellet dirigeret, tum flagello, ut maturarent iter, urgeret. Si vero cordi ſit interpretari flagellum, quod huic Deæ tribuitur, inſerviiſſe ad excitandos homines, ut diei mane ſummo opera aggrederentur, per me liceat, imo arridet magis, etenim ab Nonno vocatur Aurora ἐγερσίμοθος, *ad labores excitans*; & Orpheus ante Nonnum hoc eodem adjuncto illam honeſtaverat, ἔργων ἠγήτειρα· imo rogaris, ut laudatam Ovidii elegiam inviſas: hinc poeta longiſſime conqueritur, eo quod matutina Aurora mortales, & omne genus animantium ad opus laboreſque vocet excitetque. Jure igitur atramentarii noſtri faber in hujus Deæ manu altera μάστιγα appoſuit. Demum non me latuit id flagellum tum Auroræ, tum ceterorum aurigantium, ſive hominum, ſive Deorum peculiare nomen Græcos habuiſſe, atque ab exteris gentibus mutuatos eſſe, quod me docuit Pollux cap. 13. περὶ ἱππικῶν σκευῶν lib. 10. ſegm. 56. auditque μαράγνα· hæc ῥῆσις quantis commentariis onuſta ſit, vix fidem præſtes, niſi hujus onomaſticon adeas; miror ſolummodo quoſdam ex doctiſſimis viris hanc vocem antiquiſſimam ab non tam vetuſta Chaldæa dictione מרגנין, vel מר גנא traxiſſe, cum dicendum potius fuiſſet Chaldæos ab Græcis dictionem hanc furatos eſſe. Verum cui plurimum otii ſuppetet, ſcrutetur, an beatus ſit in ejus vocis tum etymo, tum unde gentium Græci ſua civitate donarint.

VI. Præterea intueor Auroræ peplum atramentarium artificem roſis undique diſtinxiſſe, quæ in archetypo longe clariores ſunt; vel pueri noſcitant ipſam ab poetarum principe fere ſemper ſalutari ῥοδοδάκτυλον· in Homeraſtri hymnis leges ῥοδόπηχυν, in Q. Calabri lib. 2. ῥοδόπεπλον, & lib. 1. ῥοδόσφυρον, atque in Nonno ῥοδοσπεφῆ· ex te ipſe Latinos inviſas. Igitur noſtri atramentarii argentarius optime ſibi conſuluit, cum Auroræ peplum ex poeticis documentis roſarum floribus oneraverit. Ut autem

de

de Homero aliquantulum merear, excutiendum reor, quid ſibi velit vox illa ſollemnis ῥοδοδάκτυλος, quam & veteres ſcholiaſtæ, & nuperi interpretes doctiſſimi reddunt, *roſeos digitos habens*; hæc ἑρμηνεία, licet longi temporis præſcripto inducta, atque imperata ſit, tamen aliud in mente habuiſſe Homerum probandum aggredior. Et quidem notandum mihi initio eſt ῥῆσιν hanc δάκτυλος ignotam fuiſſe Homero, tantum abeſt, ut pro *digito* accipiatur in τῷ ῥοδοδάκτυλος, & omnibus mirum futurum reor, cur in longiſſimis Iliade, ac Odyſſea nuſquam vox δάκτυλος legatur; imo magis mirandum nos neſcire, quo pacto Homeri tempore digiti appellarentur, cum nullum eorumdem vocabulum, neque unquam mentio; atque idipſum invenire deſperes in Heſiodo; ſi hujus rei cauſam a me rogites, fateor cum ignariſſimis ignorare; χείρ vero *manus* ubique carminum horum vatum, & ad delicias repetitur; adde Homerum vel minimas corporis reliquas partes meminiſſe, veluti σφυρόν, *malleolus*, πτέρνη, *calx*, κλῆις, *clavicula*, ἀγκών, κόρση, βρεχμός, *cubitus*, *tempus*, *ſinciput*; & ne tædio ſim, innumeras miſſas facio, imo reor omnia, præter pedum, vel manuum digitos, corporis membra ſummum vatem enucleaſſe. Hinc ſi nulla alia ratio ſuccurreret βατραχομυομαχίαν ſpurium eſſe Homeri fœtum, hac una ipſe contentus eſſem, cum in ea legam vocem δάκτυλον huic vatum principi ignotam, v. 45. Ἀλλ' ἐπὶ λέκτρον ἰὼν κατεδάκνω δάκτυλον ἄκρον, uti emendavit jure Barneſius. Contra vero reliqui poetæ Homeri filii tum Græce, tum Latine aures obtudere voce *digitus*, & *pollex*, *&c.*

Quare in mentem venit, an vox ῥοδοδάκτυλος in dubium trahi poſſet, quin ad digitos Auroræ Homerus animum intenderit; ſed fortaſſe quid magis appoſitum, & κυεμώτερον cogitarit. Res aliquanto altius repetenda. Porro videtur vox δάκτυλος fato inſelici nata; nam nequioris ſæculi Scriptores eam ad ſignandos palmæ fructus, ſive βαλάνους depreſſere, vide Voſſ. etym. & cum primis Ezech. Spanhemium de præſt. num. p. 348. & ſeqq. ubi vir ſelectiſſimæ eruditionis de voce δάκτυλος ſanequam optima collegit; piget enim me actum agere: mox Spanhemius ſumma honeſtate caſtigat Salmaſium adſtruentem Græculos fuiſſe in cauſa, ut in Ægypto, Syria, finitimiſque locis palma ſerens *dactylos* דקל *dikla*, ſeu *dakkhel* appellaretur; at contendit contra Spanhemius potius a דקל detortam eſſe ῥῆσιν ipſam δάκτυλος, & Syrum nomen Græca voce vetuſtius credit: ſed vereor, ut Salmaſio lis adjudicanda ſit, cum דקל certe illorum Syrorum, ac Ægyptiorum nomen ſit, qui poſtquam δάκτυλος ad notionem βαλάνου deſciverat, victitarunt; quare nihil prohibet, quominus inter ſexcentena & Græca, & Latina vocabula, quæ in linguam Hebræoſyram fœde deturpatam derivarunt, *dakkel* etiam adoptarint. Hæc de δακτύλῳ hi duoviri ſummi commentati ſunt, oblitiſſimi Homericæ vocis ῥοδοδάκτυλος, quam ipſe interpretor, ne longius te, & multis morer, *ut roſa purpurea*, ſeu *hyacinthina*, quare ne cogitavit quidem de ejus Deæ digi-

digitis ſummus vates, cum ætate ſua, & Heſiodea vocabulum δάκτυλος, *digitus*, plena dubii res eſt, an lucem viderat.

VII. Quoniam obdurato animo contendo Homericas quaſdam tenebricoſas voces, quo honeſta & decora διαγνώσει donentur, atque probe percipiantur ab Hebræa originatione extrahendas: videor nomen δάκτυλος, quod Auroræ tribuitur, ſeu melius *roſæ*, facile educi poſſe ab תכלת, *hyacinthus*, & *hyacinthinus*, quod centies invenies in Exod. ſi adhibeas, quæ ſollemnis eſt, extremæ litteræ metatheſin תכתל, cujus mutationis exempla tritiſſima ſunt, vide Voſſ. etymol. & Bochartum, qui tamen licentius ϛοιχεῖα Hebræa loco ſuo movet turbatque: unum apponam, quo meam metatheſin melius firmem, eſtque vox quæ etiam ad corporis partes pertinet, ab אזן, *auris*, clare educitur *anſa*, & *anſas* eſſe *auriculas* vaſorum tirones edocentur, contra Homerus *anſas* vocat *aures* Il. λ. v.631. δέπας περικαλλὲς, οὔατα δ' αὐτοῦ τέσσαρ' ἔσαν. Quare poſthac ῥοδοδάκτυλος Ἠώς non audiet, *roſeis digitis Aurora*, verum ex puriore Hebræo fonte vertes, *roſea*, *ſive rubra*, *ut hyacinthus*, cujus color, quin ad roſas pertineat, ne hæreas, inquit enim Plin. l.37. c.9. *In gemma hyacintho leviter roſeum colorem ineſſe, ac fulgorem violaceum*; idque melius *docet* Gell. l.2. c.26. *Sanguineus*, *roſeus*, *croceus*, *aureus*, *oſtrinus*, *fulvus flavus*, *rubidus*, *phœniceus*, *rutilus*, *luteus*, *ſpadix*, *rubei*, *ſeu rufi coloris ſunt*; quæ fere omnia προσθετά æque hyacinthi ſunt, & Auroræ; Virg. *Munera ſunt laurus*, & *ſuave rubens hyacinthus* ecl. 3. 63. meminit etiam coloris oſtrini & purpurei Ovid. Metam. l.10. v. 211. *Tyrioque nitentior oſtro Flos oritur*, *formamque capit*, *quam lilia*, *ſi non Purpureus color huic*, *argenteus eſſet in illis*; & Virgilius de eodem flore, *Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro languescit moriens*, de Euryalo lib.9. 435. Peccarem ſi Græca exempla oblivíſcerer, in Anthol. lib.7. leges, ὑάκινθος πορφυρέη, & eod. lib. Ἰνδῴη δ' ὑάκινθος ἔχει χάριν αἴθοπος αἴγλης, *Indica hyacinthus habet rutili ſplendoris gratiam*. Iiſdem epithetis ornaſſe Auroram Latinos norunt etiam adoleſcentes, vide Virg. lib.4. Æn. & lib.7. Ovid. lib.2. Metam. Stat. lib. 1. & 12. Theb. Sil. Ital. lib.1. & 11. & 12. Sed Græcos conſulamus, δροσερῇσι βόλαις πορφύρεεν Ἠώς Nonnus ... Ἀλλ' ὅτε πέτρας Πορφυρέας τετάτη θαλεμηπόλος ἔγραφεν Ἠώς, idem; ἐρυθαινομένη κατὰ κόσμον, *rubens decore* Orph. hymn. & ſexcenta id genus quiſque otio fruens colligat. Igitur non male concludam in ῥοδοδάκτυλος Homerum nihil de Deæ digitis cogitaſſe, quippe neſcio quid demiſſum & humile menti ingereret, ſed de colore purpureo, ſive hyacinthino; atque ſolummodo reſpexiſſe ad vocem primigeniam תכלת, ſive potius תכתל, *hyacinthus*, ex qua iiſdem ϛοιχείοις exit δάκτυλος. Docta, & multa Salm. in Solin. pag.929. de δακτύλῳ, nihil vero legas de voce ῥοδοδάκτυλος. Oblitus eram ſcholiaſtas interpretari ῥῆσιν hanc ῥοδοδάκτυλος native ῥοδόχρως, de digitis nil cogitantes; & Anacreontem in roſam terna ἐπιθετά veluti confundere ver.19. — τί δ' ἄνευ ῥόδου γένοιτ' ἄν; — ῥο-

δοδά-

δοδάκτυλος μὲν Ἠώς, -- ῥοδοπήχεες δὲ νύμφαι, -- ῥοδόχρυς δὲ κ' Ἀφροδίτα -- παρὰ τῶν σοφῶν καλεῖται. Et Nonnus lib.18. v.166. videtur interpretari vocem ῥοδοδάκτυλος, dum eam diſtinguit in duas, Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥοδέοις ἀμαρύγμασιν ἄγγελος Ἠοῦς Ἀκροφαὴς ἐχάραξε . . . ὁμίχλην, vides ῥόδεα ἀμαρύγματα æque valere, ac ῥοδοδάκτυλος.

VIII. Neque meæ ſententiæ ſtatim opponas ab Homero Thetin, marinam Deam vocari ἀργυρόπεζαν, *argenteos pedes habentem*, non mirum igitur, ſi a roſeis digitis dicatur Aurora ῥοδοδάκτυλος· verum facile reponam vocem πέζα ſejunctim nuſquam in hoc vatum principe, neque in σύγχρόνῳ Heſiodo haberi, uti notavi de ῥήτει prima δάκτυλος· quare, ut cito me expediam, ambæ illæ ſyllabæ πεζα tractæ ſunt ab Phaleſgico פז, & hoc ipſum ab פזז *conſolidare*, & *depurare*, (male Voſſius τράπεζα, quæ vox compoſita eſt, trahit a ſimplici טרף, *eſca*;) hinc probe colligitur Homerum nihil abjectum concoxiſſe, dum vocat Thetin ἀργυρόπεζαν, ſed κυριωτάτως dicas locutum, ac vertas, Deam *colorem præſeferentem ſolidi ac puriſſimi argenti*, quo nihil de aqua verius, & φυσικώτερον· quod idem eſt, ac illud Orphei Arg. ὕδωρ ἀργυροειδές, *aqua argento ſimilis:* Βρύζουσ' ἀργυροειδὲς ὕδωρ κρήνης ἀπὸ μέσσης, ut a Latinis diſcedam, qui unicuique proſtant. Neque urgeas certo dici τράπεζα, *menſa*, a *quaternis pedibus*, quibus ſulcitur, meque premas vocem hanc eſſe Homericam, cui adjicitur ἐπιθετὸν ejuſdem valoris κυανόπεζα, Il. λ. v.627. Ἡ σφῶϊν πρῶτον μὲν ἐπιπροΐηλε τράπεζαν Καλήν, κυανόπεζαν, εὔξοον, κ. τ. λ. nam iterum tibi obſiſtam, atque contendam vocem τράπεζα, ſeu πτράπεζα non procuſam a Græcis reſpectu quatuor fulcrorum, ſeu pedum, ſed dumtaxat figuræ; quare ita interpretor, *menſa quadrata affabre & ſolide*, quæ eſt vera notio originis פז, & פזז. Neque novum eſt hocce interpretamentum, cum Virgilius mihi ita judicanti præiverit, menſaſque ex ſola figura apposite vocaverit *quadras*, haud dubie Homericam τράπεζαν Latine invertens lib.7. v. 115. nam ea eſurie Trojani enecabantur, ut coacti ſint *patulis nec parcere quadris: Heu etiam menſas conſumimus, inquit Iulus*. Scio Pitiſcum pro hac *quadræ* διαγνώτει debacchari contra Ciacconium; ſed nunc major lux ex nupero τῆς τραπέζης etymo opinioni Ciacconii affulget. Adde *quadram* eſſe apud architectos plinthum ſtilobatæ, quem ἰδιωτικῶς dicimus *zoccolo*, juro in verba bonorum Vitruvii interpretum, eo quod menſæ figuram quadratam præfert. Et *quadra* eadem ratione audit etiam teſſera, ſive cubus luſorius, abſque eo quod de columellis, ſive fulcris cogitemus. Hinc non male geometræ *trapezium* vocant quandam πτραγώνου plani ſpeciem; itaque vocis τράπεζα poteſtas & κυριότης explicanda eſt ex πέτταρος, & פז, non a πέζα, uti antea dictum mihi eſt; præſertim cum Pollux lib.10.c.19. ſegm.69. jubet adjici τραπέζῃ, tanquam nomini γενικῷ, adjunctum πτράποδι, μονόποδι, *quadrupedi*, *unipedi*: ἔξεστι δὲ τὴν τράπεζαν, ἐφ' ᾗ τὰ ἐκπώματα κατάκειται, πτράπουν τι τράπεζαν εἰπεῖν, καὶ μονόπουν. Et ne credas me tantummodo hariolari, & longe

peti-

petita obtrudere, gratulor mihi inveniſſe in Athenæo lib. 2. pag. 49. ardens odium inter Cynicum quendam convivam, & ſophiſtam Ulpianum de nomine τράπεζα, ajebat enim Ulpianus male dici τράπεζαν, cum ſit τέτρας. Inde more ſuo Athenæus ad eam litem intercidendam provocat ad Heſiodum, ad Xenophontem, ad Antiphanem, (qui lepide jocatur ea de re ſuis verſibus,) atque ad Ariſtophanem; verum cum Athenæi locus longiuſculus ſit, atque mihi apprime faveat, eum conſulas rogo. Et quidem, ſi veram originem vocis τράπεζα, quæ Phaleſgica eſt, noſcitaſſent Dipnoſophiſtæ illi, facile rem compoſuiſſent. Neque Caſaubonus in animadv. p. 101. licet docta bene multa adnotet, litem ſolvit.

Hic mihi locus eſſet opportunus tot turbas litteratorum virorum conciliandi, quæ perdiu exarſere de vocabulis τραπεζοφόρος, & τραπεζοφόρον obſcuriſſimis, quæ in Pollucis loco laudato, & in verbis Paulli lib. 3. de ſupell. legata legimus; ſed ſatis longe noſtra commentatio ſpatiaretur; vide Jungermannum, atque Hemſterhuiſium in Pollucem, qui fere omnia, quæ de his binis vocibus agitata ſunt, contraxerunt. Verum & Paulli ſententia, & Pollucis verba adhuc tenebricoſa eſſe conquerimur; hodieque ex genuina τῆς τραπέζης, quam protulimus, notione, aliquo pacto & Pollucis, & Paulli mens perſpici poteſt. Demum ſi Homerus τράπεζαν vocat κυανόπεζαν, ne erres rogo cum ſcholiaſtis, & credas menſæ columellas, ſive fulcimenta cyaneæ pulchritudinis fuiſſe; verum poeta menſam ipſam graphice deſcribit, non pedes, ideo ſimul terna hæc aſſuit καλήν, κυανόπεζαν, εὔξοον, ideſt *elegantem*, *totam ex cyano*, ut colorem noſcas, *affabre elaboratam*; ita ſummi vatis ſententia, qui terna ἐπιθετά uni τραπέζῃ adnexuit, belle conſtabit. Hinc magis ad rem explices Pindaricum illud Olymp. 1. Δημήτηρ φοινικόπεζα, i. e. *rubeſcens*, *&* *omnino flava*, uti dicitur Hom. Il. ε. v. 500. Δημήτηρ ξανθή, quam *purpureos pedes habens*, quod vile & ignobile audit. Ita etiam apud Triphiod. δύσις ἀχλυόπεζα, ne vertas *caliginoſis pedibus occaſus*, quod nihili eſt, ſed *omnino tenebricoſus*; & Nonnus vocat τὴν δύσιν appoſite ἀχλυόεσσαν, & κυανωπόν. Advertendum eſt in H. Stephani lexico locupletiſſimo vocem ἀχλυόπεζα deſiderari, ſicuti etiam χειονόπεζα, quam ῥῆτιν uſurpat Nonnus de Aurora, poetica, vel ſui ſæculi libertate pro χιονόπεζα, quam reddas, non ut vulgo, *niveis pedibus fulgens*, ſed *prorſus candida nivis inſtar*, ut vis & poteſtas originationis ab פז conſtet.

Age, ab eiſdem Phœniciis etymis extrices vocem ῥοδόπηχυς, in Heſiod. Theog. v. 247. & 251. & in Homer. in hym. ſcil. ex פוך, *carbunculus*, *gemma rubens*; faceſſant ergo turba interpretum, qui ῥοδόπηχυς Ἱππονόη, ῥοδόπηχυς Ἠώς, vertunt, *roſeis lacertis prædita*; verum repone, *Hipponoe*, *&* *Aurora rubeſcentes*, *ut roſa*, *&* *carbunculus*. Idipſum dicas de ῥοδόσφυρος, quod eidem Auroræ tribuit Q. Calaber lib. 1. v. 137. Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ῥ᾽ ἐτόρουσε ῥοδόσφυρος ἠριγένεια, neque credas eſſe Auroram *cum roſeis calcaneis*, id ſatis plebejum eſt; etenim ſi educas ex fonte ſuo שפר, *pulchrum*

chrum eſſe ac decorum, reddes ſane quam appoſite & concinne, *Aurora, ut roſa elegans ac decora*; neque ea de re dubites, cum Chaldæi Dan. 6. 20. Auroram ipſam ex ῥήτει שפר appellent שפרפרא, quæ vox compoſita valet *elegantia & decore exuberans*. Quæ Perizonius ἐβραϊστὶ doctiſſimus in Ælianum adnotat pag. 711. de voce καλλίσφυρος, pauci curanda reor, cum contra morem gazas orientalis linguæ non promat. Habes igitur bene multa in Homeri poematis προσθετὶ Auroræ appoſita ex Hebræo fonte prodeuntia, quo tanto vati majus ſemper decus conciliem, nihil omnino de digitis, de pedibus, & de calcaneis cogitanti; neque illa a Moſaica lingua injurioſe, & multa vi expreſſimus, ut moris eſt quorundam id genus etyma confingentium; ſed veluti ſponte ſua cadentia collegimus, occaſionem nacti ab noſtra atramentaria Aurora, quæ argenteis roſis undique renidet. Utinam haberemus, quæ ſpondet in Theſauro H. Stephanus to. 3. pag. 719. ſcilicet tum Latinorum, tum Græcorum locorum ad Auroram ſpectantium collationem; fortaſſe rei difficultas eum ab opere abſterruit; cum etiam Ariſtotelem vox ῥοδοδάκτυλος in ambages dejecerit, ignoro enim quid ſibi velit hiſce verbis Rhet. 3. Διαφέρει δ' εἰπεῖν, οἷον ῥοδοδάκτυλος Ἠώς, μᾶλλον ἢ φοινικοδάκτυλος, ἢ ἔπι φαυλότερον ἐρυθροδάκτυλος, maximus τῶν σοφῶν vocabuli obſcuritatem oboluerat.

IX. Porro ab hoc fauſtiſſimo numine, quocum diu morati ſumus, diſcedere valde piget, pretium operæ reor divinare, cur artifex pro Sole Auroram ſcalpſerit, quod prorſus novum eſt, & nemo adhuc in planetarum numero illam accenſuit; fateor id quidem mihi grandem ſalivam ciere, & nullus valui exemplum veſtigare in tot Græcis, ac Latialibus Scriptoribus, qui toties hæc ſeptem ſidera meminere, ut hanc Deam pro Sole appoſuerint; quod quidem noſtri vaſculi pretium extollit, redditque longe carius. Ut autem, quod mihi animus ſuggerit, expromam, id refero acceptum Neapolitano Græco artifici; & in animi mentem revocandum eſt Homerum vix ſemel, atque haud ſcio an iterum Solem orientem canere, occidentem vero ſæpe, ut Il. 8. v. 485. contra vero Auroræ ortum ad delicias concelebrare; imo te jubeo advertere adeo divinum vatem hanc Deam coluiſſe, ut aſtro principi prætulerit, quare in Il. μ. v. 239. Εἴτ' ἐπὶ δέξι' ἴωσι πρὸς Ἠῶ τ' Ἠέλιόν τε. Homeri etiam veſtigia fidus aſſecla Heſiodus ea in re uſque premit; nihilque ſollemnius hiſce poetis principibus, quam recinere, ῥοδοδάκτυλος Ἠώς· cur autem hi duoviri plus Auroræ, quam Soli ſtuduerint, cogitent alii; certum autem eſt non fortuito, aut ex oſcitantia hanc Deam argentarium noſtro σκευαρίῳ ſcalpſiſſe. Quare minime ἄστοχον futurum reor, ſi dicam artificem ab Homero mutuatum eſſe in planetarum dialium ſcalptura pro Sole Auroram effinxiſſe, cum unus hic vates ſemper de hac Dea egregie mereatur, parum autem Solem curet: imo oportet, ut faber fuerit Ὁμηρικώτατος, & apud ipſum pluris valuerit ejus poetæ auctoritas, quam tot Scriptorum poſterioris ævi multa, & rata fides, qui in τάξει dierum ὁμοτύμαδον affixere Solem, qui

ſecundo loco in hebdomade, ut ſuperius oſtenſum eſt, celebrabatur, & marmorea, & ænea monumenta Solem præferentia ſuperiori cap. protuli.

Conſtat autem civitates majoris Græciæ, quæ Homerum ardebant, Tarentum dumtaxat, & Neapolim commendari, ſed longe fortius præ illa hæc mea urbs, uti ex non unis Græcis, Latiniſque teſtibus palam feci, quos in illuſtratione antiquiſſimi anaglypti Homerici, operis exquiſitiſſimi collegi, & nunc διὰ βραχέων, & ne actum agam, promiſcue ad repetendos inducor. Hortatur Petronius Arbiter init. Satyr. patresfam. ut filios vel Athenas, vel Tarentum, vel in noſtram Parthenopen, quo de Homeri poematis edoceantur, miſſitent:

Sed ſive armigeræ rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus dat primos verſibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem.

Mutes rogo *Sirenumque* in *Sirenumve*, ut rectius conſtet diviſio locorum. Habes jam Tarentum floruiſſe Homericis ſtudiis; ſed fortaſſe Petronius hanc laudem ſolam & præcipuam Neapolitanis attribuit; nam quartum verſum *Mæoniumque bibat felici pectore fontem*, veteribus meis civibus dumtaxat addicere videtur Arbiter, de Athenis, & Tarento dubie & obſcure ſe habet, an idipſum prædicaverit. Piget me Jo. Fabricium in bibl. Græc. tom. 1. p. 277. in cap. *Ilias & Odyſſea in ſcholis propoſita juventuti*, hunc Petronii locum inter ceteros non allegiſſe. Miror magis eadem Arbitri verba, quæ Neapolitanorum ſcholas apprime commendant, fugiſſe etiam æternæ lectionis virum Jac. Perizonium, quem in adnot. in Ælian. pag. 260. dum enumerat plures urbes Græcas, quo Romani filios adoleſcentes miſſitabant, ut liberales diſciplinas perdiſcerent, Etruriam ſcil. Maſſiliam, Athenas, Rhodum, Apolloniam, urbis noſtræ, quæ κατ' ἐξοχὴν *docta*, & *Græca*, audiebat, penitus oblitum ægerrime ſemper feram. Habes igitur Neapolitanos Græcos adoleſcentulos illo beato ævo Homericos fontes felici pectore ebibiſſe. Hinc etiam Trimalchion Petronianus Neapoli degens prædicabat, *Solebam hæc ego puer apud Homerum legere*, cap. 48. ut Neapolitanis moribus ſe imbutum jactaret, imo in Trimalchionis domus parietibus omnis Ilias, & Odyſſea depictæ inviſebantur, cap. 29. adeo deperibant Homerum veteres cives mei. Cum Arbitro conjurat amice Philoſtratus, qui init. imagin. narrat ſe Neapoli cum puellulo decenni Iliada, & Odyſſeam optime callentem diu ſe collocutum.

Haud ſcio an falſus ſim, ſi etiam de Neapolitanis ſcholis Homericis locutum interpreter Heraclidem Ponticum, qui circa Quintiliani tempora vixiſſe dicitur, dum aſſerit opuſc. mytholog. p. 408. Εὐθὺς γὰρ ἐκ πρώτης ἡλικίας νήπια τῶν ἀρτιμαθῶν παίδων, διδασκαλίᾳ παρ' ἐκείνῳ (Ὁμήρῳ) τιθηνεύεται, καὶ μονονὰ ἐνεσπαργανωμένοις τοῖς ἔπεσιν αὐτοῦ, καθαπερεὶ ποτίμῳ γάλακτι, τὰς ψυχὰς ἐπάρδομεν, quæ ita verſa lego, *Mox enim a teneris unguiculis ſtudiorum ſuorum rudimenta pueri a poeta hoc*

hoc (Homero) *incipiunt, in hujus diſciplina nutricantur, & tantum non in cunis faſciatorum animi carminibus Homericis, ceu lacte poculento irrigantur:* Græca Heraclidis ob typographorum, licet Amſtelædamenſium ſocordiam corrupta, & male interpuncta reſtituas, χρηματῶν παιδειῶν διδασκαλία, & paullo poſt vocem ἐνεσπαργανωμένοις immutes in ἐνεσπαργανωμένων. Hinc Quintiliani locum antehac obſcurum de Lectione puerorum Inſt. Orat. 1. 8. *Optime inſtitutum eſt, ut ab Homero, atque Virgilio lectio inciperet*, ſic interpretor, ut Neapoli Homerus, quæ Græca urbs erat, & Ὁμηρικωτάτη, Romæ, quæ Latina erat, Virgilius legeretur: quo enim pacto puelli Græca ſimul, & Latina elementa addiſcere ſatis eſſent? & quidem ſcimus ex Philoſtrato Neapolitanos pueros decennes Homerum & lectitare, & interpretari doctos: ac Neapolis ceteris Græcis urbibus Romæ vicinior. Peccarem ſi Strabonis verba lib. 1. pag. 29. edit. 1707. obliviſcerer ajentis in Græcis urbibus ævo ſuo pueros in Homerica poeſi primum omnium inſtitui: Τὰς παῖδας αἱ τῶν Ἑλλήνων πόλεις πρώτιστα διὰ τῆς ποιητικῆς παιδεύουσιν· ex multis, quæ a me dicta ſunt, de Neapolitanis loqui geographum certo unuſquiſque colliget. Quæ Heraclidis, Quintiliani, & Strabonis verba cum Petronii carminibus de Neapolitanis pueris apprime conſpirant.

Præter hæc ipſe Petronius bis hanc urbem κατ' ἐξοχὴν Græcam vocat; narratque cap. 59. quoſdam Homeriſtas, eos ſcil. qui Homerum κατὰ μνήμην habebant, illud coram convivantibus Neapoli ad oblectamentum recinere; urbiſque noſtræ & porticus, & ædes undique Iliados, atque Odyſſeæ facinoribus depictas commemorat; & cap. 89. narrat fuiſſe Neapoli tabulam, quæ Trojæ haloſin oſtendebat, cujus Homerus meminit Od. lib. 4. Et reor hos Homericos cytharœdos ideo per convivia converſatos eſſe, ut, quæ ſæpe cecinit divinus vates, imitarentur, nimirum nihil aliud convenientius eſſe, atque opportunius, quam cythara canere inter comiſſationes, Od. θ. v. 98. Ἤδη μὲν δαιτὸς κεκορήμεθα θυμὸν ἐΐσης, Φόρμιγγός θ', ἣ δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ. Et Od. ρ. v. 270. . φόρμιγξ Ἠπύει, ἣν ἄρα δαιτὶ Θεοὶ ποίησαν ἑταίρην. *Homeriſtarum* meminit etiam Athenæus lib. 14. p. 620. Ex his admirandis Græcis monumentis, veluti tabulam ex naufragio fortuna ſervavit ſuperne laudatum anaglyptum Homericum, quod Neapoli inciſum eſſe alibi oſtendi; eo uſque majores noſtri Homericis carminibus oblectabantur, ut non ſolum luculentiora illorum poematum facta exſculperent, vel depingerent, verum etiam tenuiora; exemplo ſit laudatiſſimum hoc anaglyptum, quod nobis viſendam offert brevem illam objurgationem, qua Helena Paridem mordet poſt ſingulare certamen cum Menelao, quod circa fin. Il. γ. legere eſt; quod facinus veluti deſertiſſimum Neapolitani, utpote ὁμηροφίλτατοι dignum marmore reputarunt; licet exempla non deſint eos coloribus expreſſiſſe etiam Achillis geſta maxima mirabilitate digna; prima enim tabula, quam viderat Philoſtratus in ſuperba illa Neapolitana porticu objiciebat intuentibus hunc Theſſalum heroa pæne obrutum undis Scamandri, & Vulcanum ei ſuppetias fe-

Digitized by Google

rentem; qui grandem vim ignis in fluvium immiſerat; profecto deſperaret quivis ſumma arte valens ævi noſtri pictor mixtim duo hæc ſibi adverſantia elementa imitari, verum ne mente quidem complecti ſatis foret.

His animadverſis, facile ipſe conjectes, ſi in theca atramentaria Homericam Auroram vides, hujus vaſculi artificem eum fuiſſe, qui, poſthabitis ceteris Scriptoribus, vulgarique nomine planetarum, ſummi poetæ menti adhærendum optaverit; quæ laus fuit, & ingenium Neapolitanorum, quos inter vel minuti cantores, & puelluli, ut de ſtatuariis, & pictoribus ſileam, nihil aliud mente concoquebant, quam Iliada, & Odyſſeam, meritoque Homeriſtæ audiebant. Demum eo magis ſe Homericum jactat noſtri atramentarii artifex, quod ejus Deæ peplum argenteis roſis adſperſerit, ut Homerum magiſtrum ſuum imitaretur in famoſa jam voce ῥοδοδάκτυλος· præſertim cum Montfauconius in antiq. expl. non unas Auroræ iconas expreſſerit, in eiſque haud ullam illis floribus renidentem videas; certum eſt earum artifices Homerica ἐπίθετα non advertiſſe. Cum autem hæc omnia de Tarento ſileantur, ſed unus Petronius vix inter Homericas urbes adnumeret, jure Neapoli potius fuſum eſſe hoc atramentarium cimelium auſim dicere. Maxime ſi addas thecam calamariam quam pag. 17. depingendam affabre curavi, in qua dubio procul planetarum icones argenteæ affixæ erant, & Auroram pro Sole certe inviſeremus, niſi ejus metalli fames eos, qui illam repererant, ad has furandas non adegiſſet, cum cives meos eam Deam coluiſſe præſtiterim. Tenes igitur ex his, quos non levi labore Scriptores laudavi, duo hæc minime poſthabenda, tum Homericam Neapolitanorum indolem Auroram magis colendi, quam Solem, tum atramentarium hoc jam τηλαυγὲς ab hujus urbis argentariis fabrefactum; durum enim foret, ut aliam civitatem invenias, ubi in diebus hebdomadis pro Sole Aurora ſalutetur. At nunc o tempus, ac fatum infelix! quantum a veteribus illis, ac beatis moribus deſcitum eſt: pueri enim noſtrates Latiaribus voluminibus, ac diſciplinis inſtituuntur, atque Homericum ſemen penitus exaruit: utinam avita Græca Neapolitana indoles fruticet iterato, ac increſeat.

x. Age reliquos planetas inſpiciamus, de quibus pauca admodum delibanda, ne rem longius protraham. Vides jam Dianam, ſeu Lunam, cujus coma eſt εὐστροφάλιγξ, *bene torta*, hoc προσθετῷ utitur Antipater lib. *6.* Antholog. ep. 1. tit. θησῶν. Quod autem hæc Dea ſit εὐπλόκομος, ecce tibi Hom. in hymn. Solis, Ἠῶ τε ῥοδόπηχυν, εὐπλόκομόν τε Σελήνην. In ejus fronte lunula cornuta renidet, ut moris eſt in gemmis, ceteriſque ſcalpturis; & poetæ ſexcentas voces, ut id exprimerent, cuderunt., Pind. Olym. & Hom. in hym. Lun. canit, ἑσπερίη, διχόμηνος, *veſpertina*, *dimidiata:* Theocrit. ἡμιτόμα κύκλα Σελήνης, *ſemiſectæ*. Orpheus in hym. εἰς τὴν Σελήνην appellat v. 2. ταυρόκερως Μήνη, *taurina habens cornua*; quocum conjurat Nonnus, dum illam dicit ταυροφυής, ταυρῶπις, & κερόεσσα, & εὐκέραος, vel melius εὔκραιρος, uti ſentit cl. D'Orvillius in animadverſ.

in

in Charitonem pag.614. & 745. quem conſulas rogo. Anthol. lib.7. p.733. in corp. poetarum, Μήνη χρυσοκέρως δέρκη τάδε. Latinos etiam huic aſtro cornua tribuiſſe facile ex Virg. & Ovid. indicibus vel tiro novit. Adde Hor. init. carm. ſæcul. *Siderum regina bicornis*.

Facem bene longam manu ſtringit, quod ſollemne eſt etiam Lunæ geſtamen; quare audit apud Orpheum eodem hymn. v. 3. ἐννυχία, δᾳδοῦχε κόρη, εὐάστερε Μήνη, *facem geſtans puella:* ut mittam cetera ἐπίθετα, quorum pauca Græce, & Latine collegit immortalis Spanhemius de P. N. p.121.to.2. veluti φαεσφόρος, ſeu φωσφόρος· nec non ἀμφίπυρος, *undique ſplendens*, non ut Latine transfudit ſummus Spanhemius, *utraque manu facem ferens;* & ut rem firmen præſto mihi eſt Euripides in Hippol. v. 559. ubi vocat βροντὰν ἀμφίπυρον, ſcil. *quaquaverſum ardens fulmen:* imo vox δίπυρος idem valet, & bene Ariſtophanes in Ranis v. 1406. διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας, fortaſſe de binis lucentibus ejus Deæ cornibus accipiendum, quod deinde ſcalptores, quique nummos feriebant, de facibus cogitantes duas Lunæ manibus appoſuere, vide nummum gentis Claudiæ, & Montfauconium in Antiq. explanat. Si autem longiſſimam lampada geſtant atramentariæ noſtræ Deæ Aurora, & Luna, bene ſibi conſuluit argentarius, etenim fortaſſe legerat in Æſch. Agam. v. 92. λαμπὰς οὐρανομήκης, *fax proceritate ſua cælum tangens:* cui ſuccinit Nonnus, cum πυρσόν vocet δολιχήρη, *ignem*, *ſeu facem appoſitam longuriis*, ſeu *longis remis*, ut vulgo vertunt; quales quidem certe viſuntur in regio Atramentario. Cernes demum illam lato undique præcinctam peplo, ita ſane indutam invocat Orpheus in ejus hymn. v. 10. ἀστράρχη, τανύπεπλ', ἑλικόδρομε, πάνσοφε κούρη. Si colorem pepli optes, idem Orpheus in Hecates hymn. quæ eadem eſt, ac Luna, dat ei *croceum*, κροκόπεπλος. De ſceptro videnda, quæ de Saturno ſuperne diximus pag.348. De voce Σελήνη, Φοίβη, Hecate, &c. conſulas Jo. Clericum in Heſiodum.

Reſtat tantummodo, ut de tenebricoſa voce χρυσάμπυξ, quæ Lunæ tribuitur, pauca libemus, atque tentemus, an elegantiſſimi vocabuli vim, atque ἔτυμον divinare ſatis ſimus. Et primum, quæ Philippus D'Orvillius Græce ad miraculum eruditus ſcripſit in animad. in Chariton. p.745. apponam: *Luna* χρυσάμπυξ *dicitur non a frænis equorum, quibus ſunt* χρυσάμπυκες *apud Homerum epitheton eſt, ſed a vittis ipſius Deæ aureis, vel a comis aureis & pulchris, & recte ſchol. Iliad.* ε. 358. *exponit hanc vocem* χρυσοκόμης· *Ita* χρυσάμπυκες ὧραι *hymn. Hom. v.*5. Conjuro quidem amice cum cl. D'Orvillio vocem χρυσάμπυξ minime ad frænos pertinere, præſertim cum etiam inter mulierum ornamenta ſit ἄμπυξ, uti Pollux lib.5. c.16. frag.95. aſſerit, teſtemque probe vocat Hom. Il. χ. v.469. adde exemplis D'Orvillii Theog. Heſiodi 916. & Pind. Pyth. εἰδ. γ. ἐπῳδ. δ. in queis legas, Μοῦσαι χρυσάμπυκες. Sed a D'Orvillio diſcedo eſſe epitheton a vittis, vel a comis, nam conſideranti nomen Latiale, quod a voce ἄμπυξ tractum eſt, liquido hujus dubii vocabuli notio ſe pro-

Digitized by Google

prodet; inde etenim enaſcitur *apex* dempto μ, ut ſollemne eſt, ſic σκίμπων, *ſcipio*, σίμπων, *ſipho*, &c. Et ne credas hæc duo παραδείγματα mihi ſolum ſufficere exſcripta ex indice Voſſiani etymologici, ut moris eſt quorumdam ſolummodo lexica compilantium, ſatis multa, & δαψιλῶς ſuccurrit mihi D'Orvillius vir admirandæ lectionis in Charitonem pag. 442. interque ceteras vocem noſtræ ſimillimam affert Γάμπυξ, & Γάπυξ, atque edicit: *Sane in multis litteram illam ſine vitio omitti, vel addi:* cujus viri doctiſſimi verba legas rogo. Novimus autem *apicem* eſſe ſpeciem parvi tutuli, ſeu cornu, κεραίας, cujuſcunque materiei, qui capiti ſacerdotum, mulierum, puerorum, atque etiam equorum ornamenti ergo inerat, quod hodiedum etiam factitari cernimus; Salmaſius H.A.to.2.p.544. vult eſſe κεφίας.

Ceteras detortas ab hac voce *apex* ſignificationes vide in etymol. Voſſii; Salmaſium in Solin. p. 385. & ſeqq. & 845. ſed nihil de etymo, ſeu origine hujus ῥήτεως; Ducangium, & Mazochium in laborioſiſſimis adnotat. in Kalend. marm. XVI. Maji p. 328. qui quidem, cum ceteroqui audax, & ſæpe feliciſſimus extricet abſtruſiora etyma, nunc ſententiæ Voſſii adſtipulatur, deducitque ab *apere*, voce exoleta, ideſt *adligare*; hinc *apices*, inquit, *ſunt litterarum nexus*; verum hæc apicum notio poſteriori ævo increbuit, neque locus Appuleji in XI. Met. virum doctiſſimum juvat, cum hic diſtinguat aperte litteras ab apicibus: *Libros litteris ignorabilibus prænotatos . . . . nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, copreolatimque condenſis apicibus*; vides jam litteras diverſas ab apicibus, ſicuti Matthæi interpres 5. 18. jam ab apice jota diſcernit; tempeſtate igitur Appuleji nondum in ipſorum characterum ſignificationem apices deſciverant, ſed adhuc ſummitates eorum adnotabant, ſicuti vox primigenia ἄμπυξ. Indeque etiam falſus eſt Voſſius cum Feſto Servio, ceteriſque grammaticis ab *apere* deducentibus, cum pura putaque Græca vox ſit. Concludendum igitur reor Dianam vocitari χρυσάμπυκα, quod ſupra frontem lunulam cornutam pro *apice* geſtet, ut in atramentarii noſtri ſchemate vides, & Muſæ, Horæ, & flamines, atque equi ipſi ſuum ἄμπυκα in capite præferebant; & eo quod hic apex auro compactus eſt, audiebant, quicumque geſtabant, χρυσάμπυκες. Et fortaſſe, ut ad altiorem originem etymon hujus vocis repetamus ab Phœnicio אופז, *aurum*, iiſdem litteris, ac *apex* conſtante erutum eſt, quippe eo principe metallo conflabatur, ita ut κατ' ἐξοχὴν id ornamenti genus appellaretur *aurum*, inde qui geſtabant, χρυσάμπυκες. Et antequam ab hac voce diſcedam, haud ſcio an cl. Mazochius teſtes habeat apicem ſummitatem characterum quorundam, ſimul & baſim, ſeu extremitatem adnotare, cum antehac de altiore parte dumtaxat dici conſuevit; ipſeque advertit Græce *apicem* eſſe κεραίαν, & cornua quidem in ſummo tantum vertice vel naſci, vel figi ſcimus. Miror ſane Spanhemium in Callimach. pag. 728. & ſeqq. ubi egregie more ſuo voces binas ἀπεδίλωτοι, & ἀνάμπυκες explicat, quas vertunt *excalceatæ*, & *vittis exutæ*, (ſermo eſt de mulierculis Cereris Sacerdotibus,)

Digitized by Google

tibus,) reprehenditque Juvenalem ob Judæorum rituum ignorationem, præſertim circa Sabbatum, de vocabulo ἀνάμπυκες nihil novi afferre, neque de ejus ῥήσεως origine quidquam vir ſummus delibare. Plurimum lucis ab eruditiſſimis viris, qui ingentes adnotationes in Pollucem factitarunt, atque ab Jo. Alberto in ſuis æternis commentar. in Heſych. mihi ſpoponderam, verum doctiſſimos viros eam vocem ἄμπυξ vix commeminiſſe conqueror. Quare nunc primum ejuſdem & originem, & veram notionem, eo quod Luna audit χρυσάμπυξ, patefactam fortaſſe gratulaberis.

XI. Mars ſidus quarto loco fulget, eo σχήματι, quo moris erat ubique locorum, & gemmarum effingere. Videor autem videre artifices exuvias Martiales ab Homero magiſtro ſuo, & ingeniorum principe mutuatos eſſe: Ecce tibi iſte Deus prorſus χάλκεος Il. ε. v.704. *æratus*, quod ἐπιθετὸν recte interpretati ſunt breves ſcholiaſtæ, πολύχαλκος διὰ τὸν ὁπλισμόν· & ἐγχέσπαλος Il. ο. v.605. *haſtam vibrans*; κορυθαιόλος Il. υ. v.138. *variegata ornatus galea*; κορυθάϊξ Il. χ. v.132. ἶσος Ἐνυαλίῳ κορυθάϊκι πολεμιστῇ, *ſimilis Marti galeam quatienti bellatori*· χρυσήνιος Od. θ. v. 285. οὐδ' ἀλαοσκοπίην εἶχε χρυσήνιος Ἄρης, quod vulgo vertunt, *aureas habenas habens*; & nihilo melius Sam. Clarkius, *aureos frænos habens*, quod ἐπιθετὸν ita Latine fuſum equis potius quadrat; atramentarius artifex ſatis ſcite interpretatus eſt ἡνία, utpote innutritus in Homerica Neapolitana ſchola, pro quovis ligamento, ideoque ſolius Martis tibiis ex ſeptem Diis appoſuit aurea parva lora, ut Homero pareret vocanti Ἄρην χρυσήνιον, vide attentius σχῆμα· atque ex argentario noſtro nunc primum diſcimus ἡνία non ſolum audire *habenas*, ſed *quodvis ligamen*, ut Latine *lorum*. Præterea in Hom. hymn. Martis legere eſt φέρασπις, *ſcutifer*; ſi ſcuti materiem quæras, fuiſſe *æream* docet Eurip. in Iph. in Aul. χαλκάσπις Ἄρης. In eo etiam prominet umbo, quem clypeis plerumque apponit Homerus ἀσπὶς ἀμφαλόεσσα Il. χ. v.111. ſi ſcire cupias haſtæ colorem, *nigrum* attribuit Pindarus in Nem. σὺν τ' Ἀθαναίᾳ κελαινεγχεῖ τ' Ἄρῃ. Homerica etiam eſt galea ἵππουρις Il. ζ. v.495. & ἱππόκομος Il. ν. v.132. π. 216. horret enim *equina cauda*, vel *coma*. Demum chlamyde indutus lucet, & vatum quidem princeps bellatores ſuos ea ornat, quam vocat σάκος, nam vox χλαμὺς Homeri ævo nondum invaluit; atque ita veſtitum lego Teucrum Il. ο. 479. ut Martem cerno, ἀμφ' ὤμοισι σάκος θέτο τετραθέλυμνον, & quoddam fulget ἐν τῷ Martis σάκει, quod quadratam ſpeciem præſentat; fortaſſe hunc Homeri locum artifex meminerat, atque edocere nos voluit, quid valeat ἅπαξ λεγομένη, & ſatis obſcura vox τετραθέλυμνος. De Martis armis Theſaurum Brandeburgicum conſului, nullamque mihi opem tulit, cum trita, & a ceteris corraſa exſcripſerit.

Peccarem ſane, ſi oblitus præteriiſſem Martem, quando planeta audit, & lucet ἰδιοτικῷ nomine donatum, nempe Θοῦρος, vel Θοῦρος, quod jam more ſuo pag.872. Salm. in Solin. doctiſſima quæque aggerens adnotavit: & præſertim de barbaris notis ſeptem planetarum, quibus adhuc-

dum

Digitized by Google

dum aſtronomi utuntur, edicitque eſſe primum ex characteribus eorum Græcorum nominum, licet ſint aliquantulum detorti: piget me virum ſummum vocem Θȣ̃ρος ab Græcula originatione extrahere, cum pura putaque ſit Pelaſgica, תער enim eſt *incidere*, vide adnotationem in hanc vocem Θȣ̃ρος pag. 191. opuſc. mythol. ubi de hujus Dei nomenclaturis minime protrita invenies, & Perizonium in Ælianum p. 603. atque unde oriatur nomen ipſum Ἄρης, quæ, utpote jam ab doctis viris occupata, poſthabeo.

XII. In quinta noſtri vaſculi facie ſtat pulcherrimus Mercurius, ἄγλαος Ἑρμῆς Hom. in hymno. Tueor ipſum minime εὔπτερον Anthol. lib. 7. neque χρυσόπτερον, uti Nonnus, aut ſaltem πτερόποδα Anthol. lib. 4. & lib. 7. non enim ita legerat artifex in Ὀδυσσείᾳ, ubi frequens eſt Mercurius: pauca finxit in hac Dei icuncula argentarius, licet nullum numen poſtea temporis tot ſymbolis oneratum ſit, quam Ἑρμῆς. Non inficior Homerum non vice ſimplici tribuere huic Deo τὸ πέτασθαι, *volare*, quare indocti ſtatuarii alas vertici, & pedibus appinxere; verum norat noſter argentarius τὸ πέτασθαι in principe vate ſæpe eſſe æque ac currere, & milites, & currus πέτασθαι in eo legimus. Ejus caput *petaſunculo* operitur, cujus licet Homerus non meminerit, docet tamen nos Pollux lib. x. frag. 164. fuiſſe ἐφήβων φόρημα. De *virga*, ῥάβδῳ, vide init. Odyſſ. ω. quæ eſt καλή, χρυσείη· ſerpentes addidit de ſuo artifex, quo morem ſtatuariorum, & gemmarum ſcalptorum ſervaret. Quare Mercurii ſceptrum anguibus advolverint veteres, bonam rationem non adhuc reperi, ſed quid μυστηριώδες in ea virga latere ἀρχαιολόγοι reputant, nec ipſe ſatis ſum invenire. Ceterum haud ſcio, an Neapolitanus argentarius ex Homerico magiſterio oboluerit adjunctum χρυσόῤῥαπις ſæpe Mercurio ab Hom. tributum adnotare *aureum*, (i. e. præclariſſimum) *medicum*, uti χρυσολόγος, *qui eſt eloquentiſſimus*; etenim רפא eſt *medicus*; qua arte maxime floruiſſe Mercurium tritum eſt ex Clem. Alex. aliiſque; ſerpentes autem ad Deos medicos pertinere, cum iiſque fingi certum etiam eſt ex nummis, & ſculpturis, vide Montfauconium Ant. explan. & præſertim Ezech. Spanhemium tom. I. de P. N. qui appellat angues *ſalutis largitores* pag. 215. &c. ubi exquiſitiſſima de omne genus ſerpentibus collegit. Igitur ſi Mercurius etiam medicinam fecit, cum anguibus pingi circa ῥάβδον adtortis, uti etiam videre eſt ſerpentem Æſculapii virgæ adhæreſcentem, poſthac mirum non erit; & merito ſalutatur ab Homero χρυσόῤῥαπις, quod male uſque verſum eſt, *calceos aureos habens*, & ab aliis *aurea virga ornatus*; ex ipſa hujus vocis varietate, interpretibus valorem τȣ̃ χρυσόῤῥαπις, aut Nonni εὔραπις ignotum fuiſſe intelligas. Neque ambigendum, quin Homerus Mercurium Græce etiam medentem vocet, nam Iliad. υ. v. 72. inquit ἀντίστη σῶκος ἐριούνιος Ἑρμῆς, ubi σῶκος, idem eſt ac σωτήρ, conſtatque medicos σωτῆρας vocitatos, locupletes fundos do Orpheum in hymn. εἰς Ἀσκληπ. ubi hic medicinæ Deus σωτήρ audit, & nummos Coorum, qui

ſer-

ſerpentes ſibi ſalutares eo nomine donabant, quare ſub anguis typo leges, vel ΚΩΙΩΝ ΔΡΑΚΩΝ, vel ΚΩΙΩΝ ΣΩΤΗΡ, hos nummos Spanhemio acceptos refero. Quin σῶκος ſit *medens*, *curans*, ne ambigas, cum vox ſit Græcis peregrina, nam Hebræum germen eſt, nimirum סוך, *ungere*, quod proprie medentum eſt; adſtipulatur brevis ſcholiaſtes, licet inficetum etymon cudat, dum inquit σῶκος dici quaſi σαώμενος ὠκέως. Geſtat etiam crumenam, ut moris eſt, utpote apud Hom. audit ἐϱιούνης, & in hymn. Merc. χαϱιδώτης, δώτωρ ἐάων, *utilitatem afferens*, *beneficii*, & *divitiarum dator*; & apud Orpheum τροφιοῦχος, *nutrimentis dives* in hym. εἰς Ἑρμῆν· Nonnus vocat κερδῷος, *lucrifer*: non videtur igitur μάρσιπον ſtringere, eo quod indecoras furis, ſeu potius φιλήτου odii plenas artes exercuerit, ut quidam minus recte de crumena commentati ſunt. Demum ſpecie chlamydis ornatur, demirorque argentarii diligentiam, qui modum, quo illam huic Deo aptavit, ex Homeri hymno expreſſiſſe viſus eſt, etenim hanc veſtem, quæ ab hymni ſcriptore dicitur σπάργανον, Mercurii propriam fuiſſe reor, nam ipſe κατ᾽ ἐξοχὴν vocitatur σπαργανιώτης verſ. 300. hanc veſtem aliquando circa humeros involvebat hic Deus, eamque brachio etiam ſuſtentabat, σπάργανον ἀμφ᾽ ὤμοισιν ἐλιγμένος verſ. 306. *veſte involutus circa humeros*: καὶ τὸ σπάργανον εἶχεν ἐπ᾽ ὠλένῃ verſ. 388. *habebatque ſupra brachium*; adverte atramentarium Mercurii σχῆμα, qui ita adamuſſim fert ſuum σπάργανον nosque docuit argentarius ejus indumenti formam, quam vocem interpretes hic univerſi *faſciam* haud ſcio an probe Latine vertunt. Exquirat fortaſſe aliquis, an vox Ἀργειφόντης centies in Homeri Il. & Od. celebrata, revera male audiat *Argicida*; & reponam fabellam Argi ab Mercurio enecti ævo Homeri, & Heſiodi ortam non dum fuiſſe, quare poſteriores vates ex voce Ἀργειφόντης poeticis luminibus πεϱιβόητον Argi caſum adornarunt; ceterum exputo ῥῆσιν hanc Ἀργειφόντης puram putamque Phaleſgicam eſſe, & compactam ex binis הרגיע פנים *pacem*, ſeu *quietem videre faciens*, quæ peregrina Græcis ϛοιχεῖα in cauſſa fuere, ut Argi fabellam cuderent; Mercurium autem fuiſſe pacis nuncium & κήρυκα poetæ auribus noſtris obſtrepunt, ejuſque ἐπιθετὸν ſane tritum eſt, nim. φερέσπονδος, *pacis fœdera portans*. Quis in tanta litterarum luce neget fabularum portenta enata ex male intellectis ab Græcis Phœnicum vocibus, præſertim Græcanica gratia & lepore emollitis? Et neſcio quid Hebræi relictum eſt in voce Ἀργειφόντης, nam genuine confictum eſſet Ἀργοφόντης, ut compoſitorum ſtet ratio.

XIII. Habes de Mercurio plura, quam in animo erat. Verum venia mihi ſit, etenim hoc numen præ reliquis ſenis planetis *atramentarium* ſalutandum eſt, ei ſiquidem iſthæc vaſcula ſacrabantur, & καλλιγράφους, ſive ταχυγράφους enixe coluiſſe teſtatiſſimum feci pag. 211. &c. quare id numen multis in hoc opere honeſtandum duxi. Verum in Jovis imaguncula indulgentia tua legentis minime abutar: Deum hunc principem, uti

Digitized by Google

effingi ſolet, eo pacto expreſſit artifex. Ne autem te turbet, quod ſtantem intuearis, non vero ſedentem, ut moris eſt ſcalpere hunc Deum principem, quo commendetur majeſtas; nam licet in gemmis, ac numiſmatis plerumque Jupiter ſedeat, ſcimus etiam erectum finxiſſe veteres, vide Paſſerii gemm. aſtrif. ſi vero quæſitiſſima, & bene multa de hoc bino Jovis habitu ſcire optes, luſtres cap. 14. Petri Burmanni de Jove ἀναιβάτῃ. Miror Mazochium de Jove in Campano anaglypto ſedente hoc ſat longum Burmanni caput non vidiſſe, atque pauca iſthæc alleviſſe pag. 161. col. 1. *Jupiter ſedet, ſic quoque in Capitolio: Porphyrius apud Euſebium III. de præp. 3. Jovem ſedentem facit*. Cum autem eo labore Burmannus me liberarit, gratiam habeo. Vides præterea hunc Deum τερπικέραυνον, στεροπηγερέτην, ἀστεροπητήν, ἀργικέραυνον, & ſexcenta id genus προσετὰ ab Homero Jovi addicta; nec non ἐλατῆρα βροντᾶς, φοινικοστερόπαν, πυρπάλαμον, uti ſalutat Pindarus Olymp. vel ἐκηβόλον Eurip. in Jon. & κεραυνοβρόντην Ariſtoph. in Pac. & Anthol. lib. 4. cap. 8. ep. 21. Ἴσχε, Ζεῦ, πρηστῆρα, μέθες χόλον. Porro inter epitheta Jovis tonantis longe περιβόητον eſt ἀναιβάτης, *fulgerator*: quoniam autem eam vocem Eduardus Holthenus multa luce donavit, & adverſus Holthenum libello ad miraculum docto inſcripto, Ζεὺς ἀναιβάτης, Petrus Burmannus fere omnia, quæ dici poſſunt de *Jove fulgeratore*, operoſiſſima cura Græce, & Latialiter aggeſſit, ex tanta eruditionis meſſe, ne manipulum quidem nobis colligendum reliquit. Ab uno Mazochio de Jove ἀναιβάτῃ, ut moris tanti viri eſt, in Camp. Amphit. pag. 161. col. 1. maxime rarum quid & ſingulare deperibam: verum neſcio, cur de Jove Tonante, qui in Campano anaglypto viſitur, ne verbum quidem appoſuerit. Si optes, quot Deos fulmine donarint veteres, adeas rogo diatribam 3. Gorii, viri humaniſſimi, ac librorum editorum numero longe gentium notiſſimi de *Mercurio fulgeratore*, quæ exſtat in gemm. aſtrif. Jo. B. Paſſerii p. 301. inibique legas, quæ Cuperus de fulmine Deorum corrogavit: unum valde miror Gorium fugiſſe, quæ Burmannus docte commentatus eſt, de Jove ἀναιβάτῃ, *fulgeratore*, apprime juvantia nuper laudatam gemmam Mercurii τερπικεραύνου.

Si de ſceptro, quod geſtat, quæris, σκηπτοῦχος audit apud Orpheum. Mazochius docte pauca in amphit. Campan. importavit pag. 161. ſed oblitus eſt adnotare Deos apud Homerum, & collegam Heſiodum nunquam legi σκηπτούχους, ſed ſolummodo viros auctoritate ſpectabiles, imo & vates, aliquando & homines agreſtes, ac pauperrimos, vid. Od. ν. v. 437. Heſiodus canit Theog. v. 30. ſibi poetæ a Muſis traditum σκῆπτρον δάφνης, ubi præclara ſatis adnotat Clericus; quare quiſque mecum indignabitur poetas Homeri filios a parente defeciſſe, & σκήπτροις paſſim Deos donaſſe; hinc apud Ovid. Faſt. 6. v. 37. conqueritur Juno Dearum maxima, *Cur igitur regina vocor, princepſque Dearum, Aurea cur dextræ ſceptra dedere meæ?* Et Faſt. 1. v. 102. *Inque Jovis dextra fictile fulmen erat*; & C. Flaminio, & Cn. Servilio coſſ. decretum fuiſſe decemvirorum monitu, ut fulmen


Digitized by Google

men Jovis eſſet aureum pondo 50. tradit Liv. Et ne a Græcis diſcedam in Homeraſtri hymn. veluti in Martem, Deus hic ſalutatur σκηπτοῦχε, & in Anthol. lib. 4. c. 4. ep. 19. Ζεὺς σκῆπτρον βασιλεῖον . . . . ἔχει. Si autem thecæ hujus calamariæ faber atramentariis Diis appoſuerit ſceptra, ne putes ipſum ab Homero degenerem, ſed ſuperne dictum eſt planetas, utpote ſatellites zodiaci ſignorum, jure virgulis, ſive ſceptris argentarium donaſſe, vid. pag. 348. quare ῥαβδοφόροι audiebant. Hic haud importunum reor advertere, me, ni vanus ſim, nunquam legiſſe in Homero Deos βασιλῆας ſalutatos, quo honoris titulo ſcio heroas ſuos ſolummodo inſigniviſſe; atque animi angor Heſiodum a divino vate, quocum συμφωνότατον expertus ſum, in hoc uno deſciviſſe, & vocem βασιλεύς bis in Theogonia v. 486. & 886. Diis appoſuiſſe. Porro ſi optes ad miraculum quæſitiſſima de *Diis regalibus* conſule D' Orvillium in Chariton. p. 497. licet, quæ de Homero in voce βασιλεύς adnotavimus, oblitus ſit. Si quid noſcere cupias de coma, κυανοχαίτης eſt Calabro. Aquilam non appoſuit argentarius fortaſſe, quia nunquam in Homero legerat illam Jovis miniſtram.

XIV. Demum minime te diu detineam cum Venere, quæ ultimo loco adſtat Παρθένῳ ἀδμήτῃ μέγεθος, καὶ εἶδος ὁμοίη in primo Hom. hym. v. 82. Innititur columellæ, quod ſcalptorum, & pictorum ingenium eſt. Videre videor circa ejus verticem corollam, quare memini me ſæpe lectitaſſe fuiſſe ἐυστέφανον Ἀφροδίτην Hom. Ὀδ. θ. 267. atque in hymno canit illam χρυσοστέφανον. Coma nitet pulchra, & longiori, hinc reperi apud Coluthum εὐπλόκαμος, & apud Apol. lib. 1. βαθυπλόκαμος. Peplo vix cooperitur, quo Deæ indoles nota ſit, eam enim ἀσελγέα Κύπριν vocat Phocyl. qui quidem longior eſt, & elaboratior, uti ipſa eum induerat in Hom. hym. 1. v. 86. Πέπλον μὲν γὰρ ἕεστο φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς. Nullis fulget calceis, conſtat enim nudis pedibus inceſſiſſe, & Theoc. idyl. κγ jure ſalutat ἀσάνδαλον. Donatur ſceptro ob imperium in Deos, hominesque, uti Orpheus εἰς Ἀφροδ. canit, Θεῶν σκηπτοῦχος, vel melius ob rationem, quam pag. 348. attulimus.

In publicum litterariæ reip. commodum peccarem, niſi epigramma in hujus Deæ obſequium elaboratum, atque antehac ignotum, & fortaſſe huic ſimile haud reperire eſt, in lucem proferrem. Porro cum mihi gazas id genus antiquas ſtudio inſano veſtiganti, atque attentiſſimo exſcribenti vix fuiſſet perlatum duobus abhinc annis ex Bajis ad Regium Cimeliarchium Herculanenſe marmor obſcuris verſibus litterarum advectum eſſe, citiſſimus accurri, & revera reperta a me eſt baſis quadrata duos pedes lata, characteribus ſat informibus, atque haud lectu difficillimis; quare eo quod graphices arte parum valeam, ad præclaram lapidis fidem patientiſſimus ob humilem ſaxi ſitum illud exſcripſi, quin & formidoloſus, nam cimeliarchii curatorem ζηλοτυπώτατον eſſe norunt omnes; interea hoſce vetuſtatis theſauros dignoſcendi amore enecantur univerſi.

Digitized by Google



Quod epigramma, ut celerius lectites, bonis elementis diſtinctum apponam:

VENERI PROBAE SANCTISS · SACR·

TI · CLAVDIVS · MARCION

SALVE . MILLE ANIMARVM . INLVSTRI CENARE OPVS . SALVE
PVLCHRI ONERIS . PORTATRIX . INEXVPERABILE . DONVM
RERVM . HVMANARVM . DIVINARVMQVE MAGISTRA
MATRIX . SERVATRIX . AMATRIX . SACRIFICATRIX
SALVE MILLE ANIMARVM . INLVSTRI CENARE OPVS . SALVE

Noveram ipſe epigraphen, & præſertim primum verſum, *ſalve mille, &c.* eſſe quid αἰνιγματῶδες, quare tam ad proba civium, quam exterorum ἀρχαιολόγων ingenia, ut ſententiam tenebricoſorum verborum mihi aperirent, appellaveram, ſed ab univerſis reſponſum eſt ſe Davos eſſe; quare audendum mihi fuit, an quid lucis a tanta caligine haurire quiviſſem.

Porro ne longiorem commentarium a me exſpectes, res enim prolixitate laboraret ſua, unicuique ingenii vim exſerendi do veniam, cum ipſe multa ſervo in Puteolanæ regionis illuſtratione. Interea hic Ti. Claudius Marcion, ne mihi intercedas, quominus Tiberii Claudii Aug. Libertus

Digitized by Google

bertus fuerit, præſertim cum Miſeni is imperator ad plures abiverit. Reor autem Marcionem ob acceptum beneficium in Deæ ſimulacri baſim epigramma incidiſſe, quod hujus liberti ætate antiquius dicas, tum ob carminis majeſtatem, obſcuritatemque, tum ob neglectiſſimam προτῳδίαν· & hoc carmen exputes publicas quaſdam conceptas preces, ſive bona verba, Græce εὐφημίαν. Veneris ἐπιθετὰ ipſe excutias, ac penſites ope Græcorum Scriptorum, Heſiodi præſertim Theog. ab. v. 192. ad 206. & marmorum, ac Latinorum poetarum, Lucretii cum primis lib. I. init. nullum ſane numen tot tantiſque honeſtabatur προσθέτοις· in mentem revoces ſaxum Maronitarum in Thracia in Gruter. p. 59. I. Αφροδιτηι - Θεαι - παναγαθωι - και σωτειρα - και ευκλειαι - ευεργητηι - οι Μαρωνιται, quam gentem ſimul cum Venere Bacchum coluiſſe ex nummis habes, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. Non obliviſcendæ ignotæ antehac voces *portatrix*, *matrix*, *ſacrificatrix*. Neque dubites, quin *onus pulchrum* ſit *amor*, nam verba Heſiodea ſunt, τῇδε Ἔρος ὡμάρτησε, καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλὸς ib. v. 201. Oblitus eram Tullium ſæpe conjunxiſſe voces *probus* & *ſanctus* uti pro Cluent. Rogaris, ne vocabulorum ὀρθογραφίαν poſthabeas, quo carminis ævitatem melius noſcas. Cur Venus ſalutetur *ſacrificatrix*, tutemet cogita, atque optarem, ut quis me id doceret.

Demum ægerrime ad tenebricoſa verba, *ſalve mille*, *&c.* accedo, & piget me, quæ ἀσελγείαν occulunt, aperire, quare, pax mihi ſit paucis ea, honeſteque interpretandi. Itaque verba ita compleas, *Salve, Venus, opus eſt nos cœnare cum illuſtri mille animarum, ſalve;* ſcilicet, *juvat nos commiſceri* (μίγνυσθαι) *cum innumera gente illuſtri, elegantique forma prædita;* ſane priſci hujus epigrammatis auctor vel ob honeſtius vocabulum, vel quia idem valebat, appoſuit *cœnare* pro *obſcœnare:* dicerem etiam ipſum eo in verbo græciſſare, nam κοινόειν eſt *polluere*, & κοινονεῖον eſt *lupanar*, atque hinc etiam Latine *cunire*, &c. Quare te cavere jubeo in lectitandis licentioris indolis poetis, qui vocabulis *cœna*, *cœnula*, *cœnare*, *cœnaturire*, &c. infames luſus ludunt, præſertim Martialis, cujus multa epigrammata hic recitare probi viri partes non ſunt; id unum gaudeo vatum procacitatem in his obſcœnis ῥήσεσι interpretes non advertiſſe; quare horum adnotationes inficetæ ſunt, & nil ingenioſi exhibent, ſententiam petulantium poetarum minime aſſecutæ. Miror doctiſſimos viros, qui in Sueton. æternos commentarios aggeſſere, nihil ἀσελγὲς oboluiſſe in verſu illo, quem Auguſto ſuccinuere quidam: *Dum nova Divorum cœnat adulteria*, cap. 70. Sed de his ſatis, ne nobis occentetur, κάνθαροι εἰς τὴν κοπρίαν. Syntaxis, *illuſtri mille animarum* ne te turbet, cum peræque ſit, ac *illuſtri* χιλιάδι *animarum*, uti in omni cap. 16. lib. I. docet Gellius, ſervavitque ſat opportunum verſum, *Tum milli numum potes uno quærere centum;* & ex Salmaſio in Solin. habeo pag. 355. *mille familiarum*. Si autem in his verſibus proſodiæ ratio non uno in loco laboret, eam quidem in ſaxis ſcriptis ſæpe poſthabitam quiſque novi-

Digitized by Google

novimus, & ne ex Grutero exempla promam, ſed noſtratia, in villa Altimariorum, ubi vulgo *l' Arenella*, quæ fere bis mille paſſus ab Neapoli diſtat, parieti affixus eſt lapis, in quo ligata verba licentius concluduntur. Ceterum hoc marmor apponendum reor, cum veteri elegantia fulgeat:

D. M.
IVLIAE IVLIANAE VIX. ANN.
XX. M. XI. D. VII.
POSSIDET NON MERITA
LOCVS HIC CITO CORPVS
INIQVVM QVAE TALEM VI
TAM MERVIT VT CVRVA SENE
CTVS NOLVERVNT SVPERI
CITO REDDIDIT VITA NE
FANDIS QVOD FVIT AD
SVPEROS INIMICA NE
MINI VIXIT
C. IVLIVS VICTORINVS
ET AELIA THEODOTE ET
C. VICIRRIVS SOTER
COIVX
B. M. F.

Quotquot autem hoc marmor vel exſcripſerunt, vel lectitarunt ex noſtratibus doctiſſimis viris αἰνιγματῶδες exputarunt, quos inter clariſſimum Matthæum Ægyptium adnumeres, vide ejus opuſcula pag. 201. Verum niſi egregie fallor, ipſe videre videor apertam ſatis, ac pietatis plenam ſententiam, ſcilicet, *ſepulcbrum immerito, & cito poſſidet corpus Julianæ non adhuc morti æquum & idoneum, quæ merebatur, ut ei eſſet curva ſenectus, at id non permiſere Superi: hinc cito reſtituit vitam regnis neſandis: ceterum quoad homines inimica nemini vixit*. Imo quis medelam quandam affectis verbis facile importabit:

Poſſidet haud merito locus hic cito corpus iniquum,
Quæ talem vitam meruit, ut curva ſenectus:
Noluerunt Superi, cito reddita vita neſandis:
Quod fuit ad ſuperos inimice nemini vixit.

Relicta eſt bina labes, quoad proſodiam in dictionibus *meruit*, & *nemini*, ne contextus verborum nimis inverteretur. Atque lubens a Venere diſcedo, quanquam ceteris felix fauſtumque ſidus ſit. Et Regi domino noſtro gratulandum, quod ſat vivax epigramma repererit, cujus ſi me nil vanum conjectorem fuiſſe ſalutes, nullas tibi gratias habeo, piget enim me divinaſſe.

xv. Hæc de ſingulis Diis planetarum nomine honeſtiſſimis, quæ a tot eruditiſſimis viris poſthabita ſunt, & quæ præſertim atramentario noſtro lucis plurimum conciliant. Sane rem plenam jucunditatis experti ſumus, & ſaltu quodam ad cælum aſcendimus, atque inter lucentiſſimos ſidereorum Deorum orbes perdiu verſati ſumus; nunc iterum cogimur invi-

inviti ad humiliorem materiem degredi, quanquam pro virili quibuſdam lautitiis cultuque expolire atque exornare ſatagendum mihi ſit. Quo autem huic capiti coronidem apponam, ſanequam pauca de vite cum ſuis uvis, pampinis, capreoliſque aureis adjiciam, ut nil de vaſculi ornatu intentatum relinquam: neque credas quid μυστηριώδες in hoc ornatu vaſculi me dicturum, ſed eam in operculo immiſſam ajo, quo quid elegantiæ rotundæ ei areæ induceretur; iraſcerer ſane, ſi quis proletarius ἀρχαιολόγος vitem appoſitam edicat, quo pateat vaſculum alicujus centurionis uſui deſtinatum, ea enim erat geſtamen, & illius militaris dignitatis inſigne; quod quam longe petitum eſt, norunt vel tirones. Ceterum ſcimus artifices ad inſtrumentorum honeſtatem, atque elegantiam vitem non vice ſimplici effinxiſſe, Virgilius ecl.3. verſ.36. meminit duo pocula ita exornata:

. . . . *Pocula ponam*
Fagina, cœlatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

Reliquos Latiales auctores tutemet legas. Anacreon hymn. 17. Vulcano interdicit, quominus circa poculum aſtra, vel arma elaboret, ſed vitem, & racemos: Ποίησον ἄμπελόν μοι, . Καὶ βότρυας κατ' αὐτό. Et od.18. quærit etiam in ſcypho argenteo inſculpi inter cetera vitem: Κάρπασσ' Ἔρωτας ἀνόπλους, - Καὶ Χάριτας γελώσας - Ὑπ' ἄμπελον εὐπέταλον, - Εὐβότρυον, κομῶσαν. Theocritus etiam idyl. 1. circa init. deſcribit poculum caprarii, in quo ſcalpta erat vitis; hinc patet Virgilium hujus Syracuſani poetæ verba more ſuo ſuffuratum eſſe:

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἀδέϊ καρῷ,
Ἀμφῶες, νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτοσδον·
Τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὕψοθι κισσὸς,
Κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος· ἁ δὲ κατ' αὐτὸν
Καρπῷ ἕλιξ εἰλεῖται ἀγαλλομένα κροκόεντι.
Et profundum poculum oblitum dulci cera,
Anſatum, recens, adhuc ſculpturam redolens,
Cujus circa labra volvitur ſuperne hedera,
Hedera helichryſo exornata, & juxta ipſam
Fructu vitis advolvitur læta croceo.

Ornamenta vitem repræſentantia veteribus arriſere uſque ad luxuriem, ita ut Reges Perſarum, illam ex auro cum racemis ex pretioſiſſimis gemmis compactis lecto impoſuerint, uti colligo ex Athenæo lib. XI. c. 2. Græca verba poſthabeo, utpote longiora: imo ſub eadem legatos audiebant, ac jus dicebant, fortaſſe ob Indicos carbunculos uvæ ſimiles majeſtati ſuæ decus acceſſurum ſperantes. Præterea ex Herodoto didici Dario Pythium Lydum platanum, & vitem auream donaſſe lib. 7. fragm. 27. Δαρείον ἐδωρήσατο τῇ πλατανίστῳ τῇ χρυσέῃ, καὶ τῇ ἀμπέλῳ. Et admiror brevia ſcholia in Odyſſ. λ. v. 307. libentius adſerere, tam longo ante Darium tempore Priamum vitem auream miſiſſe Aſtyochæ matri Eurypyli. In

Pto-

Digitized by Google

Ptolemæi Philadelphi apparatiſſima pompa, quam Athenæus γραφικῶς deſcribit pag. 198. lib. 5. viſebantur coronæ ex aurea vite fabrefactæ: Ἔφερον δὲ καὶ οὗτοι στέφανον χρυσῦν ἐξ ἀμπέλου., καὶ χρυσῦ εἰργασμένον· quædam de ſuo appoſuit in interpretatione Dalecampius, quæ Græce non exſtant: *Coronam manibus geſtantes, auream quoque aureis bracteis, & vitis pampinis conſertam*. Si autem optes etiam vaſa vite advoluta, ea meminit Plinius lib. 33. cap. 10. *Jam Cyrus devicta Aſia auri pondo triginta quatuor millia invenerat, præter vaſa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, vitemque.*

Si vas admirando artificio vitibus undique cinctum legere optes, vide Achill. Tatium de amor. Clitophont. & Leucipp. lib. 2. p. *69*. Lug. Bat. *1640*. quod haud ſcio an peritiores ævi noſtri artifices par conformare ſatis eſſent: Κρατῆρα παρέθηκεν μετὰ τὸν Γλαύκου τοῦ Χίου δεύτερον· ὑάλου μέν τι πᾶν ἔργον ὀρωρυγμένης· κύκλῳ δὲ αὐτὸν ἄμπελοι περιέστεφον ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κρατῆρος πεφυτευμέναι· οἱ βότρυες πάντη περικρεμάμενοι· ὄμφαξ μὲν αὐτῶν ἕκαστος, ὅσον ἦν κενὸς ὁ κρατήρ· ἐὰν δὲ ἐγχέῃς οἶνον, κατὰ μικρὸν ὁ βότρυς ὑποπερκάζεται, καὶ σταφυλὴν τὸν ὄμφακα ποιεῖ. Διόνυσός τε ἐντετύπωται τῶν βοτρύων, ἵνα τὴν ἄμπελον γεωργῇ· quæ verſa legis turbata, manca, & nihil medicata: *A Glauci Chii cratere ſecundum poculum adbibuit: e cœlato id vitro erat, ejuſque oram vites in eo ipſo natæ coronabant, a quibus racemi paſſim pendebant, ſicco omnes poculo acerbi: immiſſo autem vino, paullatim rubentes, & maturi. Inter racemos autem Dionyſus effictus erat, ut vitem coleret.* Quare verius confingas: *Secundum appoſuit poculum poſt illud Glauci Chii; opus omne ex vitro concavo: undique oram vites ab ipſo crateris medio enatæ coronabant, racemi undique dependebant; qui acerbi videbantur, quando vacuum erat poculum; ſi autem vinum infunderes, brevi racemi matureſcunt, & quod acerbum erat, uvam diceres. Bacchus effictus eſt in fundo tanquam ejus vineæ agricola.* Ex te ipſe vides ὀρωρυγμένης, *cœlato*, importuniſſime converſum, cum pueri ſciant ὀρύσσω eſſe *excavo*; verum id leve: e contrario κόμμα illud: Διόνυσός τε ἐντετύπωται τῶν βοτρύων, ἵνα τὴν ἄμπελον γεωργῇ, eſt ἀσύντακτον, & fœde corruptum: hinc Latialia verba ad arbitrium appoſita: quare ſi τῶν βοτρύων in τῷ βυσσῷ confingas, compones omnia, & interpretamentum, *Bacchus in fundo effictus eſt, tanquam ejus vineæ agricola*, ſatis probum & opportunum: τῶν enim βοτρύων, præter quamquod eſſet ſine ulla συντάξει, haud concipi poteſt, quo pacto inter uvæ racemos in vitreo poculo, ceteroqui parvæ molis, effingi potuiſſet Bacchus agricola; præſertim cum Tatius adſtruat racemos ab vaſculi labro pependiſſe. Præterea cum non *meſſoris*, ſed *agricolæ* munus Bacchus in poculo agat, profecto non inter racemos apponendus, ſed ad vitium pedes radiceſque, in fundo poculi ſcilicet, unde ortas deſcribit Tatius. Et mecum uſque conqueraris de librariorum ſtupore, qui id genus errorum monſtra libris importarint. Demum ſi ἄμπελον non *vitem*, ſed *vineam* di-

Digitized by Google

dixerim, factum bene, nam vel Græculus novit utrumque valere. Id unum miror, Franc. Junium, cum hunc Tatii locum in admirando de pict. vet. opere p. 295. adſcripſerit, errores in Græco κειμένῳ, & interpretationem vulgarem ſectatum eſſe.

Vides igitur, quam ſæpe, quantoque ſtudio vitem vaſculis appinxerint veteres, in eaque efformanda, quanta eorum luxuries luſerit. Neque ab hac inſana ornatus libidine Romanos abhorruiſſe tradit Plinius: namque Pompejus in tertio triumpho de Aſiaticis traxit ſecum inter cetera *montem aureum quadratum cum cervis, & leonibus, & pomis omnis generis circumdatis vite aurea*, lib. 37. cap. 2. Addere poſſem ſexcentas lucernas, quæ pleræque omnes, utpote forma ad rotunditatem vergente, vitem circumundique impreſſam præferunt, vide opus eruditiſsimi Jo. Bapt. Paſſerii de Lucernis: qui ſane fatetur in prolegom. pag. XVI. ſe aſſervare quinquaginta circiter lucernas, in quarum diſco corona pampinea cernitur, appellatque id genus lucernarum *obvium*. Imo etiam Chriſtianas lucernas vitibus ornatas intueor, vide Boſium, Aringhum, & Mamachium to. 3. orig. Chriſt. p. 79. verum in re non tanti momenti turbas cierem. Negligentiæ porro arceſſerer, ſi me aufugiſſet grande marmor rotundum longa vite cinctum, atque affabre ſculptum cum uvis, quibus aviculæ depaſcuntur, pampinis, & capreolis, cujus icona videre eſt in Boiſſardo to. 3. 145. vel in Petronio Burmanni c. 70. p. 452. qui vinarium lacum eſſe licet dubius adſtruit, Gruterus pag. 818. 17. appellat baſim, Gudius urnam, cui aſſentiendum reor, cum in medio ſit titulus θανάσιμος, eam inviſas rogo. Demum in Hiſt. Aug. pag. 400. inter dona, quæ miſit Gallienus Divo Claudio, legere eſt, *lancem argenteam pampinatam librarum triginta*, ideſt vite undique cinctam ornatamque; quare appellare poſſem Regium hoc atramentarium *aſtriferum*, & *pampinatum*, ſi modo vox Trebell. Pollionis placeat, ceterum Plinianam etiam eſſe ſcio, lib. 16. cap. 24. *pampinato ſemper orbe ſe volvens*. Tenes jam quantum Græci, Romani, quin & barbari in ſuis ſupellectilibus decorandis vitem affectarint: non igitur mirum, ſi noſter argentarius huic σκευαρίῳ eam impreſſerit, & princeps metallum optarit, tanquam ſi illud huic arbori proprium, cum jam ex auro indoles omnium gentium vitem imitandi fuerit.

Digitized by Google

C A P U T IV.

De triplici opificio metalla metallis committendi ; ejuſque artis nomina Græca, & Latina, quædam etiam Hebræa : deque eorum glutine, ad Regium atramentarium ære, argento, auroque fulgens magis illuſtrandum.

I. EXEMPLA *vaſculorum variis metallis ornatorum; non una elegantiſſima ex Herculaneo extracta. Quædam de Jovis Olympici ſceptro non juxta ac ſentit Mazochius.* II. *Veterrima pocula ejuſdem artificii, ac atramentarium ex Athenæo, cujus verba corruptiſſima reſtituuntur, quod non fecit Dalechampius, & Caſaubonus. De pane Herculanei reperto: etymon vocis* ἄρτος *ab* ערם, *non ab* ἄρω *contra Mazochium; ita etiam* ἀρτυρία *ab* חרי חרי, *quod non vidit idem vir ſummus.* III. *Poculum Neſtoris ex Athenæo;* παρόραμα *Dalechampii, & Caſauboni in convertendis Dipnoſophiſtæ verbis. De Suetonio circa Neronis vaſculum male meriti ſunt Pitiſcus, & Burmannus. Neſtoris, & Homeri famæ conſulitur, quam inficete oppugnare aggreditur Athenæus: ſincerum ternorum locorum Homeri interpretamentum; querelæ de Petito, Dalechampio, & Caſaubono.* Φιάλη *apud divinum vatem non eſt* vas vini. *Quid apud eundem voces antehac ignotæ* ἀμφίθετος, *&* ὑπερφίαλος. IV. *Vetres jambici in Athenæo de variorum metallorum vaſculis potoriis corruptiſſimi tum quo ad metrum, tum quo ad ſententiam emendantur, quod deſperavit Dalechampius, & Caſaubonus: opinio Petiti rejicitur.* V. *Græca Herculanenſis pictura Neapolitani artificis nomine præclariſſima illuſtratur Pollucis auctoritate, cujus verba inquinatiſſima, & Jungermanno obſcuriſſima perpurgantur, & luce ſua donantur. Reginæ D. N. laudes. Quidam de aſtragalis in Anthologia error emendatur.* VI. *Exempla litteratorum vaſculorum ex verſibus in Athenæo fœde marcidis, qui ſanantur, proferuntur: Petito reſiſtitur. Documenta artis committendi metalla etiam ex ſanctis libris. Quid* הור *contra Hieron. vera notio verbi* נקך. VII. *Triplex opificium conjungendi metalla apud Græcos, & Latinos, ignotum antehac vel ſummis* ἀρχαιολόγοις, *qui enumerantur: princeps modus eſt ars* ἐμβλητική· *quid* emblema, *&* cruſta. VIII. *Ulpiani lex tenebricoſa, ubi emblematis mentio, luci ſuæ redditur, ſi vocula* forte *in* cortex *reſtituas, quod factum bene, exemplis oſtenditur: Salmaſius ea in lege tranſverſus actus eſt. Quid vocabulum* inſerta. *Auctor Baſilicῶν difficultatem eatus auſugit. Specula non ſunt partes domus contra Salmaſium. Vopiſco lux.* IX. *Secundus modus committendi metalla eſt ars* ἐμπαιστική: *tertius eſt ars* τῦ χρυσῶσθαι, *cujus non pauca exempla adjiciuntur: hi artifices ſalutati* bractearii, πεταλουργοί, barbaricarii: *præclara nos de hac arte docet Plinius. Quid* radere bracteas. *Inaurata Herculanei ſtatua.* X. *Arduum eſt ex ſanctis Hebræorum libris triplex hoc opificium extundere: quædam non pœnitenda de verbo* צפה, *quod, cum ſermo eſt de ornandis metallis, adhibetur. Querelæ de* LXX. *ſenibus, & Hieronymo triplicem hanc artem confundentibus. Quid* ῥῆμα פוח, *quod verſum eſt* inaurare, *& Græce* ἐξαλειφθῆναι. *Loca pſ.* 44. *v.* 10. *& Apocal.* 17. 4. *&* 18. 16. *explanantur.* XI. *De glutine, quo ſimul metalla compingebantur,* chryſocolla *ſcil. &* ſanterna. *Plinio medela. Glaucus hujus glutinis auctor. Quid re vera ſit* ferruminare. *Paul. Jovius, & Abrah. Boſſe culpantur. Multa lux demum ex regio hoc atramentario in publicam rem litterariam invecta. Herculanenſis cimeliarchii laudes.*

TAN-

I. TANDEM ægerrimo animo ab planetarum orbibus mihi diſcedendum eſt, quos inter lubens detinebar, eorumque ingenitæ luci novam fortaſſe me ope Regii atramentarii ingeſſiſſe ternis ſuperioribus capp. minime pernegaveris, & ad humiliorem, ac ſatis aſperam materiem agitandam aggredior, quæ licet tenuitate ſua te haud oblectabit, fortaſſe novitate rerum dicendarum percellet atque alliciet. Dicendum ſiquidem mihi eſt, utpote vaſculum noſtrum ære, argento, auroque nitet, quot modis, quaque arte veteres metalla metallis componerent, ac immitterent; quotque nominibus hocce artificium decoraretur tum Græce, tum Latine, & ſi quid ea in re etiam Hebræi mihi ſuggerent, minime poſthabendum ſpondeo. Itaque reperi poſt improbam utriuſque linguæ Scriptorum lectionem terna ratione, diſtinctiſque vocabulis veteres, æque ac nuperos artifices metalla ſimul compoſuiſſe, quod cum non adverterint eruditiſſimi ἀρχαιολόγοι, de hoc artificio mirum in modum turbata omnia membranis commiſerunt. Quare belle mihi cecidit, ut non unis Græcis, Latiniſque voluminibus, & legibus ipſis bona lux hac in re acceſſerit. Porro rogandus es, ut te non tædeat caput hoc evolvere, cum ipſe, ut te exhilarem, mixtim præmittenda autumem, quotquot exempla vaſorum ſcrutari potis fui tum Graja, tum Latialia, quæ variis metallis ornata refulſerint, ut noſcitent univerſi vel ab remota vetuſtate artem illa ſimul committendi viguiſſe, quo thecæ noſtræ calamariæ pretium magis increſcat; inde ad triplex laudatum metalla efferruminandi opificium, & nomina accedam.

Et quidem Suetonius Tranquillus narrat ſe nactum eſſe puerilem Auguſti imagunculam æream ferreis litteris inſcriptam hujus principis nomine cap. 7. vides jam æri adnexa στοιχεῖα ferrea: verum mihi fidei ſubleſtæ videtur vox *ferreis*; haud ſcio an in αὐτογράφῳ Suetonii fuerit, *litteris aureis*; nam ferrei characteres in æneam ſtatuam immiſſi vix, aut ne vix quidem diſtingui potuiſſent; inepte quidam pro *ferreis* Tranquillo apponunt *ferrugineis*. Verum aptius locum reſtituam, ſi pro *aeneam ſtatuam*, una litterula immutata, remittam *auream*, cui bene quadrant *litteræ ferreæ*, ut vel longe cernerentur; hujus medelæ fundum do Petronium, qui cap. 3. meminit *annulum ferreis ſtellis efferruminatum*; nam hoc princeps metallum dignum fuiſſet Auguſto, cui eam dono dederat Suetonius, & ille inter ſtatuas cubiculares poſuerat. Tabula Iſiaca, quam Pignorius, Kircherus, & Kiffletius commentariis ornandam ſuſcepere, cum ænea eſſet, lineolis argenteis diſtincta interlucebat. Nec me latuit Senecæ auctoritas ep. 5. *Non habeamus argentum, in quod ſolidi auri cælatura deſcenderit*; iſthæc appoſita breviloquentia cælaturam atramentarii noſtri deſcribit, licet hæc in hoc vaſculo non in argentum, ſed in æs deſcendat. Gratiam etiam habeo doctiſſimo Gorio, cujus amicitia dudum floreo, me per litteras certum facienti ſe grandiori patera ex ære frui, in cujus fundo ἀναγλυπτικῶς ſculptus eſt Ajax Patrocli cadaver humeris ge-

Digitized by Google

geſtans, & veſtes, & galea lineolis argenteis in æs immiſſis renident. Hanc ſane artem adglutinandi ſimul pretioſiora metalla deterioribus videre eſt in cimeliarchio Herculanenſi Regis noſtri auguſtiſſimi, ubi inter ceteras gazas exſtat vas æneum elegantiſſimum, quod congium fuiſſe quovis pignore contendam; etenim intuenti quadraginta pondo liquoris capax ſtatim oſtenditur, & quadruplo major quartario, cui decem pondo inerant; uti clare colligimus ex inſcriptione ejus quartarii, qui etiam ab Herculanei ruinis ad regis felicitatem erutus eſt ſolito epigrammate, IMP. CAES. VESPAS. COS. IV. TITI F. IIII. MENSVRAE EXACTAE IN CAPITOLIO P. X. Sed ad congium redeamus, ejus ventri adhærent anſæ parvis icunculis puellarum, avium, & olearum fructibus cum ſuis foliis exornatiſſimæ, quæ licet ex ſolido ære ſint, argenteis lineamentis decorantur; imo ejuſdem admirandi operis vaſis pes, ſeu baſis, quæ exiguæ altitudinis eſt, elaboratiſſima iiſdem argenteis in æs immiſſis lineolis præfulget. Hinc aperte vides, quam ſollemnis erat veteribus fabris æra argento, atque auro condecorare, ut mirum non ſit, ſi eodem opere exornatam thecam noſtram atramentariam intueamur. Sane nullus finis, ſi quot guttos, acerras, quot parvas ſtatuas, imo & grandes menſas ſacrificiis addictas ex ſolido ære omnes argenteis ornamentis infixis ſplendeſcentes enumerare adlaborarem; præſertim inſtrumenta quædam chirurgica in vaginula ænea reperta, quæ adeo affabre variis metallis compacta ſunt, ut in admirationem intuentes ſtatim rapiant. Dum hæc ſcribo, nuncius affertur Regem inveniſſe æneam ſtatuam, cujus veſtimentorum fimbrias pretioſiore metallo in æs immiſſo, & quæſitiſſime elaborato diſtinctas volupe eſt intueri.

Si quis vero obſtinatior quærat imagunculas ex argento ſimillimas illis atramentariis, non ſolummodo characteres, & lineamenta, iterum ad Regias Herculanenſes gazas eum provoco; etenim ex Stabiarum ruderibus in lucem evecta eſt lamella ænea votiva ſex fere digitos alta, & lata quatuor, in cujus medio ſtant duæ ex argento icunculæ paullulo altiores iis, quæ nitent in regio atramentario, eodem prorſus artificio, ita ut dicere poſſes ab uno argentario elaboratas, nec tam ficus ficui ſimillima eſt, ut imagunculæ atramentariæ ſunt iis, quas huic æneæ lamellæ impreſſas vides. Nobis autem exhibent Æſculapium cum virga ſerpente obvoluta, & pone illum Hygiam medicarum herbarum caniſtrum utraque manu ſtringentem. Binæ hæ icunculæ in quadam ſive ara, ſive baſi ex argenteis filamentis compacta ſtant, e cujus extremitatibus aſſurgunt ramuli cum foliis, qui circumamplectuntur undique imagunculas, & ſuperne in orbem circumducti eaſdem veluti cooperiunt defenduntque: parva autem illa folia coloratis non unis metallis conſtant. Hinc concludas, atramentarii noſtri cælaturam, atque antiquitatem illuſtris hujus monumenti exemplo fulciri probarique. Hic mihi in mentem venit locus Pauſaniæ Eliacor. cap. 2. ajentis Jovis Olympii ſceptrum fuiſſe variis metallis

Digitized by Google

lis diſtinctum, atque elegans: Τῇ δὲ δεξιτέρᾳ τοῦ Θεοῦ χάλκεόν ἐστι σκῆπτρον μετάλλοις τοῖς πᾶσιν ἠνθισμένον. Quæ in hæc Pauſaniæ verba adnotat in Camp. amphit. pag. 161. Mazochius ὁ πάνυ, ſcil. metallorum varietatem in Jovis ſceptro præferre diverſum in homines vel probos, vel ſceleſtos imperium, atque olim idcirco fuiſſe craſſiuſculum, credat lubens, quem tanti viri urget auctoritas; & haud ſcio, cur confugiat ad quid μυστηριώδες, non ad ſceptri elegantiam; id unum ſcio etiam homines Homerum non unis metallis ornato donaſſe ſceptro, exemplum do hic inferne, & cum ſit aureis clavis undique fulgens, *craſſum* haud vocitarem; ſi vero quod Jupiter in anaglypto Campano gerit, rude eſt & grave, id ſcalptori inficetiſſimo ejus anaglypti tribuas; quare jure Mazochius de hoc marmore adſerit pag. 164. *Tabellæ certe noſtræ ſcalptura tam rudis eſt, ut bene in hunc uſum* (ad averruncandos nimirum, qui mejerent) *ſubitario opere fieri potuerit; etſi pictor elegantius ſecundum graphices canones delineavit*. Quare ſceptri figuram ab id genus tabula anaglyptica haud arriperem; cum contra in millenis nummis, gemmis, ſtatuis &c. decora, ac eleganti ſpecie efficta ſceptra vides, etiam illa, quæ in manibus noſtrorum numinum atramentariorum ſunt.

11. Ut autem hoc varia metallorum genera ſimul compingendi artificium, quanto vetuſtum, ac ſollemne fuerit noſcites, haud moleſtum ſit lectitare pluſculam exemplorum ſupellectilem mixtim collectam, præter ea, quæ nuper allata ſunt, mox, quo nomine hanc artem donavere Græci præſertim, dicam, nam a Latinis parum ſperandum. Homero, uti fas eſt, primas deferamus, qui Neſtoris poculi opificium, ut de Achillis ſcuto ſileam, Il. λ. v. 631. finxit, Athenæo cum primis, ceteriſque veteribus, ac recentibus Scriptoribus celebratiſſimum; δέπας enim illud ex argento, & χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, κ. τ. λ. eodem opere conflatum Achillis ſceptrum, σκῆπτρον βάλε γαίῃ χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, Il. α. v. 245. atque enſis Agamemnonis, ὤμοισιν βάλετο ξίφος, ἐν δέ οἱ ἧλοι χρύσειοι πάμφαινον, Il. λ. 29. Et ſane Athenæus τοὺς ἥλους aureos Neſtoris poculo immiſſos *ſtellas* vocat, quare pag. 489. legas ποτήριον κατηστερισμένον· noſque docet ex antiquiorum auctoritate Homerum Neſtoreum δέπας confingentem cælum cogitaſſe, quod & rotundum, & argento ſimile: τοὺς ἥλους aureos addentem, aſtra imitatum, eo quod ad igneum colorem accedunt, appellatque πυρώδη. Tenes igitur etiam Homeri ævo, artem, qua de ſermo eſt, viguiſſe. Ex eodem Athenæo novimus ibid. tripodas argenteos ejuſdem operis, rotundos ſcilicet, & ſtellis ornatos, quas aureas oportet fuiſſe, & *lunulæ* audiebant: Τρίποδας τοὺς τοῖς Θεοῖς καθαγιζομένους . . . καὶ ἀστέρας ἔχοντας, οὓς καλοῦσι σελήνας, ex quibus verbis lux multa Virg. eſt Æn. 4. v. 261. de Æneæ enſe dum canit, . . . *atque illis ſtellatus iaſpide fulva enſis erat*; itaque mens poetæ eſt Æneam habuiſſe enſis capulum ex jaſpide aureis ſtellis infixis decorum, uti erant hi tripodes, quos deſcribit Athenæus: multa magnus Salmaſius hiſt. Aug. to. 1. pag. 91. pro hujus

Virg.

Virg. verſus illuſtratione dat, ſed opportunum Dipnoſophiſtæ locum oblitus eſt, ſicuti & nuperrimi etiam tanti vatis interpretes.

Quoniam autem Athenæi verba corruptiſſime leguntur, pretium operæ reor in nativam elegantiam reſtituere; mirorque Dalechampium, & Caſaubonum duoviros ſupra fidem ἑλληνικωτάτους id non curaſse: Διὸ τὴν τράπεζαν κυκλοειδῆ κατεσκευάσαντο, καὶ τοὺς τρίποδας τοὺς τοῖς Θεοῖς καθαγιζομένους φθόεις κυκλοτερεῖς, καὶ ἀστέρας ἔχοντας, οὓς καὶ καλοῦσι σελήνας, καὶ τὸν ἄρτον δὲ ἐκάλεσαν, ὅτι τῶν σχημάτων ὁ κύκλος ἀπήρτισται, καὶ ἐστὶ τέλειος, quæ ita fudit Latine Dalechampius: *Itaque & menſam fabricatos eſſe orbiculatam, & tripodas Diis ſacratos, rotundos, ſtellis ornatos, quas lunas appellant, & placentas: quin &* ἄρτον, *panem, vocaviſſe, propterea quod inter figuras circularis* ἀπήρτισται, *abſoluta & perfecta eſt*. Vides jam Græca, & Latialia verba ἀλόγως, & confuſe diſpoſita; etenim vox *placentas*, injecta eſt ad otium, & ad nullam frugem; quare ut prompte me expediam, luxata ſuo loco reponam, ac omnis ſententia belle conſtabit: Διὸ τὴν τράπεζαν κυκλοειδῆ (παλαιοὶ) κατεσκευάσαντο, καὶ τοὺς τρίποδας τοὺς τοῖς Θεοῖς καθαγιζομένους, καὶ ἀστέρας ἔχοντας, οὓς δὲ καλοῦσι σελήνας, καὶ φθόεις κυκλοτερεῖς, ἄρτον μὲν (non autem δὲ) ἐκάλεσαν, ὅτι τῶν σχημάτων ὁ κύκλος ἀπήρτισται, καὶ ἐστὶ τέλειος, & oppoſite vertas: *Quapropter menſam in circuli formam* (veteres) *fabricati ſunt, & tripodas Diis ſacros, & ſtellis ornatos, quas vocant lunulas; & placentas orbiculatim factas*, ἄρτον (panem) *quidem appellarunt, quoniam figurarum circulus* ἀπήρτισται (*exactiſſimus eſt*) *& perfectus*; quam verborum luxationem cum non adverterit Caſaubonus, apponit lunulas inter quandam liborum ſpeciem, ſed quid lunulæ cum libis? eo recidunt verba Athenæi, ut oſtendat veteres in ſupellectilibus, imo etiam in placentis orbiculatam ſpeciem amaſſe, quo cæli rotunditatem imitarentur; & ἄρτος vocabulum extrahit ab ἄρτιος, & ἀρτίζειν, *perfectus*, & *perficere*, eo quod circuli figuram, quæ eſt omnium exactiſſima, panis præſentat, Græcoſque ait vocitaſse hujus figuræ panes φθόεις κυκλοτερεῖς, quæ ambæ voces e ſede ſua exturbatæ amanuenſium t--pore mentem Athenæi nobis occuluere; demiror iterum Dalechampium in adnotat. p. 778. vocem κυκλοτερεῖς vertiſſe *teretes*, quid cylindrica ſpecies cum κύκλῳ; Jure autem Athenæus inter ſexcentas panum formas protulit φθόεις κυκλοθερεῖς, nam ipſe ex hujus Scriptoris lib. 3. non unas collegi, veluti ἄρτος στρογγυλοδίνητος, pag. 112. ἄρτος βωλητῖνος, πλάττεται μὲν ὡς βωλίτης pag. 113. ἄρτοι κύβοι, & τετράγωνοι pag. 114. i. e. *panis turbinatus: boletinus*, conſormatus nempe ad inſtar *boleti: panes ad inſtar cubi*, & *quadrati*, &c. Per otium etiam Romanos conſului, & vix reperi Aurelianum *coronas de panibus feciſſe* Hiſt. Aug. pag. 498. *qui ſiliginei vocabantur*; licet piſtores dulciarii mellita edulia mille formis donabant, nos de panibus loquimur, & de illis canit tantummodo Martialis lib. XIV. 222. *Mille tibi dulces operum manus iſta figuras exſtruit*.

Non

Digitized by Google

Non oblivifcendus ex Herculanei excidione ad Regii cimeliarchii ſingulare ornamentum panis rotundus, cujus diameter fere novem, altitudo circiter quatuor digitorum eſt, Veſuvii ope ſervatus, tamque excoctus, atque ater, quam carbo eſt; imo etiam litteratus, in ſuperna enim parte hariolari licet, *ſiligo C. Granii e cicere*; in octo buccellas, atque ut Græci noſtri dicunt, ὀκτάβλωμος, vide Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμ. v.442. i. e. *in octo inciſuras diviſus*; vel ἔχων ἐντομάς, ut Athenæus pag. 114. (ut taceam alterum, qui depictus eſt, ſex ἐντομάς habentem, inter millenas picturas, quæ beatiſſimo eventu e ruinis tractæ ſunt); hinc facile colligam hunc Regis noſtri panem eſſe Græce, quem Athenæus vocat, φθόϊς κυκλοτερής, nam & orbicularis eſt, atque ex ſiligine compactus, rationemque docet pag. 647. qua componitur: φθόϊς οὕτω γίνεται, τυρὸν ἐκπέτας τρίβε, καὶ ἐμβαλὼν ἐς κόσκινον χάλκεον διήθει, εἶτ' ἐπίβαλλε μέλι, καὶ σελίγνεως ἡμίναν, καὶ συμμάλαξον εἰς ἕν, *phthois ita conficitur, caſeum incidens pinſe, atque injiciens in cribum æneum percola, inde mel adjice, & heminam ſiliginis, & ſimul ſubige*. Ceterum ea erat hujus ſiliginiariorum, quorum unus C. Granius, (non ſiliginariorum, ut male Caſaubonus Hiſt. Aug. p. 502. t. 2.) celebritas, ut corpora, ſive collegia inſtituta legamus in Grut. p.81.10. atque in Reineſio claſ.1.254. piget me nihil de hoc corpore adnotaſſe Reineſium. Ipſe autem non pauca ſervo inter meas ſchedas de id genus pane, piſtoribus, & menſoribus, quæ hic ſcio eſſe importuna.

Sed antequam ex hoc diverticulo in orbitam recurram, miratus ſum Henr. Stephanum, & Mazochium in Kalendarii tom. 2. p.506. æternæ lectionis 11. viros, fugiſſe τοῦ ἄρτου etymon, quod Athenæus, cujuſcumque ponderis ſit, cudit, qui non pauca, & ſelecta de hujus vocis originatione contraxere; imo culpandus Stephanus, qui in voce ἄρτος Athenæi librum 3. haud meminit ditiſſimum panum cenſum enumerantis cum elegantibus ἐπιθετοῖς· imo ſi illum etiam evolviſſet Mazochius, quem pauca latent, eodem Kalend. loco non illeviſſet: *Apud veteres panis vix aliter, quam buccellatus fiebat, h. e. ex pluribus buccellis aptus, atque connexus, nec enim cultro ad incidendum panem olim utebantur. Sic Hebræi, ſic Latini, Græcique ſuos panes vulgares conficiebant*; etenim nos non ſolum ὀκταβλώμους, & ἑξαβλώμους ſuperiori pag. attulimus, i. e. *octo* & *ſex inciſuras habentes*, verum etiam, *turbinatos*, *cubicos*, *ad coronæ inſtar*, &c. prætera Græcos fregiſſe panem, non incidiſſe prorſus pernego, notiſſimum enim eſt Pythagoricum ſymbolum imperans ἄρτον μὴ καταγνύναι, quod interpretatur Jamblichus, ὅτι οὐ δεῖ οἰωνὸν ποιεῖσθαι τοιοῦτον ἀρχόμενον καταγνύντα καὶ συντελοῦντα, in vita Pythag. pag. 71. & 72. Amſtel. 1707. triſte enim omen erat cœnam inchoantem frangere τὸν ἄρτον· & cum γενικῶς id edicat Pythagoras, etiam de *vulgari* pane intelligas. Scio apud Hebræos ſollemnem eſſe formulam, *panem frangere*; verum quid valeat, longe præ me doctior novit Mazochius; neque hic diſcutiendi locus, an aliter accipiatur.

Si vero aliquid delibandum ſit de vera ἄρτος etymol. quam Mazochius ibid.

Digitized by Google

ibid. ab ἄρω, *apto*, deducit, eo quod *cum buccellatus fieret*, *iis buccellis plurimis aptabatur & connectebatur*, dicerem ſane vocem ἄρτος naſci ἀμέτως ab Hebræa ערס, *maſſa farinæ aqua conſperſa*, quæ ῥῆσις non ſemel eſt in ſanctis libris; neque hæreas, ſi in τῷ ערס litterula ס mutanda ſit in ת, cum pueri noſcitent hanc eſse omnium linguarum indolem, quæ facillime has binas affines litteras S, & T immutant: vim exemplorum aggerit Voſſius in Etym. de permut. litt. Etenim quando στοιχεῖα cum ſignificatione conjurant tam Hebræe, quam Græce, Græcam vocem ab Hebræa natam niſi contumax pernegaverit. Et fortaſse LXX. ſenibus notum fuerat ab ערס naſci ἄρτος, ipſi enim Nehemiæ 10. 37. vocem עריסותינו verterunt, σίτων ἡμῶν, longe κυρίως, quam Latialis interpres, qui *ciborum noſtrorum* refudit: σῖτος autem eſse *panis* notiſſimum eſt ex Hom. qui ubique poematum jungit σῖτος cum *vino*, & *carnibus*, σίτε, καὶ οἴνοιο· σίτε, καὶ χρειῶν. Idipſum dicas de etymo vocis *arteria*, quam commentario ad miraculum doctiſſimo oneravit Mazochius; eamque etiam ab ἄρω extrahit; eo quod ex plurimis annulis *ſibi invicem aptis continua ſerie nectatur:* loquitur ſummus vir ibid. de ambabus arteriis, de duabus ſcil. gutturis fiſtulis, ſeu faucibus: verum ſola trachea his annulis conſeritur, non vero altera; præterea, ſi τὴν ἀρτηρίαν ab ἄρω, *apto*, deducas, Latine eſſet, *aptatio*, quæ nihil peculiare de iis gutturis fiſtulis diceret, imo menti nihil ingereret. Quare cum minime a Græcis quid boni habeamus pro ejus vocis radice ac origine, ab orientalis linguæ divitiis facile arceſſes; a Chaldæis enim iiſdem characteribus habes חרי תרי *foramen duplex:* hinc appoſite Latine *ambæ arteriæ* pro duabus gutturis fiſtulis, ſive *foraminibus* dictæ ſunt. quæ quidem bina etyma vocum ἄρτος, & ἀρτηρία reor ἀναλογικώτερα, quam ſi multis verborum ambagibus ab ἄρω, *apto*, trahas, quod ſane verbum eſt ſatis vagæ notionis.

III. Age reliqua exempla colligamus artis non unius metalli una committendi, unde ob voces φθόϊς κυκλοτερής deturbati ſumus. Dio Caſſius lib. 44. pag. 385. edit. Reimari enarrat miram Rom. populi in Jul. Cæſarem munificentiam, qui cum de tanto principe ſplendide mereri cuperet, decreta, quæ in ejus decus & famam juſſerat, argenteis columnis litteris ex auro compactis inſcribenda curavit: Τὰ δόγματα τὰ περὶ τούτων γιγνόμενα ἐς μὲν στήλας ἀργυρᾶς χρυσέοις γράμμασιν ἐνέγραψεν, ὑπὸ δὲ δὴ τοὺς πόδας τοῦ Διὸς Καπιτωλίνου ὑπέθεσαν. Præter litteratas columnas plura etiam γραμματικά pocula reperi; Athenæus quidem id genus multa commemorat pag. 466. Primum eſt illud κύπελλον *Enalli ducis undecim aureis litteris per ambitum inſcriptum*, ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, *auro tam electo & admirando, ut quod Metymnæi habebant cum eo comparato videretur ab ære nihil differre*. Secundum eſt, quod ipſe Athenæus ſe Capuæ vidiſſe narrat: *Tale prorſus nos litteratum poculum argenteum conſpeximus dicatum Dianæ in Campaniæ Capua, inſculptis Homeri verſibus elaboratum, & illis quidem aureis litteris exaratis, quod fama*

Ne-

Neſtoris fuiſſe increbuit ; ita vertit Dalechampius, ſed contra Græcam fidem: Τοιοῦτον εἴδομεν ποτήριον γραμματικὸν ἀνακείμενον ἐν Καπύῃ τῆς Καμπανίας τῇ Ἀρτέμιδι ἀργυροῦν ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν κατεσκευασμένον, καὶ ἐντετυπωμένον, ἔχον τὰ ἔπη χρυσοῖς γράμμασιν, ὡς τὸ Νέστορος ὄν, jam advertis poculum fuiſſe elaboratum & ſculptum ſecundum Homerica verba, falſo autem, *inſculptis Homeri verſibus*. Imo Homeri verſus non exaravere Campani in poculo, ſed ſolummodo hæc duo ἔπη ex auro, ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΕΙΜΙ, quare de ſuo appoſuit Dalechampius, *fama Neſtoris fuiſſe increbuit*. Præſertim cum poculum columbis, & ſtellis, aliiſque cælaturis frequentiſſimum ſenos bene longos Homeri verſus haud ſane cepiſſet: exemplo eſt κύπελλον Enalli paucorum στοιχείων, nimirum ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, quin in vas inciſi ii verſus nihil prorſus concludunt. Et me piget Caſaubonum cum Dalechampio in hac re amice conjuraſſe, inquit enim in Animad. lib.xi.cap.5.p.786. *Ipſis etiam inſculptis verſibus poetæ, tanquam eſſet Neſtoris poculum*. Si Athenæi locus de Campano poculo ita explanatus arrideat, lux affulget etiam Suetonio in Ner.47. ſcribenti: *Nuntiata* (Neroni) *interim etiam ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit; duos ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homericos a cælatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit, &c.* ideſt ab argumento cælaturæ petito ab Homeri verſibus; non ut Pitiſcus, & Burmannus, ceterique interpretes in animum induxere, in ſcyphos verſus ex auro immiſſos, qui certe poculo fuiſſent importuniſſimi, & longiores: reſpondent contra ſibi bene Athenæus, & Suetonius, ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν ἐντετυπωμένον, &c, *a cælatura carminum Homeri.*

Quoniam autem de Neſtoris poculo ſermo eſt, cominus mihi pugnandum eſt cum Athenæo, qui lib.10.cap.8.p.433. Neſtorem vinoſum ac bibaciſſimum traducit, tantæque hujus herois noxæ ter ad Homerum, tanquam ditiſſimum teſtem, provocat; & animi mente angor tot doctiſſimos interpretes in Dipnoſophiſtæ iviſſe ſententiam, ac veluti in magiſtri verba dejeraſſe; cum, ſi quis Homerum conſulat paullo curatius, ſanequam diverſa ab Athenæi mente divinum vatem ceciniſſe deprehenderit. Apponam Dipnoſophiſtæ plena dedecoris in Neſtorem verba: Πλεῖστον δὲ ἔπιε τῶν μὲν ἡρώων Νέστωρ ὁ τριγέρων· φανερῶς γὰρ αὐτὸς προσέκειτο τῶν ἄλλων μᾶλλον τῷ οἴνῳ . . . . Ὁ δὲ Νέστωρ, καὶ τῆς μεγίστης μάχης ἐνεστηκείας, οὐκ ἀπέχεται καὶ τοῦ πίνειν· φησὶ γοῦν Ὅμηρος (Il. ξ. v. 1.)

Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

Καὶ μόνου δὲ τούτου τῶν ἡρώων τὸ ποτήριον ἡρμήνευκεν (Il. λ. v.631.) . . ἐστρατεύετο γὰρ μετ' αὐτοῦ . . . οὐκ ἂν ἁμάρτοι δέ τις καὶ τὸ ποτήριον αὐτοῦ λέγων, φιάλην Ἄρεως . . . Ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν φιλοποσίαν ὁ Νέστωρ καὶ παρ' Ἀχιλλέως λαμβάνει δῶρον φιάλην ἐν τῷ ἐπὶ Πατρόκλῳ ἐπιτελουμένῳ ἀγῶνι, κ. τ. λ. (Il. ψ. v.616.) *Ex heroibus largiſſime bibebat Neſtor ter ſenex, præ aliis omnibus aperte vino deditus. . . . Neſtor, inſtante & ſæviſſimo prælio, a potu non abſtinuit; itaque Homerus canit:*

 Neſto-

Neſtora non latuit conflictus bibentem licet.
Hujus etiam ſolius ex heroibus poculum Homerus deſcripſit; etenim cum poculo is prælibatur . . . itaque oberrare haud potuit, qui Neſtoris poculum, Martis phialam vocavit . . . . Quin & in certamine, quod, occiſo Patroclo, in hujus funere celebrarunt, quoniam bibax eſſet, poculo Neſtorem Achilles donavit, &c. Piget me iſthæc Athenæi verba undique mendaciis fœda, licet tot doctiſſimi interpretes tutati ſint, oſtendere; verum quis neget pluris Homeri, & ſuorum heroum famam faciendam, quam cujuſvis poſterioris ævi Scriptoris tantum vatem negligentiſſime legentis?

Et primo quidem Il. ξ. v. 1. advertere te jubeo Neſtora minime *vinum* bibere, ſed τὸν κυκεῶνα, quem ei, & ceteris ducibus paraverat ancilla Hecamede, quam etiam potionem Circes Ulyſſi miſcuit Od. κ. v. 290. atque ita definiunt brevia ſcholia: Κυκεὼν δὲ λέγεται τὸ ἐξ οἴνȣ, ϗ μέλιτος, ϗ ἀλφίτων, ϗ ὕδατος, ϗ τυρȣ̃ ἀναμεμιγμένον πόμα· vid. etiam Turneb. Adverſ. l. 12. c. 8. pag. 386. idque certo noſcitas, ſi advertas primum hunc verſum Il. ξ. referri ad ea, quæ Homerus narrat verſ. 617. & ſeqq. Il. λ. ſcilicet, ſecum Neſtora in curru tuliſſe Machaonem in prælio vulneratum, eoque κυκεῶνι ſe, & ſocium refeciſſe; inde adeo falſum dicas bello inertem Neſtorem, ut inter bibendum etiam de prælio cogitaret, quare illum vides v. 9. & ſeqq. ſumpſiſſe σάκος, ἀσπίδα, atque ἔγχος, & a tentorio ad hoſtes explorandos prompte proceſſiſſe, quare inficetiſſime adſtruit Athenæus arma Neſtoris fuiſſe poculum. Secundo, Neſtoris poculum, quod arte inſigne ſummus vates Il. λ. v. 631. & ſeqq. deſcribit, eſt illud ipſum, in quo κυκεῶνα miſcuit Hecamede famula, quocum & menſam, & lances apparavit, & nil de vino meminit poeta. Tertio iratiſſimus fio Dipnoſophiſtæ ajenti Achillem in pro Patroclo certaminibus φιάλην donaſſe Neſtori, utpote vinoſum norat; cum ſciam ipſum ſat oſcitanter Homerum lectitaſſe, nulla implorata pace, id dictum volo; etenim vocem φιάλη Homeri ævo *vas vini* valuiſſe pernego, & ſolummodo in Il. ψ. bis adhibitam legere eſt, v. 243. 253. in qua oſſa ipſius Patrocli condita ſunt, & quando pro pretio victoris in laudato certamine propoſita eſt v. 270. inde eadem Neſtori data eſt v. 616. id unum juro principem vatem *vas vini* ubique binorum poematum δέπας vocitare. Verum adeo tranſverſus actus eſt Athenæus ab ſuæ ætatis vocabulorum genio, qua φιάλη *vas vini* audiebat, ut non viderit denati cineres Patrocli in poculo claudere, quam indecora res fuiſſet, & ruſticitatis plena; imo cum aperte Homerus id neget, nam v. 270. hanc φιάλην vocat ἀπύρωτον, *igni nunquam admotam*, quis, niſi Judæus, credat pocula ad ignem apponi? quare phialam Homericam vas potius in ollæ ſpeciem fabrefactum dicas, ſicuti λέβης, quem ibid. v. 267. etiam appellat ἄπυρος divinus vates. Vides igitur culpa in multiplici Athenæi mentem fuiſſe, atque eundem tum de Neſtoris, providentiſſimi herôis fama, tum de Iliados δεινότητι male meritum.

His in terna Homeri loca animadverſis, ſcio poſthac ſeram poſteritatem

tatem mecum miraturam inficetum hoc Athenæi interpretamentum patronos naſtum egregios viros Græce doctiſſimos Caſaubonum in admirandis Adnotat. & Samuelem Petitum in Miſcellan. lib.*6.* cap.13. pag.12*6.* ut ceteros taceam, quos cæco ſtudio in Dipnoſophiſtam, quem rati ſunt Homerice ſcientiſſimum, auctoritas traxit, decepitque. Hic pro re nata veniam comprecor explicandi, quid valeat tenebricoſum ἐπιθετὸν, quod huic φιάλῃ tribuit Homerus, nempe ἀμφίθετος, & brevis ſcholiaſtes ἀμύσως reddit διπλῆ, & interpretes *duplex :* inde cur vox ὑπερφίαλος tanto vati celebratiſſima vertatur *ſuperbus ;* ſi des quid me Homerice doctum, divinaſſe forte haud neges. Et quoad primum quidem præſto quovis pignore ἀμφίθετος, cum de vaſis dicitur, eſſe idem, ac *emblematibus ornatus*, & ſane quis obſtet ἐντίθεσθαι æque pollere, ac ἐμβάλλειν; quare, Homero φιάλην vocante ἀμφίθετον, intelligas vas elegantibus cruſtis undique cinctum, ita ut, quod poſteriores Græci dixere ἐμβάλλειν, heroica ætate fuerit ἐντίθεσθαι, ſive ἀμφίθεσθαι· neque ea de re quid dubites, cum ῥῆμα hoc ἐντίθεσθαι ſummo vati ſollemne ſit in περιλθρυλλήτῳ Achillis ſcuto Il. 18. ubi pluries repetitum vides, ἐν δ' ἐτίθει (Ἥφαιστος) *apponebat* (*Vulcanus*,) & nos ſuperne pag.37*9.* Achillis ſcutum ad artem ἐμβλητικὴν pertinere præſtitimus: habes jam, quid ſit φιάλη ἀμφίθετος.

Vocis alterius, nimirum ὑπερφίαλος, durioris pretium operæ eſt notionem veſtigare: grex interpretum in verba brevis ſcholiaſtæ conjuravere definientis in v. 10*6.* Il. γ. ὑπερφίαλοι] ὑπερήφανοι, ἄθεοι, καὶ παραβαίνοντες τοὺς ὅρκους, καὶ τὰς σπονδὰς τὰς διὰ φιαλῶν γιγνομένας, *ſuperbi*, *impii, jurium jurandorum*, & *fœderum nil curantes*, *quæ phialarum ope feriebantur :* verum ne te pigeat mendaciſſimum traducere ſcholiaſten, ubi enim gentium legerat icta fœdera phialis? præſertim cum Homeri ævo φιάλη perquam diverſum valebat, & vox ὑπερφίαλος, *impius*, Homerica eſt. Quare, poſthabitis hujus pretii Græculis, auguſtiorem originem quæramus: porro oſtendimus, cum de Aurora diſputatum eſt pag.35*6.* & ſeqq. quo tanti vatis ἐπιθετὰ percipiantur, ad Phœnicios Græcorum patres confugiendum, queis præ ceteris Scriptoribus vicinior, & minus degener Homerus; hinc dicas hybridam vocem eſſe ὑπερφίαλος, nempe ab ὑπέρ *præter*, & פעל, *opus*, *quod neceſſe eſt*, *officium*, τὸ πρέπον, &c. jure dixeris ὑπερφιάλους eſſe eos, *qui* τὰ πρέποντα *poſthabent*, neque partes honeſti civis implent; & a lexicis etiam tenes ἔργον eſſe *officium*, & τὸ πρέπον. Atque hæc contra Athenæum de Neſtoris poculo.

IV. Age aliud poculum, quod eſt in Athenæo p.4*66.* deguſtemus, etiam aureis haud dubium litteris nobile; & veteris Tragici loco affectiſſimo medelam tentemus. Inducitur ab Achæo in Omphale hæc dicens ſatyrus:

Ὁ δὲ σκύφος μὲ τοῦ Θεοῦ καλεῖ πάλαι,
Τὸ γράμμα φαῖνον δέλτ', ἰῶτα, καὶ τρίτον
Ο, ν τοῦ υ πάρεστι, κοὐκ ἀπουσίαν
Ἐκ τοῦ πέκεινα σὰν τότε ο χηρύσσετον,

hos jambos ita habes Latine a Dalechampio:

Jam dudum me poculum Dei vocat,
Litteras monſtrans delta, jota, & tertiam
O, juxta vero υ, ſequitur ultro volens υ,
Ac poſt id, quod ſan vocatis, & ο.

Vides jam interpretationem τῷ κειμένῳ tenebricoſiorem; parcas vero ſummo viro, etenim jambi corruptiſſimi ſunt. Adeamus Caſaubonum ajentem, *verſus male in vulgatis codicibus acceptos ita ſcribimus:*

Ο' δὲ σκύφος μὲ τȣ̃ Θεȣ̃ καλεῖ πάλαι,
Τὸ γράμμα φῶνον δέλτ', ἰῶτα, κ̀ τρίτον
Ο, νῦ τ' αὖ πάρεςι, κ' ȣ̓κ ἄπεςιν υ,
Ε'κ τȣ̃, πέκεινα σὰν, τότ' ο κηρύττετον.

Et vertit:

Dudum eſt, cum me Dei ſcyphus vocat
Litteram oſtendens Δ, Ι, *& tertiam*
Ο, *etiam* Ν *adeſt, neque abeſt* Υ,
Ulterius prædicant Dei nomen duæ litteræ Σ, & Ο,

ut plenum ſit nomen Διονύσου, *nomen unum, a fine υ deſideratur*, hæc Caſaubonus; haud ſcio an minus male, venia tanti viri dico, quam Dalechampius. Etenim tertius verſus, quem ipſe liberius confingit, προσωδίᾳ nimium laborat, imo caret ſenariorum menſura; adde ſatis audax eſt pro ἀπȣσίαν refundere ἄπεςιν, & elementum υ ab initio verſus deturbare, atque ad extremam ſedem abigere. Miror præter hæc non vidiſse vocem φῶνον minime componi cum ὁ σκύφος, nam Achæus dixiſset φώνων, & vel tyro noſcitat adhæreſcere τῷ γράμμα. Adhæc, ἐκ τȣ̃ πέκεινα, *inde, ulterius*, vides jam inſuavem ταυτολογίαν, facile igitur erat reficere ἐκ τȣ̃ κἀκεῖνα· quare cum paucis inſtaurativis litteris omnis ſalva res eſt.

Ο'δὲ σκύφος μὲ τȣ̃ Θεȣ̃ καλεῖ πάλαι·
Τὸ γράμμα φῶνον, δέλτ', ἰῶτα, κ' ō τρίτον,
Νυ τ' αὖ πάρεςι, κ' ȣ̓ τȣ̃ ῦ ἀπȣσία,
Ε'κ τȣ̃ κἀκεῖνα σὰν τὸ τ' ō κηρύσσετον.

Hic ſcyphus Dei dudum me vocat:
Inſcriptio ipſa Deum *oſtendens*, ſcil. Δ, Ι, & Ο *tertium*,
Ν *etiam adeſt, & neque* Υ *deficit*,
Inde & illa Σ, & Ο *oſtendunt*.

Ita ut τὸ γράμμα, ſcil. ἐπίγραμμα, poculi *inſcriptio*, ſit, ΔΙΟΝΥΣΟ, quam ſingula elementa ſimul adnexa claram præſeferunt; κηρυσσέτον ſumitur δυϊκῶς, cum ἀμέσως præceſserint σάν, & ō. Adnotandum eſt poſtremum iſtud Ο vocis ΔΙΟΝΥΣΟ habere διφθόγγȣ vim, ut hic docet Athenæus ipſe, tanquam ſi ſcriberetur Διονύσȣ, rationem apponens, quæ an bona ſit, minutæ admodum diſquiſitionis res eſt, & tædii plena. Ceterum medicinam his Achæi jambis factam claudam Phil. D' Orvillii viri immortalis, & quot ſunt, fueruntque Græce callentiſſimi verbis cedro

Digitized by Google

dro dignis: *Dubitabundus propono hanc conjecturam, ſimul ſubmetuens, ne iis accenſear, qui plus codicibus, & infrunitis librariis tribuam, quam illi* πολυμόρφῳ, καὶ πολυωνύμῳ Divæ, Sanæ Rationi, vel εὐστοχίᾳ, καὶ ἀγχινοίᾳ, *Criticorum ſacroſanctis idolis: felices, quibus horum numinum ſacraria quotidie inoffenſo pede intrare liceat, & ita afflatis nulla non hora inſcientibus, ceu a mento barba, emendationes naſcantur indubitabiles, veriores, quam illa apud Sagram, egregiæ & capitales, quando præfiſcini de ſuis teſtimonium perbibent*: hæc vir egregius in ſuo Charitone p. 517. in cujus animadverſionum lectione plurima, & penitiora quæque Græcæ venuſtatis me deguſtaſse ἀφθόνως & δαψιλῶς fatendum eſt.

Sed ad variorum metallorum pocula redeundum. Exſtat in animad. Iſ. Caſauboni in Athen. pag. 781. in fragmento cœnæ ſophiſtarum vas vini ex auro compactum, alioque metallo, δέπας χρυσοκόλλητον dictum, quod ἐπιθετὸν artis, qua de commentamur, eſt, ut mox patebit. Itaque inquit Athenæus: Ἐχρῶντο δὲ καὶ λιθοκολλήτοις ἐκπώμασι· Μένανδρός δέ πυ φησὶ καὶ ποτήριον τορνευτὸν, καὶ τορευτὸν· Ἀντιφάνης· reſtituas illud λιθοκολλήτοις in χρυσοκολλήτοις, nam in ſequentibus verſibus hoc ἐπιθετὸν vides, qui recte ſe habet ob metrum:

Ἄλλοι δέ καὶ Βακχίυ παλαιγενῦς
Ἀφρῶ σκιά, καὶ χρυσοκόλλητον δέπας
Μεστὸν κύκλῳ χορεῦον ἕλκυστιν γνάθοις,
Ὁλκοῖς ἀπαύστοις, παντελῶς ἐστραμμένοις,
Τ' ἄνω κάτω δεικνύντες.

Qui quidem verſus tantis vulceribus fœdi ſunt, ut ipſe Caſaubonus eorum ſanitatem deſperaverit, nec Latinitate donaverit: inquit enim pag. 785. ſe conjectura aſsequi non poſse, quo pacto reſtituendi ſint. Sed audendum adeo, ut qualemcumque minus malam præſeferant ſententiam; ſaltem σύνταξιν ſervent, præſertim cum membranæ, quas reviſit Caſaubonus, in eoſdem errores conſpirent: ſic igitur reſtituo etiam quoad metrum:

Ἄλλοι δὲ Βάκχυ τῦ Θεῦ παλαιγενῦς
Ἀφρόσκιον, καὶ χρυσοκόλλητον δέπας
Μεστὸν, (κύκλῳ χόρευον), ἕλκοντο γνάθοις,
Ὁλκοῖς τ' ἀπαύστοις, παντελῶς ἐστραμμένον
Ἄνω κάτω δεικνύντες.
Alii autem, Bacchi Dei antiquiſſimi
Alte ſpumans, & ex-auro-compactum poculum
Plenum, (in gyro ſaltabant,) exſorbebant labiis,
Hauſtibuſque inceſſantibus, omnino vacuum
Suſque deque oſtentantes.

Ita ut mens hujus veteris comici ſit, bibaces illos ſaltando ſcyphum vino pleniſſimum ſatis fuiſſe totum exhaurire, ſpectatoribus inde oſtendentes ipſum ex omni parte vacuum; ἀφρόσκιον δέπας eſt, ut δολιχόσκιον ἔγχος,

ἔγχος, *longa haſta*, ita etiam bene, *poculum alte ſpumans ;* & ſi vox placet, addenda lexicis ; ceterum hunc bibendi luſum ævo noſtro etiam vigere cernimus, præſertim in Bacchanaliorum otio.

Venia mihi ſit apponendi longiuſculam animadverſionem Sam. Petiti, quam per otium lectitavi in Miſcellan. lib. 7. pag. 146. ut penſites, an noſtris meliora adnotarit : *Horum verſuum ſecundum, atque tertium legendos, & emendandos cenſebamus,*

Α'φρῶ σακία, καὶ χρυσοκόλλητον δέπας
Μεστὸν, κύκλῳ τορευτὸν, ἕλκουσιν γνάθοις.

Priores duæ voces ſunt genitivi Dorici, referunturque ad præcedentia Βακχίου παλαιγενοῦς, *& dicuntur de vino vetere, quod ſpumans eſſe hac voce* ἀφρόν *ſcribit, quod inter generoſi vini notas eſſe nemo ignorat .... Addit Antiphanes* σακία, *colati, defæcati ;* σακίας *propter metrum, ſive* σακκίας, *vinum eſt colatum & defæcatum, de quo Pollux lib. 6. cap. 11.* σακκίας δὲ ὁ διϋλισμένος, *quod fieri debere maxime in vinis veteribus, nullum eſt dubium .... In tertio verſu* ἀντὶ τοῦ χορεῦον *reſcripſimus* τορευτόν, *ob hanc enim unam vocem Antiphanes laudatur :* huc uſque illuſtris Petitus, cui in multis reſiſtendum eſt ; nam metro horum verſuum nullam medelam facit, & tam σακία, quam σακκία illud lædit : ſi eos nobis Latine dediſſet, nulla ſane ineſſet ſententia, cum vox σακία importuniſſima ſit. Porro cuivis non cato Petitus imponeret, eo quod pro χόρευον reſtituit τορευτόν· verum ταυτολογίαν non vidit vir Græce doctiſſimus, ſi enim torno elaboratum erat δέπας, vox κύκλῳ omnino παρέλκει· imo pernego Athenæum recitaſſe Antiphanis verſus pro dictione τορευτόν, ſed pro voce χρυσοκόλλητον· & Menandro tribuit ῥήσεις binas τορνευτόν, & τορευτόν ; quare in Athenæi verbis ante Α'ντιφάνης duplicem στιγμὴν apponendam eſſe, ut a nobis factum vides, pro certo habeo, alias Dipnoſophiſta pro epitheto χρυσοκολλήτοις, (quod male ſcriptum eſt λιθοκολλήτοις,) nullum vadem protuliſſet. Incuſes igitur his Antiphanis verſibus mancam atque infirmam fuiſe Petiti medelam.

v. Quare mihi gratulor reperiſſe novum ludi genus, cujus Pollux diligentiſſimus oblitus eſt in c. VII. περὶ τῶν παιδιῶν lib. IX. quare rem nunc ſcimus, nomen ignoramus. Sed magis Regi noſtro beatiſſimo gratulandum eſt, qui plures picturas ex Herculaneo extraxit, quæ non unas παιδίας nobis exhibent, veluti puerorum, quorum unus occultatur, alter, cujus oculi cohibiti ſunt, illum perquirit, quem ludum appoſite deſcribit Pollux lib. IX. c. 7. fragm. 117. vocatque ἀποδιδρασκίνδα, *occultatio :* Η' δὲ ἀποδιδρασκίνδα, ὁ μὲν ἐν μέσῳ καταμύων κάθηται, ἢ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ τις ἐπιλαμβάνει, οἱ δ' ἀποδιδράσκουσι, διαναστάντος δὲ ἐπὶ τὴν ἐξερεύνησιν, ἔργον ἐστὶν ἑκάστῳ εἰς τὸν τόπον ἐκεῖνον φθάσαι, *apodidraſcinda eſt, unus quidem in medio occluſis oculis aſſidet, aut alius illius oculos cohibet, ceteri occultantur, ipſo vero ad inquiſitionem aſſurgente, neceſſe eſt quemlibet illius locum præoccupare ;* ſi autem regiam parvam picturam advertas, hoc more belle ludentes duos puellulos cernes. Sed

Sed ex his innumeris picturis convenas, atque incolas in admirationem trahit marmorea tabula pedem ſere cum dimidio lata, altaque paullulo minus, in qua volupe eſt quinque adoleſcentulas duobus ludis ſeſe oblectantes intueri; illæ autem ſunt dumtaxat μελανόγραμμοι, & quod præter exſpectationem eſt, & ſingulare, marmor depictum Græce litteratum eſt; inſcripta enim ſunt nomina puellarum, pictoris, & Deæ cui ſacratum eſt, ſed lectu facilia iis, qui ſatis oculis valent, quædam vero litteræ ob ætatem jam evanuere. In marmoris inferna parte viſuntur ΔΙΑΝΕΙΡΑ, & ΑΓΑΛΛΙΗ genu nixæ, & recurvæ aſtragalis ludentes, illa quidem eos in altum vibraverat, & exteriori manus vola quoſdam jam exceperat, quoſdam digitis duobus, pollice, & indice, qui in ſolum deciderant, attentiſſima cura prehendit; Ἀγαλλίη ſedulo contemplatur, an ſocia oberret; depicti aſtragali ſunt oſſicula, quæ in imo crure ovium ſita ſunt. Hanc παιδίαν propriam muliercularum eſſe ait Pollux, & γραφικῶς deſcribit, appellatque τὰ πεντάλιθα, ibid. fragm. 126. Τὰ πεντάλιθα, ἤτοι λιθίδια, ἢ ψῆφοι, ἢ ἀστράγαλοι πέντε ἀνεῤῥιπτοῦντο, ὥστε ἐπιστρέψαντα τὴν χεῖρα δέξασθαι τὰ ἀναῤῥιφθέντα κατὰ τὸ ὀπισθέναρ, (ἢ) εἰ μὴ πάντα ἐπίσταται, ἢ τῶν (ἐπιστάντων) ἐπικειμένων ἀναιρεῖσθαι τὰ λοιπὰ τοῖς δακτύλοις . . . γυναικῶν δὲ μᾶλλον ἐστὶν ἡ παιδιά· quæ inconcinne Latine fuſa longe a Pollucis mente abſunt: *Pentalitha autem, ſive lapilli ſint, ſive calculi, ſive aſtragali, quinque ſurſum ejiciuntur, ut manu converſa ea, quæ projecta ſunt, in poſteriorem manus partem recipiantur: vel ſi non omnia poteſt, ea ſaltem, quæ novit, & in manu jacent, digitis denuo recipere . . . . magis autem mulierum luſus eſt.* Vides jam verba hæc, *vel ſi non omnia poteſt, ea ſaltem, quæ novit, & in manu jacent, digitis denuo recipere*, appoſita ad arbitrium; & lubens parcas Latiali interpreti, nam & Græca fœde corrupta ſunt; quare jocoſe Jungermannus in adnotat. cum ſatis diu affectis verbis reſtituendis adlaboraſſet, concludit: *Sed alii in hoc ludo vincant, ego ejus non ſum peritus:* neque felicius ſe geſſit Kunius, ut de Meurſio ſileam, & Bulengerio. Verum hi viri ἐξοχώτατοι, ſi vocem ἐπιστάντων hic adulterinam eſſe, & advectitiam vidiſſent, Pollucis ſententiam non deſperaſſent. Probe igitur conjicio fuiſſe in mundo libri margine adſcriptum ῥῆμα hoc ἐπιστάντων, ut indoctus librarius interpretaretur τὸ ἐπικειμένων, inde contextui additum, qua de audaci librariorum inſcitia paſſim indoleſcimus; hinc factum eſt, ut omnia in Polluce turbata videantur; quare ſi lubens eradas, mens onomaſticographi, & παιδίας deſcriptio optime conſtabit: itaque vertas: *Pentalitha, ſive lapilli, ſive calculi, ſive aſtragali quinque in altum jaciuntur, ut quis manum convertens projectos excipiat in exteriori vola, ſi non omnes ſciat* (ſupple δέξασθαι, quod proxime eſt) *excipere, reliquos humi jacentes opus eſt prehendere digitis*, i. e. pollice, & indice, ut vides in marmorea tabula ludentem Dianiram: atque hodiedum pueri in hac παιδίᾳ diem omnem terunt, vocantque ἰδιωτικῶς *giocare a ripiglino*, vide *Malmanti-*

mantile cant.3. ſtan.57. Adjeci *opus eſt*, quod Græce eſt δεῖ, & amanuenſium ſtupiditas in ἢ convertit, qua de particula ἢ dubitavit etiam Jungermannus, aitque: *Quid ſi alterum ἢ expungamus?* potius primum certe expungendum, pro ſecundo confinge δεῖ, & bene habet, δεῖ ἀναιρεῖσθαι τὰ λοιπὰ ἐπικειμένων, *opus eſt reliquos humi jacentes (aſtragalos) prehendere*.

Præterea in reliqua ſuperna marmoris parte inviſes ternas ſtantes puellas, quarum nomina ΛΗΘΩ, ΝΙΟΒΗ, & ΦΟΙΒΗ manus ſibi porrigentes ad maturandum iter ſe veluti concitantes; hanc virginum luſionem ita deſcribit ibidem Pollux: Ἡ φίττα Μαλιάδες, καὶ φίττα Ῥοίαι, φίττα Μελίαι, παρθένων ἦν παιδιά· τὰς γὰρ νύμφας εὐφημοῦσαι θέουσι, παροξύνουσαι ἀλλήλας εἰς τάχος, *phitta Maliades, phitta Rhoæ, phitta Meliæ, virguncularum erat luſus; ſponſas enim fauſtis acclamationibus honeſtantes currunt, ultro citroque ad feſtinationem excitantes*; acclamationes autem erant voces illæ, φίττα Μηλιάδες, &c. φίττα autem eſt, ut ait Euſtath. in Odyſ. ἐπίῤῥημα τάχους δηλωτικόν· & Μηλιάδες, Ῥοίαι, Μελίαι nomina γενικὰ Nympharum, vide adnot. in Pollucem, & Meurſium in Græc. ludibun. Quod autem auro, & gemmis contra carius reddit hoc marmor, eſt pictoris nomen, & Deæ, cui dicatum eſt, itaque in ſuperno dextro angulo hæc intentiſſima oculorum acie legi,

ΑΘΗΝΑ	*Minervæ*
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ	*Alexander*
ΕΓΡΑΨΕΝ	*pinxit*

Hinc diſcimus haud dubie Alexandrum quinas virgines filias ludibundas pinxiſſe, patrem ſane πολύτεκνον, & Ἀθηνᾷ commendaſſe, votumque pro iiſdem ſuſpendiſſe, eo quod erat φιλοτεκνότατος· patronam puellarum dici Dianam notum eſt ex Tibul. carmine ſæcul. *Dianæ ſumus in fide, puellæ;* & ipſam apud Græcos celebratam nomine φιλοπαρθένου memini olim me legiſſe apud Nonnum. In mentem revoces, quæ ſuperne pag. 36. diximus, aliquando veteres Minervam cum Diana confudiſſe. Addendum catalogo veterum pictorum a Franc. Junio laborioſiſſime concinnato nomen hujus Alexandri, quem ſi dicas Neapolitanum fuiſſe haud diu refrager, video enim ipſum ἰωνίζειν, ſeu ὁμηρίζειν in voce Ἀγαλλίη, quam alii ex Græcis urbibus pinxiſſent Ἀγαλλία· & ſuperne oſtendimus pag.362. &c. unos Neapolitanos nimis præfracte Homero ſtuduiſſe, & ſalutatos fuiſſe *Homericos:* quin Neapolis urbs Græcanica ἀμέσως proxima fuit Herculaneo, Romano municipio, Strabone teſte divite; quare Herculanenſes ab confini urbe Græca Græcam picturam facile ſibi comparaſſent. De harum quinque puellarum nominibus conſulas indicem nominum Gruterianum. De voce ἔγραψεν, quæ pictorum, & ſculptorum eſt, vide Cuperum in Homeri ἀποθέωσιν. De hac περιβοήτῳ tabella commentarium ſervo, pauca hæc pro re nata, tanquam antecœnium, tibi appoſui.

Porro omnium primum beatiſſimo Regi D. N. gratulor, quod tam rarum picturæ cimelion auctoris nomine inſigne ad ceterorum principum

invi-

Digitized by Google

invidiam repererit; deinde, quod ſors dederit, ut Pollux per partes omnes illud deſcripſerit, hinc operi pretium longe increſcit, & hujus picturæ ope verba onomaſticographi corruptiſſima librariorum malignitate nitori ſuo reddita. Regique gratiæ habendæ immortales, eo quod tantæ raritatis pignus auro circumdederit, cryſtalloque contexerit. Et ſpes eſt Reginam noſtram Auguſtiſſimam hunc perbrevem commentarium probaturam, cum ſciam ardentius hujus picturæ divinationem a pleriſque omnibus expoſtulaſſe; quam Herculanenſium antiquitatum τὴν σωτῆρα, & veluti Chriſtinam alteram ſalutamus univerſi. Contra conquerendum, quod doctiſſimus tantarum opum cuſtos Regale imperium eas multa luce donandi in longiſſimos annos transfert, interea exteri exſpectatione enecantur, & qui nequioris indolis ſunt, verentur, ne hanc tandem ſallat. Id unum ſemper indoleſcendum eſt, cum Rex ſapientiſſimus περιθρύλλητον hanc picturam exacte in æs incidi imperaverit, me illam Græcis puellarum, pictoris, & Deæ nominibus deſertam vidiſſe; ſed ſpes eſt, ut cimeliarchii curator poſthac ea cariſſima nomina addat, & diris damnandæ ſcalptoris forſitan oſcitantiæ pro litteratæ reip. bono conſulat. Adde eam eſſe Dominorum noſtrorum felicitatem, ut præter multiplices teſſeras luſorias ad ſenos uſque numeros diſtinctas, & non una materie fabrefactas, quas vulgus *talos* appellitat, ipſoſmet aſtragalos vetuſtiſſimos acquiſiverint, eaque copia, ut parvum corbem impleverint: hos etiam vides parvo foramine in medio pertuſos, ut, immiſſo funiculo, horum vim non parvam facilius ludentes ſecum comportarent.

Exſtat in Antholog. lib.6. edit. Manut. tit. ἀπὸ παιζόντων, in quo cum ceteris ludis ineſt ille aſtragalorum omnium celebratiſſimus, quem ad furorem uſque amaſſe veteres dicuntur:

Εὔφημόν τοι σφαῖραν, εὐκρόταλόν τε Φιλοκλῆς
  Ἑρμείῃ ταύτην πυξινέην πλαταγήν,
Ἀστραγάλους τε, οἷς πολλ᾽ ἐπεμήνατο, καὶ τὸν ἑλικτὸν
  Ῥόμβον κουροσύνης παίγνι᾽ ἀνεκρέμασεν.

Quod ita vertendum iiſdem fere Latialibus verbis duxi, & ſcias interpretamentum in proſa oratione huic carmini adſutum rure eſſe inficetius.

Pernotam ſphæram, perſtridentemque Philocles
  Hanc, quæ ex buxo fit, Mercurio platagen,
Et talos, queis multum inſaniit, atque rotantem
  Rhombum, quæ ſtudium ſunt puerile, dicat.

Hujus epigrammatis occaſione labem, quæ Anthologiam inficit, amoliendam jubeo; appoſitum enim eſt τετράστιχον ſub hoc tit. παιζόντων, eo quod vox ἀστράγαλος inſit, cum ad longe diverſam claſsem ſpectet:

Νικήτας τοὺς παῖδας, ἐπεὶ καλὰ γράμματ᾽ ἔγραψε
  Κώνναρος ὀγδώκοντ᾽ ἀστραγάλους ἔλαβεν·
Κἀμὲ χάριν μούσης τὸν κώμικον ὧδε Χάρητα
  Πρεσβύτην θορύβῳ θῆκέ με παιδαρίων.

Poſthabita communi interpretatione, quæ nihili eſt, hanc do poetice, & fere κατὰ λέξιν·

Devincens pueros, dum pulchra epigrammata panxit,
Octoginta tulit Conarus aſtragalos;
Me muſæ & ſtudio comœdum idcirco Chareten
Annoſum in turba me appoſuit puerûm.

Vides igitur in hoc epigramm. neminem ludentem, ſed pueros de poeſeos victoria certantes, vincentemque Conarum, ita ut tulerit octoginta aſtragalos, nim. puncta omnia; atque adeo eam ob rem exhilaratus eſt Conarus, ut etiam comœdum Chareten, ſervum licet longævum, cum pueris poeſi ſtudere coegerit, quo de imperio ſenex conqueritur; male igitur titulo ὑπὸ παιζόντων breve hoc carmen adjectum legimus. Verum Regia elegantiſſima pictura longe nos ab argumento diſtraxit.

VI. Age ſinamus quinas haſce puellas ludere, atque ad cælandi artem, quæ picturæ germaniſſima eſt, redeamus. Tot exemplis poculorum, atque aliarum rerum, quæ ex variis metallis ſecundum atramentarii regii opificium compacta contraxi, adde vaſa, quæ Græci γραμματικά, & Latini *litterata* vocant, eo quod in ea characteres ditioris metalli immiſſi ſunt; horum etiam pauca collegi, ne res longius, & ad tædium trahatur. Ecce tibi Athenæus pag.467. poculum litteratum meminit, quod ſupremi pretii fuiſſe exputo, nam furto ablatum a filio conqueritur pater his elegantibus jambis, quos maculoſiſſimos nunc in Athenæo legere eſt, nec Caſaubonus in nativam puritatem reſtituit, ſaltem metricam rationem accuraſset:

Μισῶ κάκιστον γραμματικὸν ἔκπομα,
Εἶατ' ἀρ ὡς ὅμαιον ἡμὸς υἱός
Ὤιχετ' ἔχων φιάλιον τῷ δε πολλὰ
Γίνεται ὅμοια· quos ita converſos vides:
Peſſimum odi litteratum poculum,
Quandoquidem exiguam phialam ei ſimilem
Cum meus haberet filius, abiit peregre,
Huic ſane multa ſimilia.

Abſtergam quotquot turpes vibices inflixere ſomniculoſi librarii, & jambi προσῳδίᾳ affectiſſima minime laborabunt.

Μισῶ κακίστων γραμμάτων τόδ' ἔκπομα,
Ἀρ' ὡς ὅμοιον ἡμὸς υἱὸς ᾤχετο
Ἔχων φιάλλιον, τῷ πολλὰ γίγνεται
Ὅμοια.
Odi peſſimarum litterarum hoc poculum,
Sane quam ſimilem meus filius abiit
Habens parvam phialam: huic multa fiunt
Similia (pocula.)

Ne hæreas in voce φιάλλιον, pro qua vulgo, & ubique Scriptorum, & lexicorum illinitur φιάλιον cum privo λ, conſtat enim in nominibus ὑπο-

χορ-

κοσμικοῖς id genus elementa ἄφωνα duplicari ad arbitrium, quare habes φύταλις, aut φύταλλις, ita etiam ἀντιπράστυλις, & ἀντιπράστυλλις· cetera in jambis hiſce an probe reſecta ſint, tutemet judica. Verum Samuel Petitus in miſcellan. lib.7. cap.2. vim igenii ſui omnem exſerit, quo hos jambos antiquæ lectioni reddat, ſibique ita plaudit: *Locum hunc male affectum non ſanarunt præſtantiſſimi medici; nos animam agenti aquam ſuffundemus, &, qua poterimus, erigemus;* inde conjectura longiſſime petita adſerit hujus poculi litteras fuiſſe illam vocem mali ominis in Homero famoſam ATH, & ita reſtituit jambos:

> Μιτῶ κάκιστον γραμματικὸν ἔκπωμα αἶ Α-
> Τ', ἆρ' ὡς ὅμοιον ὠμὸς υἱὸς ᾤχετο ἔχων
> Φίαλον, τῷ δὲ πολλὰ γὰρ ὅμοια.

Attamen video Petitum ſævientis medici partes impleviſſe, nam vocem ATH intercidit truncavitque, & jamborum monſtra conformavit. Cur autem in tot poculis triſtem hanc vocem cælarint veteres, quæ hilaritatis ſunt vaſcula, cogitare non ſatis ſum; fortaſſe medelam noſtram æquiorem dicas, & magis tempeſtivam.

Proſtat aliud exemplum litterati vaſculi potorii in animad. Caſauboni in Athenæum pag. 785. in verſibus Alexidis:

> Τὴν ὄψιν εἴπω τῶ ποτηρίυ γέ σῦ
> Πρώτιστον· ἦν γὰρ στρόγγυλον, μικρὸν πάνυ,
> Παλαιόν, ὦτα συντεθλασμένον σφόδρα,
> Ἔχον κύκλῳ τὲ γράμματ' ἄρα γ' ἕνδεκα
> Χρυσᾶ, ΔΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, ὐκ ἄλλου μὲν ὖν
> Τοιῦτον.

Quos non Latine dedit Caſaubonus ob ſententiæ facilitatem, quare ſic accipe:

> *Figuram dicam poculi quidem tui*
> *Primum: erat enim rotundum, parvum, perquam*
> *Antiquum, auritum valde,*
> *Habens circum litteras ſane undecim*
> *Ex auro: JOVIS SERVATORIS, neque aliud certe quidem*
> *Tale.*

Expungas rogo parvam στιγμὴν poſt πάνυ, ut ſit vas πάνυ παλαιόν, *antiquiſſimum*, non μικρὸν πάνυ, *affatim parvum:* τὲ γράμματα melius τὰ γράμματα· ineptum ὐκ ἄλλου, confinge ὐκ ἄλλον, notum eſt, quoties nullius frugi amanuenſes litterulam ν in υ converterunt. Tenes in his jamborum fragmentis duo litterata pocula, unum ἔκπομα, ſive ἔκπωμα κακίστων γραμμάτων, alterum ποτήριον ἔχον γράμματ' ἔνδεκα χρυσᾶ· & docemur ſat communem ac tritam fuiſſe apud veteres artem ſimul compingendi metalla; imo ex Luciano in Lexiphane collegi his litteratis vaſis olim plena fuiſſe repoſitoria: Κυμβία δὲ ἦν, καὶ φιαλίδες, καὶ ποτήρια γραμματικά, ὥστε μεστὸν ἦν τὸ κυλικεῖον. Et ne credas me ab Latialibus Scriptori-

bus abhorrere; Plautus in Rudente act. 2. ſc. 5. meminit urnam litteratam Veneri ſacram, quam ex pretioſa materia fabrefactam dico, cum ſervus verebatur, ne urnæ cauſa in carcerem detruderetur:

Nempe optumo me jure in vinclis enicet
Magiſtratus, ſi quis me hanc habere viderit,
Nam hæc litterata 'ſt, ab ſe cantat, cuja ſiet.

Sane aureæ litteræ VRNA VENERIS in argentum immiſſæ renidebant, & electiſſimi metalli vaſa Diis ſacrabantur. Inviſas etiam Cic. in Ver. 4. 43. accuſantem Verrem, qui *ſignum Apollinis Agrigenti ſuſtulit, in cujus ſemine litterulis minutis argenteis Myronis nomen inſcriptum erat*. Nunc in mentem venit Trebel. Pollionem lib. cap. 14. p. 386. *ſcuta chryſographata* meminiſſe, nim. *aureis litteris inſcripta*, ut ait Caſaubonus. Miror ſane Caryophilum noſtrum, cum omne genus ſcuta in præclaro libro de vet. clypeis retulerit, *chryſographata* oblitum eſſe, fortaſſe ea de re nos doctiores reddidiſſet.

Demum hanc artem in ſanctis etiam libris reperi Cant. Cant. I. II. ne ſemper inter profana verſer, תורי זהב נעשה לך עם נקודות הכסף, quæ non κατὰ λέξιν vertit Hieronymus, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, etenim תור eſt certiſſime *turtur*, nomen ab hujus volatilis voce in unaquaque lingua, etenim etiam Græcis eſt τρυγών· & Hieron. ipſe Levit. 14. 22. ושתי תורים tranſtulit probe *duos turtures*; neſcio quare Buxtorfius in hoc Canticorum loco reponat *ordinem auri*, cum תור ſit vocabulum ob ὀνοματοποιίαν factum. Major ambiguitas eſt in ῥήσει נקודות, & ignoro, cur Hieron. verterit *vermiculatas*; ceteris interpretibus adſentior, qui reddidere *puncta*, veluti ſenes LXX. μετὰ στιγμάτων, quorum ſententiam appoſitiſſimo Heſiodi verſu firmo in ſcut. Herc. v. 166. Στίγματα δ' ὡς ἐπεφάνθο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσι Κυάνεα κατὰ νῶτα, *puncta oculis apparebant ſævorum draconum per cærulea terga*; & Heſiodum σύγχρονον Salomoni fuiſſe omnes norunt, & נקד eſt *inſigere*, & *pungere*; hoc interpretamentum e penu mea ita fulciri poſſe reor; Latini vocem *incus*, *cudis* ab eodem Hebræo fonte derivare viſi ſunt, & ἀμέτως ab הנקד, verbum, quod Grammatici vocant in conjugatione *hiphil*; in *incude* enim metalla metallis verberando configimus; & quidem valide firmatur tenebricoſa Hebrææ vocis notio, cum a Græcis, vel a Latinis clare expreſſa ſit; & miror Voſſium πολύγλωττον, & tot ſummos viros, qui multa ſatis, & docta in ſanctos libros adnotarunt, id etymon non vidiſſe. Igitur ſic reſtituas Cantic. verba: *Turtures ex auro faciemus tibi cum punctis ex argento*. Non curo Græcam, & Chaldæam ἑρμηνείας, & tot interpretum turbas, cum ſatis lucis jam Hebrææ ῥήσει affuſum ſit, cui otium ſuppetit, adeat Druſium, ſed his meliora ne exſpectet. Interim reperimus metallicum atramentarii regii opificium etiam in ſanctis membranis celebratum, cum Salomon pro ſponſæ ornamento turtures aureos argenteis punctis confixos ſe facturum ſpondet.

VII. Ad

VII. Ad alteram hujus cap. partem aggredior, & perveſtigandum mihi eſt apud antiquos Scriptores quo nomine decorabatur id genus cælaturæ, qua de longus ſermo inſtitutus eſt, atque haud ſcio, an te pœnituerit lectitaſſe tot exempla vaſorum e Græcis potiſſimum deprompta, quorum bonam partem ſanavimus. Docet nos Athenæus pag. 488. hanc artem includendi metalla in metallis dictam fuiſſe ἐμπαιστικήν, cujus verba accipe, dum de Neſtoris poculo loquitur, quo de nos ſuperne pag. 379. Οἱ μὲν ὖν λέγυσιν ἔξωθεν δεῖν ἐμπείρεσθαι τὺς χρυσῦς ἥλυς τῷ ἀργυρῷ ἐκπώματι κατὰ τὴν ἐμπαιστικὴν τέχνην, *quidam ajunt extrinſecus oportere aureos clavos affigere argenteo poculo ſecundum artem* ἐμπαιστικήν· & vides in regio atramentario aurum, & argentum in ære *incluſum* & *impactum*, ἐμπαιστὸν, & icunculas illas dicas ἐμπαίσματα, quæ vox Euſtathio familiaris eſt, apud veteres Scriptores eam veſtigare haud ſatis fui. Et Joan. Chryſoſtomus de luxu veſtium ita conqueritur: Τί τὸ ὄφελος εἰπέ μοι τῶν λίθων τῶν τιμίων τύτων, καὶ τῶν χρυσεμπαίστων ἱματίων; homil. 50. in Matth. Verum ut pro re nata hanc artem committendi plura metalla illuſtremus, paucis res agenda eſt, licet multis id argumentum tranſigi poſſet. Diſtinguendum eſt triplex genus ea ſimul conjungendi tum apud Græcos, tum apud Latinos, ſcil. *inaurandi*, & *aurum ferruminandi*, & *auro cingendi*; quod & Græci dicunt χρυσῦσθαι, & χρύσον ἐμπαίεσθαι, & χρυσοκλείζειν· primum quidem, cum vel per bracteas, vel per liquationem argentum, vel æs inaurabatur, ſive decolorabatur: ſecundum, cum aurum in alia metalla peculiari glutine, quo de mox, deſcendebat, & ferruminabatur, uti vides vitem, & imagunculas argenteas in noſtro atramentario: & Hieron. in Jerem. vocat eos artifices *incluſores auri*, *atque gemmarum*: tertium, quando argentum, vel ferrum auro dumtaxat cingebatur atque claudebatur, uti ſervitiorum quorumdam annulos deſcribit Plinius lib. 33. c. 1. *nec non ſervitia jam ferrum auro cingunt*, & tertium hoc opificium ad *emblemata* ſpectare dicendum eſt. Neque noſtri temporis aurifices quid novi in hanc artem intulere, & ſervorum inſtar veteres tantummodo imitati ſunt, & quoad hunc modum triplicem nunc etiam metalla ſimul aptant & componunt.

Quam artis triplicem diſtinctionem cum non curaſſent ſcholiaſtæ, & nuperi veterum Scriptorum interpretes etiam ii, qui opipare, & doctiſſime Petronium in Burmanniana ἐκδόσει exornarunt in voce *ferruminatum* cap. 32. quibuſcum piget Salmaſium ἐξοχώτατον adnumerare, omnia ſuſque deque perturbarunt, & χρυσῦσθαι, ἐμπαίεσθαι, & χρυσοκλείζειν confudere: vide Hiſt. Auguſt. to. 2. p. 386. p. 402. 403. p. 550. ubi inter cetera Caſaubonus, & Salmaſius incertum relinquunt, quid ſibi voluerit Trebell. Pollio, cum adſtruat *ſcuta chryſographata*; quæ idem eſſe reor, ac ſcuta γραμματικά, uti pag. 392. protuli plura pocula γραμματικά ex Athenæo, quem ad Trebellianam vocem illuſtrandam minime adduxiſſe duoviros æternæ lectionis ſatis ſuperque miratus ſum, quare interpretor ſcuta illa immiſſis per artem ἐμπαιστικήν litteris aureis reſplenduiſſe: præſertim cum

Cice-

Digitized by Google

Ciceronem in Ver. 4. fragm. 44. p. 258. adire potuiſſent, qui aperte litterata arma meminit: *In hoc fano* (Enguinorum) *loricas, galeaſque æneas cælatas opere Corinthio, hydriaſque grandes ſimili in genere, atque eadem arte perfectas, ille idem P. Scipio, vir omnibus rebus præcellentiſſimus poſuerat, & ſuum NOMEN INSCRIPSERAT*. Et haud ſcio, quo fato etiam Voſſ. in etymol. emblemata cum arte ἐμπαιστικῇ confundit; ita enim edicit: ἔμβλημα, *opus erat artis* ἐμπαιστικῆς. Verum nemo tam longe a notione vocis *emblema* diſcedit, quam Franc. Junius, vir ſummi laboris in immortali opere de Pict. vet. pag. 146. qui in animum induxit emblema in pavimentis, & vaſis eſſe argumentum operis, ſive ἐπίνοιαν, ὑπόθεσιν, ἱστορίαν, ita enim inquit, *In pavimento lithoſtroto, & vaſis* (argumentum) *appellatur emblema*. Demum Blaſius Caryophilus in libro de veterum clypeis apprime docto pag. 16. &c. 129. &c. miſcet etiam triplex hoc artificium; imo vocem *emblema* ne meminit quidem: quod de erudito Neapolitano conqueri haud cordi eſt. Multos ſane collegi & Græcos, & Latiales veterum Scriptorum locos, quibus hujus triplicis artis metallicæ notio firmetur, ſed tum legentis patientia abuterer, tum longius ſpatiarer, nec calamum, atque atramentum temperatum adhiberem, ſi omnes hic adſcriberem.

Id dumtaxat animadvertam emblematum opus præ duobus ceteris fuiſſe magis celebratum, atque honeſtius; præſertim cum ſcutum Achillis Homerus Il. 18. atque Heſiodus ſcutum Herc. hac arte conficta canant; etenim ille conſtanti voce τίθεσθαι, *apponere*, utitur, quæ ἐμβλητικοῦ opificii propria eſt, quare ubique legas, Ἥφαιστος θῆκε· hic non longe ab Homero abſimilis imagines, ſeu cælaturas aſſerit συνέχειν σάκος, *circumamplecti clypeum* v. 315. quod hujus artis etiam ſollemne vocabulum eſt. Addas ſcutum Æneæ, quod ex toto carminum contextu emblematibus compactum cernes. Hanc Græcanicam vocem, æque ac erat ars ipſa, celebratiſſimam reddidit Tiberius, qui pro peregrina vernam a grammaticis expoſtulavit, vide interpretes in Suet. 71. & Salmaſium Hiſt. Aug. p. 574. tom. 2. Inter cælandi tres artes ἐμβλητικὴν fuiſſe principem, & uſu magis receptam Ciceronem do ſponſorem in Verr. 4. frag. 24. *Et ne forte hominem exiſtimetis hanc tantam vim emblematum ſine cauſa coacervare voluiſſe, videte, quanti vos, quanti exiſtimationem populi Rom. quanti leges, & judicia, quanti teſtes Siculos negotiatores fecerit. Poſteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquiſſet, inſtituit officinam Syracuſis in regia maximam palam, artifices omnes, cælatores, ac vaſcularios convocari jubet, & ipſe ſuos complures habebat: eo conducit magnam hominum multitudinem; menſes octo continuos opus his non defuit, cum vas nullum fieret, niſi aureum; tum illa ex patellis, & thuribulis, quæ evellerat, ita ſcite in aureis poculis illigabat, ita apte in ſcyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata eſſe diceres; ipſe tamen prætor, qui*

ſua

Digitized by Google

ſua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuiſſe , in hac officina majorem partem diei cum tunica pulla ſedere ſolebat , & pallio. Ex quibus ſummi oratoris verbis opus ἐμβλητικὸν præ oculis habes potius, quam legis; & vides quanti ſimul pretii fuerit, & famæ; firmatque Tullius ſententiam noſtram, qua ſuperne hanc artem definivimus, præſertim cum paucis ante verſibus emblemata *cruſtas* vocitaverit: *Cybiratæ fratres vocantur: pauca improbant, quæ probarant, iis cruſtæ, aut emblemata detrahuntur: ſic Haluntini, excuſſis deliciis, cum argento puro domum reverterunt;* nam cruſtas aureas ab argenteis vaſis Verres detraxerat.

VIII. His animadverſis, non parva lux oboritur Ulpiano l.3. D.de trit.vin. vel ol. leg. *Et Celſus inquit, vino legato, etiamſi non ſit legatum cum vaſis, vaſa quoque legata videri; non quia pars ſunt vini vaſa, quemadmodum emblemata argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculi; ſed quia credibile eſt mentem teſtantis eam eſſe, &c.* affectiſſimis hujus legis verbis medicinam facere cum tentaſſet cl. Salmaſius Hiſt. Aug. to. 2. p. *695*. hiantius vulnus inflixit, itaque refecit: *Non quia pars ſunt vini vaſa, quemadmodum argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculorum cubiculi*, idque appellat hujus legis *germanam lectionem*, ſibique plaudit; mihi vero hæc Salmaſiana κατόρθωσις ænigmati ſimilis videtur, quod judicent prudentiores. Ipſe reor vulnus latere in ſola vocula *forte*, quam ſi parum confingas, ita ut *cortex* evadat, lex omnis in veterem, germanamque ſcriptionem, niſi ſi egregie oberrem, dubio procul reſtituetur. Itaque mens juriſconſulti eſt, *eſſe vas partem vini, quemadmodum emblemata, quæ ſunt ſcyphorum, vel ſpeculi cortex*, ſive *cruſta;* & quidem Cicero paullo ſuperne laudatus emblemata vocat *cruſtas*, quorum maximam vim Verres abſtulerat: quin autem *cruſta* idem ſit, ac *cortex*, ne ambigas, nam Celſus lib.5. cap.9. & 10. appellat *cruſtam* illum *corticem*, quo vulnus, vel ulcus obducitur, cum ſolidatur. Præterea, ut nihil addubites *corticem* idem eſſe, ac Ciceronianam *cruſtam*, ſuccurrit mihi locus Lucretii lib.4. v. *933*. *Prætereaque fere res omnes aut corio ſunt, Aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tectæ:* loquitur poeta de corporum incruſtatione; & adverte quoſdam Lucretianos interpretes aliter legere, *aut cruſta, aut conchis, &c.* hinc clare noſcimus ejuſdem notionis eſſe ambas ῥήσεις *cruſtam* & *corticem*. Memores fuerunt juriſconſulti, qui ſub ſequentib. impp. vixerant, Tiberii juſſionis, ut pro voce peregrina *emblema* Latialis vox uſurparetur; quare apposite Celſus dixit *corticem*, & Cicero *cruſtam;* & miror hanc ῥῆσιν Tullianam, & *artifex cruſtarius*, & *tabernæ cruſtariæ*, vide lexica, non advertiſſe Tiberium, qui per ambitum verborum *emblema* Latine enunciandum juſſerat; & Scaligerum in Manil. v. 503. & Fr. Junium de pict. vet. pag.147. cum *cruſtam* non vidiſſent, appoſuiſſe *inſertam* ex verſu Publii Syri, *Frugalitas inſerta eſt rumoris boni;* ſed mihi non impoſuit tantorum virorum auctoritas, ut crederem in Publii verſu *inſertam* eſſe *emblema*, imo longe quid alienum, præſertim cum varient membranæ, &

pro

Digitized by Google

pro *inſerta* legas *incerta:* vide Salmaſium in Hiſt.Aug. tom. 2. pag.695. &c. ac Voſſ. in etym. voce *emblema;* & quis non ægre ferat magnum Salmaſium, qui æternam de *emblemate* adnotationem intexuit, nil meminiſſe Ciceronianam *cruſtam?* de eadem oblivionis noxa incuſes Pitiſcum, & Burmannum in comment. in Suet. His addas ἐξοχότατον Reimarum in ſelectiſſimis adnot. in Dionem p.860. Hic mihi conquerendum eſt, quotquot de *emblemate* commentati ſunt, etiam jureconſulti, ad præclarum Dionis locum, qui longe præ Suetonio luculentius Tiberii vocem *emblema* interdicentis juſſionem deſcribit, minime provocaſſe, neque ipſum Salmaſium, quem pauca latuere. Quæ Paulli lib. 3. *6.* ſentent. §.*89.* allevere interpretes, ne evolvas, nam ex Salmaſio excerpta ſunt, miſcentque *emblemata* cum operibus ἐμπαιστικοῖς· idipſum dicas de juris lexicographis.

Itaque hanc legem nunc primum claritati & decori ſuo redditam dicas: *Vino legato, etiamſi non ſit legatum cum vaſis, vaſa quoque legata videri; non quia partes vini vaſa, quemadmodum emblemata argenti ſcyphorum cortex* (ſunt), *vel ſpeculi, ſed quia, &c.* librarius ſiquidem obſcuram ſibi vocem *cortex* in notiorem *forte* transfudit: quam ſciebat ſe vice multiplici inveniſſe in juriſconſultis, qui peculiari notione utuntur, nimirum pro *exempli gratia*, vide Briſſon. & Calvin. in voce *forte*. Specula fuiſſe ornata argenteis corticibus, ſive cruſtis notum eſt, cum olim erant metallica. Neque emendationi Salmaſianæ ſuffragatur ſynopſis Baſilicῶν lib. XLV. cujus ope legem confinxit vir ſummus: Οἴνου λεγατευομένου, καὶ οἱ κέραμοι περιέχονται, οὐχ ὡς μέν τοι μέρος ὄντες τοῦ οἴνου, ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρέων σκευῶν, καὶ τὰ σπέκλα τοῦ οἴκου, ubi clare leges emblemata eſſe argenteorum vaſorum partes, & ſpecula partes cubiculi; nam auctor Baſilicῶν cum verba legis obſcura ſibi, atque intellectu haud prona deprehendiſſet, Græce vertit non quod Celſus reſponderat, ſed quidquid ipſe mente concoxerat; imo id quod contra mentem Celſi eſt Græculus hic interpres transfudit; non enim jureconſultus tribuit ſcyphis argentum, ſed emblematibus, quod minime a Salmaſio animadverſum eſt; imo hunc Græculum, cum τὸ *forte* Græce non dederit, quiſque quantumvis pertinax mecum conjectaverit ad vocem inſolitam, & veluti monſtroſiſſimam *cortex* obſtupuiſſe, (quam opportuniorem Ulpianus illeverat,) & contra Latinam fidem ſilentio preſſiſſe; quod ſane non feciſſet, ſi tritam illam *forte* reperiſſet; quæ Scriptoris Baſilicῶν malignitas non minimi momenti eſt, ut credam revera ῥῆσιν *cortex* in Latiali lege adhibitam. Præterea ſpecula clare negat jureconſultus eſſe partes domus, ſed dumtaxat ornamenta, ſicuti pictas tabulas, &c. vide omnem leg. 11. D. de inſtr. vel inſtrum. legat. ubi etiam negat ſpecularia, & vela deberi, inſtrumento domus legato, licet frigoris cauſa, vel umbræ in domo ſint; quare oſcitanter in Baſilicis adſtruitur σπέκλα eſſe μέρος οἴκου. Itaque valde me piguit etiam Salmaſium libere laudato loco Hiſt. Aug. releviſſe: *ſpecula ſic pars erant domus, ut emblemata ſcyphorum argenteorum;*

rum;

rum; indignum tanto viro eſt aſſerere ſpecula eodem pacto ad domum pertinere, atque ad ſcyphos cruſtas, quæ iiſdem vaſis ita affictæ ſunt, ut ſine eorum detrimento evelli non poſſint, cum veræ partes ſint; contra vero ſpecula, quæ parietibus ornamento erant, & appendebantur, alioque facile deducebantur ſine ulla cubiculorum noxa, horum partes fuiſſe nullus dixerit. Hic te aliquantulum reſiſtere jubeo, ut noſcites vicem hujus voculæ *forte* appoſitæ, vel abraſæ exſcribentium genio; ſi enim auctor ſynopſεως eam haud adjecit, Salmaſius contra in laudata leg. 11. de ſuo adſcripſit, vid. hiſt. Aug. to. 2. p. 695. col. 1. quare tanto viro in recitandis auctorum teſtimoniis fidem ſæpe deſideramus.

Scio verba Vopiſci de Firmo p. 694. Salmaſio æternæ memoriæ viro impoſuiſſe, ut ſpecula partes domus fuiſſe crederet: *De hujus* (Firmi) *divitiis multa dicuntur; nam & vitreis quadraturis bitumine, aliiſque medicamentis inſertis domum induxiſſe perhibetur*. Et quidem Firmianæ vitreæ quadraturæ non ex genere ſpeculorum erant, ſed ad luxum & ornatum domus, qui pro cruſtis marmoreis, uti tunc mos vigebat, parietibus vitreas adglutinavit; ſpecula vero & orbiculata erant, & metallica, nec unquam legas ex vitro, neque tectorio ullis medicamentis bituminoſis inſerebantur, ſed ſuſpendebantur, ac prominebant; vadem do Vitruvium lib. 7. cap. 3. *Ipſaque tectoria abacorum, & ſpeculorum diviſionibus inter ſe prominentes habent expreſſiones*. Porro id genus vitreas quadraturas muris efferruminatas haberi poſſe pro partibus domus nullus nego, ſicuti ſunt emblemata pars ſcyphorum, nam illæ quidem maximo ædificii, iſthæc vaſorum detrimento divellerentur; non autem ſpecula, vel pictas tabulas dicas eſſe partes domus, quæ ſine ulla prorſus cubiculi labe amoverentur. Sed ſatis Celſi reſponſum excuſſum a me eſt, legitimis harum rerum arbitris admodum ſecurus cauſam committo, qui rectene, an ſecus id accipiant, Θεῶν ἐν γόνασιν. In iſthæc autem παροράματα magnum Salmaſium offendiſſe dicas, eo quod artem ἐμπαιστικήν ab ἐμβλητικῇ minime diſcrevit, & utramque confudit. Demum monitum te volo, ſi quis τὸ *forte* ſervandum eſſe obſtrepet, non *cortex* inſuendum, me lubentem dare, cum haud negem unis, & fortaſſe æquis conjectationibus indulſiſſe.

IX. Verum ad artem ἐμβλητικήν, & ἐμπαιστικήν redeundum. Habes ſane illam celebratiſſimam apud veteres fuiſſe & ex Athenæo, & ex Ciceronis loco laudatiſſimo, aliiſque, quos brevitatis ergo miſſos feci; quare haud immerito illam in cælaturis *principem* appellandam edico: ſecundas dabo arti ἐμπαιστικῇ, qua regium atramentarium compactum vides, ſcilicet, quando aurum, aut argentum quibuſvis inferioris notæ metallis glutine, vel medicamentis efferruminabatur, neque imagunculæ eminebant, ſed cum ipſius vaſis facie æquabantur, parumque in metallum deſcendebant. Hujus artis ante noſtram tempeſtatem neque elegantius monumentum, neque quid cognitionis, ni præceps ſim, inerat, quod nunc primum nacti ſumus, cum lucem vidit hoc πεμβόητον vaſculum, quod

Digitized by Google

etiam hac ratione longe commendandum; atque ex hujus ἐμπαιστικοῦ opificii ignoratione factum eſt, ut viri vel maximi nominis cum ἐμβλητικῷ, ut ſupra dictum eſt, confuderint, & tenebricoſas interpretationes tot Græcis, Latiniſque Scriptoribus appinxerint. Hinc facile colliges, præter bene multa exempla hujus artificii ab Athenæo ſuperne exprompta, eodem ἐμπαιστικῷ opere *domum* Firmi minuſculi Tyranni, ut loquitur Vopiſcus, cap.3. p. *693*. *inſtructam eſſe vitreis quadraturis bitumine* parieti *inductis* atque inſertis, quæ nec prominebant, & ferreo glutine tectoriis inhærebant.

Tertiæ partes tribuendæ ſunt arti τοῦ χρυσοῦσθαι, *inaurandi*, quæ adeo trita erat & ſollemnis, ut etiam boum cornua auro ſuperinducta ubique Scriptorum legas; mihi ſat eſt Homerus Od. γ. v.*436*. Νέστωρ χρυσὸν ἔδωχ', ὁ δ' ἔπειτα χαλκεὺς βοὸς κέρασιν περίχευεν· & pleni ſunt poetarum, ac hiſtoricorum libri iis vocibus, *auro perfuſa* patina, &c. *auro jugare*, *velare*, *auro perfundere*, *aureo colore ſuperinducere*, *illinere*, *&c.* imo id genus artificii adeo vulgare evaſerat Aureliani tempore, ut Vopiſcus cap. 45. pag. 547. edicto illud vetaſſe imperatorem teſtatum reliquerit: *Habuit in animo* (Aurelianus), *ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura, quam argenti, ſed aurum per varios bractearum, filorum, & liquationum uſus perire, argentum autem in ſuo uſu manere.*

Ne autem hanc inaurandi artem præ duabus minoris ducas, prolatis paucis exemplis ex bene multis, quæ collegeram, honeſtabo. Ab Homero vatum Jove ſemper incipiendum eſt, & quanti æſtimatum ſit hoc opificium, ex ternis divinis ejus carminibus advertis, Od. ζ. v.232.

Ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
Ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν, καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει.

Alcibiades geſtabat in bello ἀσπίδα διάχρυσον, quod opportune vertunt *ſcutum deauratum*, Plutar. in Alcib. pag. *190*. Pariſ. *1624*. etenim ſi ex auro ſolido fuiſſet, & longe ponderoſum, & ictibus hoſtilibus haud tam ſecurum, utpote molle metallum; præterea dixiſſet ὁλόχρυσον, ut moris eſt Plutarchi. Contra de arte ἐμπαιστικῇ intelligenda ejuſdem verba in vita Cæſaris pag. 721. Πολλοὺς θυρεοὺς μὲν ἀργύρῳ, καὶ χρυσῷ κεκοσμένους· obſcurum tamen, cui arti tribuas illa Juſtini lib.12.cap.7. de Alexandro ajentis: *Arma militum argento induxit, exercitumque ſuum ab argenteis clypeis argyraſpidas appellavit.* Si autem ſanequam multa de eodem artificio veterum Scriptorum dicta poſcas, ea collegit Burmannus in Ovid. de Arte lib.3. v.232. vide etiam Hiſt. Aug. tom.2. p.203. ipſe enim, quæ mihi domi naſcuntur, ſolummodo profero. Vellem, ut oblecteris longa lectione magnificentiſſimæ poſt homines natos pompæ Ptolemæi, quam γραφικωτάτως, & latiſſime lib.5. pag.195. & ſeqq. Athenæus deſcribit, ubi in innumerabilia vaſa ad τὸ χρυσοῦσθαι, atque ἀργυροῦσθαι pertinent, offendes; meque non parvo onere levabis; & nunc memini clariſſimum Haver-

vercampium in diſſertat. de Alex. M. numiſm. pag. 15. turbas fruſtra ciere, quid valeat in Athenæi loco laud. κέρας χρυσοῦν, & κέρας ὁλόχρυσον, ſibique plaudit contra Dalechampium; verum piget me non tanti negotii lites componere, cum ex iis, quæ dicta ſunt, facile vim eorum vocabulorum quiſque noſcitet.

Præterea in animi mentem revoces id genus artifices ſalutatos *bractearios*, & Græce πεταλουργούς· vide hanc vocem in Briſſon. & Calvin. qui ad juris σώματα provocant, & Voſſ. etym. In Grutero habes *bracteariorum inauratorum collegium* p. 1074. 12. Julius Firmicus appellat *bracteatores* lib. 8. cap. 26. pag. 254. Baſileæ 1533. Cur vocitentur etiam *barbaricarii*, conſulas laudata juris lexica. Porro Plinius nos docet, quo pacto bracteis auri metalla inducerentur lib. 34. H. N. c. 8. *Æs inaurari argento vivo, aut certe hydrargyro, quod iterum exhalatur igni, ut poſſit domitum inductas accipere bracteas;* quod in more nunc etiam eſt. Olim hæ bracteæ non ad ultimam exilitatem tundebantur, ac parabantur; quare teſtatum reliquit Plinius lib. 33. cap. 8. *Auri unciæ in ſeptingenas, vel quinquagenas bracteas quaternum utroque digitorum ſpargantur;* jure igitur furunculi a ſtatuis bracteolas haſce eradebant, de quibus longe conqueritur Juvenalis ſat. 13. v. 150.

. . . . Minor exſtat ſacrilegus, qui
Radit inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.

Nec obliviſcendus Martialis in facetiſſimo epigrammate 33. v. 7. lib. 8.

An magis aſtuti deraſa eſt ungue miniſtri
Bractea, de fulcro (quod reor eſſe) tuo?

Neque credas cum quibuſdam interpretibus *bracteas* a lectis Caligulæ detractas a ſervo, quem ſtatim enecandum juſſerat hic princeps, ſed *laminam argenteam*, uti vocat Suetonius cap. 32. non enim dicit *eraſam*, ſed *detractam*. Artem autem inaurandi ubique vetuſtiſſimarum gentium floruiſſe teneo ab Moſe, atque Homero: ignoro ſiquidem, cur illam in Aſia antiquiſſimis temporibus adſtruat viguiſſe Caryophilus in libr. de vet. clyp. recitatque Hom. Odyſſ. 3. licet in recitandis verſibus oberret, ſunt enim 426. & 437. in qua quidem ἀβλεψίᾳ ſæpiſſime ſontem reperi; & miror doctiſſimum virum non vidiſſe Homerum in Od. 3. illud inaurandi artificium non Aſianis, ſed Græcis tribuere. Demum haud culpa carerem, niſi propalam facerem Regem in Herculaneo ſtatuam marmoream Minervæ reperiſſe, quæ quidem tum habitu, tum ingenio artificis, quicunque is fuerit, vera granditate animum ſpectatoris tangit, eumque ſtatim erigit, magniſque cogitationibus mentem implet; utinam ab cuſtode tantarum opum exprimere hujus ſigni exemplar quiviſſem, quo hic apponerem; ſcias autem hanc, cui ineſt vivax gratia, ſtatuam extractam fuiſſe in quibuſdam partibus auro bracteatam, ſed vecordes quidam marmoris candorem potius curantes ſanctas illas auri reliquias era-

ferunt, ab eaque gratiæ non parum deceſſit. Atque hæc ſatis, & fortaſſe præter tædii noxam de triplici committendi metalla opificio.

x. Optabam autem, ut, ſicuti ab Græcorum, ac Latialium Scriptorum ope tum hanc triplicem artem diſtinxeram, tum vocabula arripueram, ita ab ſanctis Hebræorum membranis idipſum conſequi quiviſſem; verum ob linguæ paupertatem, veterum interpretum inconſtantiam, & doctiſſimorum virorum, qui in ſancta volumina æternos commentarios intexuere, ea de re taciturnitatem, animum prorſus deſpondi; & quanquam, ſi otio longiori fruerer, fortaſſe ternum hoc argentariorum, atque aurificum opificium ab ſanctis libris etiam extunderem, tamen nunc id curæ præ me ἑβραϊστὶ doctioribus, & laboris tolerantioribus, quique magis lentum negotium ſunt, relinquam. Interea id ſcio viros *ἁγιογράφους* fere ſemper peculiari, & *ἰδίῳ* hujus artis verbo צפה uſos lego, nimirum, cum eiſdem ſermo ſit de metallis ſupra metalla imponendis, quod *ῥῆμα* Hebræum haud facile dicas, quando ad artem *τοῦ χρυσοῦσθαι*, vel ad *ἐμπαιστικὴν*, vel ad *ἐμβλητικὴν*, ut ſuperne probe diſtinximus, pertineat. Neque quid certi ab LXX. ſenibus exſpectes, hi etenim neſcio qua mentis levitate ac mutabilitate privum hujus artificii verbum צפה tam varium ac diſcrepans Græce reddidere, ſcil. *καταχρυσοῦν* in omni fere cap. 25. & 26. & 36. & 37. Exodi, ubi ſermo eſt de arca tabernaculi: mox cap. 27. 2. & 38. 2. legere eſt *καλύπτειν*· ſæpe etiam verſum eſt *συνέχειν*, *περιέχειν*, *περιπταλοῦν*, *χρυσοῦσθαι*, *πεταλοῦν*, quæ quina *ῥήματα* in uno cap. 6. Reg. 3. invenies, ubi templi fabrica, & partes deſcribuntur: præterea 2. Paralip. 3. 6. *κοσμεῖν* transfuderunt: ſi de argento ſermo inſtituatur, idem verbum צפה redditum eſt *περιαργυροῦν*, vid. Iſa. 30. 22. Contra vero Latialis interpres in hujus vocis Hebrææ notione nihil hæſit, ſed ab ea brevi ſe expedivit, dum ubique repoſuit *texit* & *cooperuit*, de triplici committendi metalla metallis modo & artificio minime ſollicitus; quare factum eſt, ut *ῥῆμα* צפה magis ac magis obnubilum, & penitus tenebris nobis obſitum ſit.

Nollem, ut mihi moleſtus ſis, quod præter τὸ צפה reperies 1. Paralip. 29. 4. verbum טוח, quod *deaurare* vertit Hieronymus: *Tria millia talenta auri de auro Ophir, & tria millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos* (לטוח) *parietes*; reponam enim LXX. interpretes reddidiſſe *ἐξαλειφθῆναι*, ideſt *ad oblinendum*; ſed longe opportunius vertiſſent *κονισθῆναι*, *ad incruſtandum*, nam ea eſt poteſtas verbi טוח, atque etiam de marmoribus dici poteſt, & de quavis alia materia; quare Latinus interpres de ſuo repoſuit *ad deaurandos*, cum Hebræus chronologus *γενικῶς* ſe habuerit, nimirum, *ad incruſtandos parietes*. Miror etiam magis in pſalm. 44. 10. transſuſum eſſe *in veſtitu deaurato*, cum longe aliter pſalmographus ſcripſerit, nempe בכתם אופיר *in veſtitu ex Ophir*, & Græce eſt *διαχρύσῳ*. Non mihi obliviſcendum eſt in novo fœdere bis te habere *ῥῆμα inaurare*, Apocal. 17. 4. *γυνὴ κεχρυσωμένη χρυσῷ*· & ibid. 18. 16. *πόλις κεχρυσωμένη χρυσῷ*· quid autem ſit *mulier, & urbs deaurata*

Digitized by Google

rata auro, ut verſum eſt, juxta cum ignariſſimis ignoro, niſi dicas Hebræam ἔμφατιν eſſe, ac peræque valere, ac *mulier*, atque *urbs ditiſſima auro*, ac *ſplendentiſſima*. Concludam igitur, cum Hebræi privam vocem צפה pro triplici hoc metallico artificio adhibuerint, doctiſſimo cuique haud pronum fore unumquodque ſcrutari, ac ſecernere, uti in Græcis, atque in Latinis a me factum vides: quare ſubiraſcor LXX. viris, qui Hebræam dictionem, prout lubuit, tantaque varietate reddidere: nec Hieronymo acquieſcendum, qui avare nimis unica voce uſus eſt ubique, ſcil. *texit*, *cooperuit*. Hæc διὰ βραχέων ab divinis membranis de ſimul componendis metallis colligere potis fui; licet noverim gentem ſanctam triplicem hanc artem, qua de diſputamus, probe calluiſſe, attamen eam in ſuas partes diſpeſcere, & vocabula ſecernere fruſtra mihi adlaboratum eſt; fortaſſe jactis his veluti ſeminibus, quis me ſollicitior ac ſollertior ea in re de Hebræis egregie mereatur; atque indoleſcendum eſt a tot recentioribus τοῖς πάνυ interpretibus id oneris minime ſuſceptum, a queis mihi plurimum opis ſpoponderam.

XI. Pauca admodum addenda ſuperſunt de glutine, quo artifices utebantur in hac τέχνῃ ἐμπαιστικῇ· miratus enim ſum diu, quo pacto lamellæ illæ argenteæ vaſculo noſtro ſolummodo illigatæ poſt tot ſæculorum vertiginem glebarum madori, ac intemperiei firmæ obſtiterint, enixeque adhuc adhæreſcant, ſi minuta pauca filamenta excipias, quæ ob exilitatem ab cimelio deturbatas vides. Et Plinius, qui artium antiquarum felicitatem, quoad partem bonam ſervavit, argentariorum, & aurificum ἐμπαιστικὸν gluten graphice deſcribit, modumque etiam, quo apparabatur, nos docet to.2. p.622. edit. Amſtel. *Chryſocollam & aurifices ſibi vindicant adglutinando auro . . . . . temperatur autem ea Cypria ærugine, & pueri imbubis urina, addito nitro, teritur Cyprio ære in Cypriis mortariis, ſanternam vocant: ſignumque eſt, ſi, addita ſanterna, niteſcit. E diverſo æroſum contrahit ſe, hebetaturque, & difficulter ferruminatur. Ad id, glutinum fit auro, & ſeptima parte argenti ad ſupradicta additis, unaque contritis*. Noſti jam ex Plinio longe tenacius fuiſſe *glutinum*, quippe auri, argentique partibus firmabatur, quibus metallis *ſanterna* deſtituebatur, quæ minoris conſtabat, & annorum edacitati magis obnoxia; quare ne dubites, quin glutino, non vero ſanterna icunculæ ſint atramentario noſtro ferruminatæ. Plinii interpretes *ſanternam* a *glutino* minime diſtinxere, & Dioſcoridis verba, quæ ad Plinianum locum illuſtrandum exſcribunt, ad primum τοῦ κολλᾶσθαι modum ſolummodo pertinent, Dioſc. lib. 5. cap. 93. Ἔστι δὲ τὶς καὶ ὑπὸ τῶν χρυσοχόων ἰὸς διὰ θυΐας, καὶ δοίδικος Κυπρίου χαλκοῦ, ἐπ δὲ οὔρου παιδίου, ᾧ τὸ χρύσιον κολλῶσιν. Itaque mens Plinii eſt aurifices præparare ſibi duplex genus chryſocollæ, *ſanternam* unum, *glutinum* alterum genus; primum minoris impendii, ſecundum auri, atque argenti partem complectitur, hinc pretioſius erat, ac tenacius. Ex Plinio duplex glutinum facile noſces, ſi poſt *Ad id*, (quod

eſt

Digitized by Google

eſt *præterea*,) ϛιγμὴν apponas, alias ἀσύντακτος eſſet locus, ſi legas, *Ad id glutinum fit, auro & ſeptima parte argenti ad ſupradicta additis, unaque contritis*. Et quis non miretur Arduinum Plinianæ doctrinæ promumcondum id non advertiſſe? & *chryſocollam* eſſe nomen γενικόν, quod & *ſanternam*, & *glutinum* concludit?

Veſtigandum nunc mihi eſt, ut nihil poſthabeatur, ad augendum pretium & decus cimelii, quod quanquam nigerrimi coloris receptaculum ſit, omni luce, qua dignum eſt, non careat, quinam hujus chryſocollæ auctor fuerit; & gratiæ habendæ Herodoto, qui nomen a longiſſimi temporis injuria ſervavit; is quidam fuit olympiade 25. Glaucus Samius, vel, ut aliis placet, Chius. Ὅς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε. Heſychius idem adſtruit: Γλαύκου τέχνη· παροιμία ἐπὶ τῶν ῥαδίως κατεργαζομένων. Διονυσόδωρος δὲ τὴν τοῦ σιδήρου κόλλησιν. Γλαῦκος γὰρ Χῖος σιδήρου κόλλησιν εὗρεν. Idem iiſdem refert verbis Suidas in Γλαῦξ ἵπτατει. De proverbio, Γλαύκου τέχνη, vide, quod in Euſeb. adnotavit Scaliger. Optaſſem, quo optima docerer, ut Caſaubonus in Athenæum, qui hujus Glauci meminit pag. 210. de hac παροιμίᾳ e penu ſua ditiſſima quædam exprompſiſſet, verum ne verbum quidem; itaque tanti pretii fuit hæc κολλήσεως inventio, ut in honorem proverbium abierit. Ne, rogo, mihi moleſtus ſis Glaucum σιδηροκόλλησιν inveniſſe, non vero gluten nobiliorum metallorum; nam tibi reponam, laudari artifices ex difficilioris artis opificio, uti eſt ferrum ferro adglutinare, longe vero proclivius eſt aurum argento adligare, quam æri, vel ferramentis ipſis; præterea diſces Petronium cap.32. aurum ferro commiſſum appellaſſe ferruminatum; *Habebat . . . annulum . . . . totum aureum, ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum*; ita ut κόλλησις ſive ex ſanterna, ſive ex glutino Pliniano fuerit, de quocumque metallo diceretur, & apud veteres audiret γενικῶς *ferruminatio*: imo, ſi quamlibet rem conjungas, hac voce uti poteris: notum enim eſt illud l.27. D. de acquir. rer. dom. *Si tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaveris, alienove argento ferruminaveris, non dubitatur ſcyphum tuum eſſe*. Plinius lib.36. c.28. *Vitrum ſulphuri incoctum ferruminatur in lapides*. Et Plautus in Mil. 4. 8. v. 25. comica libertate inquit: *Labra labellis ferruminant, acre malum*. Demum Mazochius noſter ſanctioris Latinitatis myſtes, cum inſulæ ob limum ab proximis rupibus decidentem terræ continenti conſolidantur, *ferruminationis* vocabulo utitur in ſchediaſm. de Corcyræ nominibus pag. XI. col.1.

Antequam autem ab arte ἐμπαιστικῇ, ejuſque glutine diſcedam, adnotandum eſt Latinos hujus opificii dictione carere, niſi adoptes *ferruminatio*, quæ paullo γενικωτέρα eſt, & glutinum, & artem ipſam complectitur: neque cum Tiberio etiam indoleſcas Suet. c.71. quod pleræque voces a Græcis extorquendæ ſint; ſicuti fas eſt dicere artem *emblematum*, ita etiam *empæſticam*, quo rem ipſam ad vivum exprimas; & nunc temporis hac ῥήσει indigemus, cum hoc artificium ubique gentium egregie vi-

vigeat, neque minutum quodvis vaſculum, vel thecula elaboretur, in quam non videas opere *empæſtico* argentum, vel potius aurum immiſſum; imprimis in noſtra hac regia Urbe, ubi ad miraculum quodcumque genus vaſa ex teſtudineo cortice fabrefiunt, in quorum omnem ſuperficiem vel concharum exuviæ, vel pretioſiora metalla in icunculas conformata deſcendunt, & longe gentium comportantur. Hanc vocem Græcanicam ſi noſſet Paullus Jovius non parvi nominis ſcriptor, minime importunam dictionem uſurpaſſet in re, qua de agimus, nim. *ars ſculptoria*, inquit enim lib. 28. *Abduxit Buda Solimanus tria inuſitatæ magnitudinis, operoſique artificii tormenta, cum paſſim ad ornamentum inſignia, & litteræ argento ſculptoria arte æri incluſo eſſent admiranda*, longe κυρίως dixiſſet *argento arte empæſtica æri incluſo*.

Præterea quartum opificium in regio vaſculo admirationi eſt, cujus neque Græce, neque Latine nomenclaturam invenire ſors mihi fuit, ſcilicet, cum lamellæ illæ argenteæ atramentariæ planæ omnino ſint, imaguncularum facies, membra, capilli, muſculi, &c. acutiſſima chalybis acie eraſo argento, quoad minutas lineolas expreſſi ſunt: id opus cælandi ἰδιωτικῶς dicimus, *lavorare a bolino*; ita ut artem, quam antehac infimæ ætatis ingeniorum felix εὕρημα rati ſumus, vetuſtiſſimam ex hujus atramentarii luce deprehendamus, licet ejus nomen ignoremus. Itaque fruſtra ſibi plaudit Abrahamus Boſſe in præfat. p. XII. libelli *de l'arte de graver*, Pariſiis 1745. *Veteres quidem noviſſe cælandi artem in gemmis, in vitris, in metallis, in ligno, &c. ſive imagines ἀναγλυπτικῶς eminerent, ſive ἐγγλυπτικῶς excavarentur; verum cælaturam chalybis acuta acie expreſſam, vel aqua forti æs arrodente ad imagines efformandas paucis ab hinc ſæculis inductam, & ſupparem eſſe typographiæ*; ita Abr. Boſſe, licet Gallico ἰδιώματι. Sed parcendum hujus ſcriptoris libertati, non enim icunculas vaſculi noſtri viderat, ſane ſi in ejus manus deveniſſent, hunc ex animi mente errorem depoſuiſſet.

Reſtat adhuc obſcurum, an veteres æra ita inciſa atramento illeverint, indeque in membranis, papyriſque imagines, uti moris nunc eſt, expreſſerint; qua de re videtur addubitare Paſſerius in prolegom. Lucern. fictil. adſerens ſe obſervaſſe in ſubſcriptionibus lucernarum litterulas inverſas, & a linea turbatas, &c. deinde ait: *Quæ cum ita ſint, mirari non deſino veteres tam proxime typographicam artem attigiſſe, & illam adeo tenuiſſe, ut integros ſenſus ex compactilibus litteris quandoque excuderint, nec tamen ulterius progreſſos, ut gloriam artis, quam primi Romani invenerunt, Germania ſibi vindicaret*. Sed fieri poterit, ut monumentum in lucem extrahatur, noſque certos reddat etiam in hoc opificio veteres valuiſſe, haud credam, quod difficilius erat, eos noſcitaſſe, quod pronum erat, & conſequens, prorſus latuiſſe: plurima enim vero annis volventibus edocti ſumus Græcos, Romanoſque ſciviſſe, quæ majores noſtri hos ignoraſſe edixerunt; neque pauca in lucem nunc primum tracta ſunt,

eo

eo quod ſingulare hoc atramentarium *σκεῦος* e tenebris emerſit. Et quotus quiſque erit, qui numerum initurus eſt rerum, atque artium, quarum cognitio ex Herculanei ruinis ob Regis domini noſtri munificentiam nunc primum illuxit? quot præjudicatas circa veterum pictorum colores, & architecturam, cujus novum genus a Græcanica, & Romana diverſum ſe objecit, opiniones exſuimus? Negatum erat veteres ne parum quidem *proſpectivæ* calluiſſe, ita ut ne nomen quidem antiquum habeamus, at ex Stabiarum, Pompejorum, & Herculanei ruderibus plurimas ad perfectam ejus artis normam picturas extractas ſumma animi voluptate cernimus. Sileo de theatri pæne ſolidi, ejuſque ſcalarum ſtructura ad hanc uſque ætatem ignota, eadem nunc cuique proſtat: mitto menſuras liquorum litteratas, & ſexcenta pondera vel ex ære, vel ex marmore ſuis numeris diſtincta, quibuſcum facillima ratio iniri nunc poſſet cum noſtratibus, & cujus rei cauſa fruſtra diu a ſummis viris laboratum eſt: nec non triremium formam, quæ tandiu docta quæque ingenia torſit, nunc eandem non ex unis picturis fortunatiſſimi conſecuti ſumus. Quid memorem quingentos pæne codices, quorum ope res bene multas docemur, quæ antea prorſus ignorabamus? vide eorundem longiorem deſcriptionem noſtro priori libro adjectam pag.272. &c. quorum codicum repertorum fortuna, ac fama per Europam omnem litteratiſſimos viros ad invidiam excuſſit excitavitque. Annus deficeret, ſi omnes harum everſarum urbium novas gazas mihi in animo eſſet enucleandi, quæ nos doctiores reddidere, mecum ſervo, atque in numerato habeo: atque in vaſa, in picturas, in ſcripta ſaxa, reſque ceteras, quæ jucundiora ſcitu ſunt, & difficiliora auctorum Græcanicorum adjumento longiuſculos commentarios paratos habeo: nec quis me magnum promiſſorem traducat, cum bene multas Herculanenſis theſauri antiquitates huic atramentario operi opportunas me *ἄνευ βασκανίας* divinaſſe, ac *κυρίοις* documentis exornaſſe animadverterit.

Porro Regium Neapolitanum cimeliarchium nunc temporis grandiorem litterariæ reip. utilitatem creat, quam omnia tot Principum, abſit verbis odium, collecta ſimul; quis horum enim millenas picturas quovis prægrandi pretio accuraverit rerum omnium, quas vel natura protulit, vel ars invenerit, hilari varietate ſpectabiles? Id dumtaxat admiramur univerſi, quo pacto vir unus licet indolis erectiſſimæ, & librorum vi florentiſſimus tanto oneri res trium urbium everſarum, innumeras picturarum fabellas, & veterum mores cognitu difficillimos explicandi ſe parem prædicet, neque ſibi ſocios immenſi laboris ab ſapientiſſimo Rege expoſtulet: cum tantæ molis opus Quirinios, Maffejos, Gorios, Paſſerios, Venutos, Mazochios, &c. ea in re editis jam doctiſſimis voluminibus claros, ne extra Italiam excurram, ſimul labori junctos turbaret, & fortaſſis etiam deterreret; verum quo *φρένας ἐκπεπόταμαι*.

CA-

C A P U T V.

Neroniani numiſmatis occaſione oblata ex variis metallis conflati Regii atramentarii inſtar, ingens Græcolatiale Neapolitanum marmor reſtituitur, & illuſtratur; multis poſt Chriſtum natum ſæculis Neapoli Græcanicam linguam, ipſamque Atticam perduraſse, & nunquam hanc urbem coloniæ nomen nactam, ac ſuis ſemper legibus vixiſſe oſtenditur; quædam demum de Gymnaſio, quod peculiare fuiſſe ædificium negatur.


P A R S P R I O R.

De Neronis numiſmate: Neapolitanum marmor Græcolatiare a doctiſſimo Mazochio reſtitutum expenditur.

I. NUMISMATIS *deſcriptio: an ſit ex* contorniatorum *ſerie, inquiritur; venia expoſtulatur, ſi ab atramentaria re longiſſima inducatur παρέκβασις.* II. *Numiſma ab Neapolitanis cuſum eſſe conjecturæ non poſthabendæ, licet epigraphe nummi Latialis ſit.* III. *Mazochii laudes, ejuſque ſupplementum marmoris Neap. per ſuas partes expenditur: ei reſiſtitur, quod titulos, πατὴρ πατρίδος, & ἀρχιερεὺς μέγιστος ſuo loco turbaverit; &* de cenſoris *munere inaudita antehac protulerit.* IV. *Vocem στεφανωθεὶς eſſe marmori importunam luculenter pateſit; fruſtra etiam eſt, quod de* lampadico certamine *excogitavit. Dictio* ΤΕΙΜΗΤΗΣ *cum* ΕΙ *probe ſcalptum.* V. *In verſu ſexto* Veſuvii *nomen prorſus delendum. Rejicitur vox* Βέσβιος *ignota bonæ ætatis Scriptoribus, quæ etiam Galeni auctoritate exploditur, & priſca* Οὐεσούϊος *firmatur.* VI. *Eſſe* Veſuvius *adjectivum nomen dum aſſerit, nil novi docuit. Vox etiam VESVIVS cum privo V inelegantior in lapidibus, & in prorſa oratione; eſt poetarum potius.* VII. *Dictio* concuſſionibus, *quam marmori appoſuit idem vir ſummus, omnino eſt eradenda: qui etiam contra Strabonis mentem* Οὐεσσούϊος *cum bino ſibilo ſcripſit. Turpe mendum ab hoc geographo detergitur,* ἐπιοικούμενος *ſcil. pro* ἐπικυκλώμενος. VIII. *Vera notio vocis* κύκλος *in Xiphilino, &* τὰ ἄκρα *ab librariis in eodem Scriptore corrupta, quæ non vidit Reimarus. Mazochius fruſtra utitur Lucretii verſu de Veſuvio. Etymon hujus montis ab* בו שביב, ubi ignis. IX. *Mazochio intercedit edicenti ſcalptum in marmore interpretamentum Latiare non ſub Tito, ſed ſub Domitiano; ejus ratio ſat tenebricoſa. Neapolitanorum patrocinium, quod quædam Græcanica verba Latine non dederint. Mazochianæ Latinitatis præconium.* X. *Immerito vir ſummus* enormem *ſugillat characterum Latinorum a Græcis diſparitatem, & quod* A *Græcanicum parum diſtet a Latino, quod factum bene a Neapolitano ſcalptore multis oſtenditur.*

I. QUONIAM caput ſuperius præter ſpem longius protractum eſt, ſervavi cimelium variorum metallorum, cujus gratia bene multa,

neſcio quo mentis impetu, de antiquis Neapolitanæ urbis ornamentis, ac ejuſdem reip. majeſtate adſuere abripi paſſus ſum, qua de libertate mox pacem quæram. Porro inter monumenta diverſis metallis illuſtria volventi mihi per otium, namque ægre ab Græcorum veterum libris abducor, perſonas ſcænicas Ficoronii, oblatum eſt numiſma, cujus exemplar adjectum vides:



Apponam ſummæ fidei ſtudio, quam deſcriptionem nobis præſtitit idem ἀρχαιολόγος Ficoronius cap. *6.* Numiſma magni moduli eſt, in cujus antica facie Neronis caput laureatum cernitur: in poſtica idem imp. conſpicitur triumphali curru, quem quaterni equi habitu ipſo, capite arguto, animiſque nobiles vectant. Hujus principis vultus aurea perſona obtegitur, ejuſque brachium lamella argentea veſtitur: corona, & palma ambæ ex auro: chlamys, & zona argenteis, aureiſque laminis lucent. Rotæ currus ex argento, equorum lora conſtant filamentis ex auro ductis, ſicuti etiam eorumdem capita, muſculi, crines ex eodem principe metallo effecti; verum ob exilitatem, & vetuſtatis ævum quibuſdam excuſſis, minuti ſurculi reliqui nunc ſunt. Ex hac autem ὑποτυπώσει quiſque novit, quanta ſimilitudine cum noſtro vaſculo atramentario numiſmatis opificium contendat, cum utrumque aureis, argenteiſque lineolis, laminiſque præfulgeant in æs immiſſis. Ex quo ſingularis numiſmatis cælatura facile quiſque colligeret Neroniana tempeſtate id genus artis in more fuiſſe; quare thecæ Regiæ calamariæ antiquitas commendatur.

Hic mihi aliquantulum reſiſtere neceſſe eſt: equidem nullus ignoro pleroſque omnes mihi obſtrepere id genus numiſmata variis metallis nitentia vulgo dici *contorniata*, ætatemque ignorari, & poſteriora plerumque eſſe iis principibus, quorum imagines, & geſta præſentant. Contra etiam notum eſt, præclaros in nummaria re viros malle hæc ſub iiſdem principibus, quorum vides vultus, cuſa: quare, ſi utriuſque partis ſtudia & rationes excutias, cui adhæreas, certe ampliabis; conſulas Havercampium de num. contorn. pag. 42. &c. ubi variantes Patini, & Morellii opiniones adjicit. Id unum ratum ſcio adhucdum negotium integrum eſſe, & præclara litteratorum capita rem firmare fruſtra adniſos eſſe, & meras hariola-

Digitized by Google

riolationes protuliſſe : imo haud ſperes , ut quid certi te ſera poſteritas doceat . Idipſum cives mihi repoſuere , & quos per litteras conſului ea de re alienigenas præ me doctiores , quas ſervo , ſi quis expoſtulet , reſcripſere.

Igitur ſi conjectandi jam prona ſit facultas, numiſma hoc Neronianum ad tanti principis decus , & gratiam a Neapolitanis percuſſum , ac pretioſis metallis ornatum ſuſpicandi argumenta mihi animi mens ſuggerit, quæ ægerrime promam ; etenim ſcio atramentarii inſtituti , quod hactenus me ſatis firme tenuiſſe fortaſſe haud neges , oblitum jam in longe diſcrepantia vagari . Cogitaveram ſane bina , quæ longiora ſequuntur capita, omnino poſthabere , quæ novi hic ſanequam ἀτύστατα ac importuna , verum , quos conſului , ut moris eſt , ab dulciſſimis amicorum , & rerum patriarum amantiſſimis enixe prohibitus ſum ; mihique tum veterum φιλολόγων, & recentium, tum domi , & longe ab hac urbe degentium plurima exempla explicarunt, qui anguſtam ſatis materiam meditati tot veluti mercibus peregrinis argumenti immemores infarſerunt ac locupletarunt. Verum id vitium, ſive dicas legem , licet magnorum virorum auctoritate fixam ac ſancitam, ſcopuli inſtar me aufugere ab initio præceperam , ne hunc librum Horatiani pictoris tabulæ perſimilem quidam crederent ; ſed iterum mihi inculcatum eſt ἀρχαιολόγους, uti poetas hanc ſibi veniam facilem petere , ac viciſſim dare . Itaque poſt longas animi ambages his hortatoribus ignoſcendum fuit ac indulgendum ; præſertim cum conqueſti ſint doctiſſimos viros, licet non cives, ſed ἐποίκους, quos dulcis hæc noſtra urbs elegantiis , & otio ſuo illexit , & in quovis diſciplinæ genere excoluit, ad vetera ejus decora, & Græcam libertatem , ac munditiem evertendam arte militum ſuccenturiatorum adlaboraſſe ; quare ſpes eſt, ſi exteris fortaſſe grave ſit , quod huic operi atramentario bina iſthæc capita attexam , ceu quis purpuræ unum , aut alterum aſſuat pannum, ab civibus meis ea lectum iri ; verum alienigenis, &, quæ e re nata non ſunt, faſtidientibus, præterire jus ſit, imo & rogatos volo. Cetera vero rationum pondera, quæ ad iſthæc ſcribenda me coegere, paucis amicorum nota, ſilentio premenda ſunt ; ſed purgationis, & querelarum ſatis.

II. Hoc elegans numiſma Ficoronius nihil dubitat, quin ob poeticæ artis voluptatem, & decus Nero ipſe percuti juſſerit, ſicuti alium quendam minoris moduli nummum ab eo cuſum ex Suet. ob cytharœdicam artem conſtat cap. 25. vel potius, verba ſunt ejuſdem Ficoronii, quod eas liberales artes Neapoli egregie profeſſus ſit imperator ; appoſiteque Suet. locum recitat ibid. *Reverſus e Græcia Neapolim , quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit , disjecta parte muri , ut mos hieronicarum eſt* . Verum & numiſmatis elegantia , & hujus archæologi non indocti verba viam mihi aperuere, ut non iratis muſis conjecter Neapolitanos percuſſiſſe, atque tam belle exornaſſe eos nummos, ut & Neroni de

 ſe

Digitized by Google

ſe bene merenti fucum facerent, ſibique plauderent, quo futura ætas ſciret tantæ famæ principem theatrum Neapolitanum celebraſſe, in eoque *per complures dies ceciniſſe*, Suet. cap. 20. atque etiam profeſſum eſſe *Græcos ſolos ſe, & ſtudiis ſuis dignos*, cap. 22. Noverant enim Neapolitani, quam grate id reciperet Nero, nam ipſe, qui dona ad cytharœdorum artem ſpectantia Romam ad ipſum afferrent, non ſolum primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret, Sueton. ibid. Præter cætera me urgent momenta, ut credam Neapolitanorum id fuiſſe numiſma, tum ars ejus ἐμπαιστική atramentario noſtro ſimillima, qua floruiſse cives meos nunc primum a me expromptum eſt, & exemplorum ſatis, quæ ex Herculanei monumentis prolata ſunt, quæ facile credas ab noſtratibus Græcis artificibus ob ejus oppidi vicinitatem fabrefacta; tum quia cum nota non inſit S. C. extra Romam nummum cuſum haud neges; quare cum nullam urbem reperias Neroni cariorem, quam Neapolim, Neapolitanos numiſmatis auctores dicas, atque ea artificii veluti luxuries Græcam elegantiam atque indolem facile redolet: adde, ſi Romæ illud conflatum eſſet ab Nerone ipſo, ut credit Ficoronius, Suetonius id advertiſſet, uti monet hic hiſtoricus ab hoc principe aliud numiſma percuſſum, in quo ſe habitu citharœdi indutum expreſſit, exſtatque adhuc, in eoque, utpote Romæ cuſo, nota S. C. minime deſideratur, quod tam tritum eſt, ut etiam Capacius noſter proferat pag. 263. Neque dicas nummos *contorniatos* ea nota prorſus eſſe deſertos, nam reponam ejus generis numiſmata, licet litteris S. C. deſtituantur; attamen nullum videre eſt dives tot argenteis, aureiſque ornamentis, quæ pæne æs omne cooperiunt; contra in *contorniatis vix ramuſculus, aut aliud ſignum argenteis laminulis plerumque artificioſe repletum, & quæ plura a Morellio recenſentur, confirmant opinionem de athletis, quibus viliores, vel pretioſiores pro eminentia artis donati videntur: ſed ſatis multi ſunt, quibus nota illa deeſt, ut forte non inepte dicamus notas illas poſtea in memoriam victoriæ ab ipſis athletis impreſſas fuiſſe*, ita Havercampius ibid. pag. 48. vides igitur quantum hoc numiſma Ficoronianum a *contorniatis* diſtat. Ceterum etiam ſi dem hoc inter eorum ſeriem adcenſendum, quis prohibet, quominus Neapolitani præ aliis elegantius, utpote Græci, id artificii genus noverint, & principe metallo ornarint, eo quod imperatori ob cytharœdicam virtutem, quam mire apud eoſdem exercuit, donandum eſſet?

Magis etiam ad credendum inducor hunc ipſum nummum ab Neapolitanis elaboratum, tum quod Neapoli illum acquiſiverit Ficoronius, tum quod exhibet, quæ Nero in hac urbe geſſerat, ſcil. in ipſam intraſſe *albis equis, disjecta parte muri*, Suet. c. 25. & ſane artifex ex argento equos finxit incedentes; utpote vero per complures dies in theatro inter ſcænicos ludos cantaverit, coronamque retulerit, perſonatum hunc Cæſarem vides, quo habitu ſæpius inibi apparuiſſe oportuit, & coronam præmii lo-

loco manu geſtantem. Neque dicas cum Ficoronio ipſum præſeferre palmam ob aurigationis victoriam, quam Neapoli retuliſſe non conſtat, cum ſciam palmam etiam certaminis muſici præmium fuiſſe ex Terent. in Phorm. prol. v. 17.

. . . . *In medio omnibus*
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.


Neque dubites, quin mihi ipſi objectem, quod ſolutu ſit arduum, ſcil. ſi credam ipſum numiſma a Neapolitanis fabrefactum Græce loquentibus, oportuiſſe, ut epigraphe Græcis ϛοιχείοις, non vero Latiaribus inſcriberetur: verum habeo ſane, quid reponam, quo bonam hanc conjecturam firmem: etenim Neapolitana civitas, quo Romam illud numiſma mitteret, in aliaſque Latinas urbes, ut quanto honore Cæſar Neapolim cumulaſſet, ſcirent, lingua majeſtate Romana digna nummum inſcribendum juſſit. Neque inficiandum, quin Neapolitani, cum pro Romanorum uſu, ac dignitate, quid publice exararent, Latine ſcriberent; exemplum, quod ſit huic argumento appoſitiſſimum, præſto mihi eſt, grande ſcil. fragmentum inſcriptionis Imp. Tito Neapoli ſcalptæ, Græce ſuperne, inferne vero Latialiter, quo frequentiſſimi Romani convenæ, quanta munificentia Titus de Neapolitanis meritus ſit, condiſcerent. Nil mirum ergo, ſi numiſmata extra Græcam urbem miſſitanda, Latine ſolummodo inſcripta legas; marmora vero in ſolo patrio exſtitura, δίγλωττα videas. Romanorum autem quamplurimos Neapolim, quo vitam Græcanicam, atque elegantiorem viverent, confugiſſe, notum eſt ex Strabone lib. 5. pag. 378. Ἐπιτείνουσι δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν, οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναχωροῦντες δεῦρο, κ. τ. λ. quæ ſic verſa legas: *Vitæ autem Græcanicæ rationem Neapoli augent, qui eo Roma ſecedunt in otium, &c.* ſed ſatis infrunitum eſt tum ἐπιτείνουσι, tum τὸ *augent*; ſi autem reponas ἐπιχειροῦσι, *aggrediuntur*, ſententia omnis ſtabit, & miror tot doctiſſimos Strabonis interpretes facillimam ac tam pronam medelam huic geographo minime feciſſe.

III. Quoniam autem eo me oratio abduxit, ut hujus noſtratis ſaxi διγλώττου meminerim, totque Neapolitani viri doctiſs. exſcripſerint, exterique etiam epigrammatum collectionibus illeverint, attamen cum mancum ſit, & quoad majorem ſui partem iverit peſſum, nemo unus ſatis fuit in ſanitatem reſtituere, ſententiamque divinare: haud ſcio an pacem impetrem, ut longiori commmentario illud honeſtem; verum utpote patrium monumentum undequaque ſpectabile, ſperandum eſt minime animos legentium fatigatum iri: præſertim cum his diebus Mazochius ὁ πάνυ, quem facile ſalutandum jubeo litteratorum marmorum σωτῆρα, manus medicas ei ſaxo admoverit, ac veluti vitæ felix reddiderit. Cumque ipſe id oneris etiam ſubiiſſem, verebar ſane, ne de perditorum verborum divinatione mecum amice conjuraſſet Mazochius, vel ipſe futurus Œdipus, atque ego Davus. Attamen accidit, ut ab utroque noſtrum in eorundem reſti-


Digitized by Google

reſtitutione in longe diverſa deſcitum ſit; quod ut ſtatim noſcas, utrumque interpretamentum adjicio, affabre, quoad fieri potuit, longe harum gentium ſcalptum.

Mazochii additamentum. *Marmoris fragmentum.*



Longius ſupplementum, & a Mazochiano perquam diverſum.



Apponam præterea, quæ in eo ſaxo docte tantus vir excogitaverit, atque an conſtent, mox paucis advertam; deinde in penultima hujus longiſſimi cap. parte, qua ego uberiori medela uſus ſim, adnectam, non ut clariſſimo viro obſtem, ſed ſolummodo, ut ab eo doctior ſim, atque quod verum

rum eſt, quo tendimus univerſi, fiat palam junctis viribus; vide pag. 235. de Eccl. Neap. ſemper unica. Ceterum cum hoc caput v. inter manus ob rerum varietatem, & ob patriæ defenſitandæ ingens ſtudium, nimium increviſſet, in plures partes diſpenſare exputavi, adjecta unicuique parti, ut moris mei eſt, dicendorum ἀνακεφαλαιώτει, ut claritati, & ordini conſulam, quem præ rebus ipſis omnes amamus.

Et primum quidem dolendum eſt, eo quod vir doctiſſimus nec litterarum, nec ingentis ſaxi menſuram ad urbis noſtræ decus appoſuerit, quam ipſi dedimus: deinde id unum advertendum rogo, duos ſolummodo verſus laborioſos eſſe, quo vetus ſententia reſtituatur, quintum ſcil. & ſextum, cum reliquos omnes vel tiro antiquarius apte reponeret: porro ne Œdipus quidem in quinto divinaret, quæ verba ſcalpenda ſint ante ἀγωνοθετήτας· atque in ſexto ſatis arduum invenire, quænam collapſa Titus reſtituerit, & de quonam publico ædificio marmor loquatur; licet Laſena, & Mazochius duo viri doctiſſimi gymnaſio Neapolitano affixum voluerint: contra ipſe in ima hujus c. par. oſtendam gymnaſium non fuiſſe peculiare quoddam ædificium, ſed nomen γενικόν locorum omnium, ubi quodvis exercitii genus celebrabatur, etiam litterarium. Igitur ſagacis ingenii vis eo tendat, pretium operæ eſt, ut duo hæc tantummodo veſtiget, in quibus ſane totius epigraphes ratio, & argumentum verſatur. Ceterum quæ induſtrie affinxit Mazochius, & erudite, aliquantulum mihi ἄτοπα, veniam a tanto viro precor, viſa ſunt. Porro ſupplementum omne Mazochianum curſim excutiamus, cum in eo quoſdam inviſo nævos, quos detergendos reor, ut ejus laboris opus ſit terſius.

Et ſane oculis marmor intuentium injucunda ſunt dimidiata ac conciſa illa **ΑΥΤΟΚΡΑΤ**, & **ΟΥΕΣΠ**, longius enim erat ſaxum, quam quod credidit vir magnus, atque in tot Græcis vocibus, quæ in fragmento ſunt, ne unam quidem mutilam vides, quare diſplicent etiam Π ΠΑΤΡ. Minime moleſtus ero viro τῷ πάνυ, qui ob facilem ſcribendi felicitatem titulum πατὴρ πατρίδος primo loco illeverit, cum in omnibus litteratis ſaxis, & nummis nunquam ante poteſtatis titulos legas, imo in fere extremos rejiceretur, ut hic etiam in interpretamento Latiari vides: fateor me iratis muſis natum, quod non recte percipiam, Latina verba huic Græco epigrammati a Neapolitanis ſub Domitiano ſubjecta, ut ait Mazochius p. 236. propterea quod hic honos *patris patriæ* in ultimum locum rejectus ſit; cum contra ſciam id moris viguiſſe ſub Cæſaribus univerſis; atque Ezechiel Spanhemius de P. N. p. 445. to. 2. ait fuiſſe honoris, non poteſtatis titulum, & ſero ſalutatos Imperatores P. P. ſcil. in teſtimonium perfectarum a ſe maximarum rerum; ideo igitur poſteriori loco apponebatur ſaxis, nummiſque. Accipe Mazochii verba, fortaſſe præ me lubentior, ac felicior ea percipias, loquitur vir magnus de ſuo ſupplemento: *Verſu tertio non temere tribuniciæ poteſtati* τὸ πατὴρ πατρίδος *præponitur: nam etſi in Latinis apud Biragum Titi nummis anni* 79. 80. & 81.

Digitized by Google

81. τὸ *P.P. tribuniciæ poteſtati ſubjicitur, et id non niſi proxime ſubnectitur, & conſulatui præponitur. Deinde in marmoribus non idem ſemper titulorum ordo, qui in nummis. Scio PATRIS PATRIAE titulum imperatores plus ceteris æſtimaſſe; ut proinde non immerito Neapolitani illum ceteris præire ſiverint. At quod in Latina interpretatione* τὸ *P.P. in ultimum locum rejiciatur, id non levi apud me argumento eſt eam interpretationem ſub Domitiano epigrammati Græco fuiſſe ſubjectam, ut infra conjiciam.* Præterea diu miratus ſum virum in ſcriptis lapidibus, & in numiſmatibus verſatiſſimum ſummum Pontificis maximi decus (ἀρχιερεὺς μέγιστος) tertio titulorum loco inſeruiſſe, cum ubique marmorum, & monetarum primo conſtantiſſime adſcriberetur, niſi ſi raro admodum de alicujus artificis oſcitantia ac torpore conquerendum ſit, qui titulorum ordinem turbarit, quod in litteratis marmoribus operum publicorum nunquam factum. Id videtur admonuiſſe etiam Vandalius Diſſert. altera de Pontif. max. p. 194. quo de ea dignitate nemo melior eruditiſſima aggeſſit, aitque ipſam *ſemper imperatoriæ*, (ideſt αὐτοκράτορος,) *fuiſſe conjunctam;* in hanc αἴβλειψίαν non tanti fortaſſe faciendam induxere Mazochium, ut in quarto lapidis verſu τὸ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣτος inſeruerit, duæ illæ litterulæ ΟΣ, quæ in limite fragmenti ſolitariæ ſunt: verum ſi apponas τὸ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔος, ut a me jam factum cernis, honorum tituli ſecundum ſeriem & dignitatem in marmor reſtituentur: & neſcio, quare factitata ſit in nono verſu eadem titulorum ἀναστροφή, ſcil. TR. POT. X. P. MAX. pro P. MAX. TR. POT. X. cum conſtet etiam gentes poteſtati rerum ſacrarum majorem honorem, ac gratiam, quam profanis titulorum dignitatibus habuiſſe.

In voce ΤΕΙΜΗΤΗΣ, *cenſor*, duo antehac ignota præſtat Mazochius, tum ſcil. *nunc primum in Titi inſcriptionibus ſe hunc titulum reperiſſe*, tum etiam *gymnaſii reſtitutionem ad cenſoris officium pertinuiſſe:* verum a me impetrare non poſſum, ut in hanc duplicem tanti viri ſententiam eam pedibus, cum Pitiſcus in ſua Suet. ornatiſſima ἐκδόσει pag. 1135. ternos proferat Tito erectos lapides, in queis *cenſoris* nomen inſculptum legas: unde autem hauſerit vir doctiſſimus poteſtatem cenſoriam reſtituendis publicis operibus addictam cum ignariſſimis ignoro: nam univerſi jurant præcipuum munus fuiſſe *morum præfecturam*, & pueri norunt Tullii jocum, ut fertur, *Conſulem habuimus tam ſeverum, tamque cenſorium, ut in ejus magiſtratu nemo pranderit*, vid. Trebel. Pollionem, & Hiſt. Aug. to. 1. p. 376. atque ut ſexcentos taceam, & ne ab aliis jam dicta corradam, adiſis perbrevem diatribam de cenſorib. Romanis tom. 1. Acad. reg. inſcript. pag. 70. Verum cur ad nuperos Scriptores de cenſoris officio provocem, cum teneam teſtem divitem, ac veterrimum Dionem Caſſium, qui luculente adſtruit munus hujus magiſtratus fuiſſe mores inſpexiſſe, p. 1111. edit. Reimari, cujus interpretamento utor, *Ceterum Domitianus, ut cenſor, rem memoria dignam fecit; nam Cæ-*

cilium

Digitized by Google

cilium Rufinum propterea ſenatu movit, quod ſaltaret; & Claudium Pacatum, etſi centurio fuerat, domino reddidit, quod ejus ſervus fuiſſe convincebatur: vides igitur cenſorem mores ſolummodo curaſſe præſertim ſub Cæſaribus, non ædificia. Conſulas etiam Gell. l. 4. c. 20. & l. 7. c. 22. non unum cenſoriæ ſeveritatis exemplum lepide recitantem.

IV. Scio arduum ſane atque operoſum quinti, & ſexti verſus verba divinare, cum inibi rationem erecti marmoris, atque argumentum ſcalptum eſſe oportuerit: ne autem vera exſpectes, ſed dumtaxat propiora vero. Sane quod inſuit Mazochius, ΣΤΕΦΑΝΩΘΕΙΣ ΤΟ . . . ſcio nemini probatum iri, etenim imperatores, dum publicis ludis præerant, ipſi athletas coronabant, vadem appoſitiſſimum habemus Suet. in Claud. cap. x1. *Ad fratris memoriam per omnem occaſionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit*; non igitur ab aliis corona decorabantur; nam Cæſarea majeſtate id indignum ſane fuiſſet: neque exemplo ſit Nero, qui coronam ob orationem, & Latinum carmen ab magiſtris certaminum ſibi conceſſam accepit, Suet. c. 12. & ob aurigationem etiam coronatus eſt cap. 24. & Xiphilin. edit. Reimari p. 1036. Et tandem triumphum agens Romæ in obeliſco Ægyptio coronas 1888. impoſuit, Xiphil. teſte pag. 1041. cum notum ſit, quanta canendi inſanie fureret Nero, qui ambiret potius poetam ſalutari, quam Cæſarem; ut hæc conqueratur Dio p. 1032. Κατέπιπτεν ἀπὸ κράτυς, ϗ τὸ προσωπεῖον ὑποδύνων ἀπέβαλλε τὸ τ̃ ἡγεμονίας ἀξίωμα, *de majeſtate imperatoris decidit, ac dum perſonam indueret biſtrionis, dignitatem principis exuit*. De Titi, qui generis humani deliciæ appellatus eſt, honeſtate nemo ſcripſit publice ceciniſſe, vel quid ſimile imperatoriæ majeſtati haud æquum perpetraſſe, quo dicamus ipſum pluries ΣΤΕΦΑΝΩΘΕΝΤΑ. Quare ex lapide ea vox eradenda, atque alia prorſus verba ſcalpta fuiſſe dicas. Præterea, ſi τὸ ςεφανωθεὶς in ſaxo appoſitum contendat quis ex Mazochii amiciſſimis, floret enim ampliſſimis, ac doctiſſimis, ſane poſt τὸ ἀγονοθετήτας, & γυμνασιαρχήτας, ut ordo rerum ſervetur, incidendum oportuit; imo certum eſt, qui agones indicit, iiſque præeſt, hunc coronas victoribus impertiri, non vero ſibi quærere. Scio etiam, ſi aliquando viri principes in theatro coronati aſſiderent, coronam ad majeſtatem conciliandam eiſdem decretam, quæ tot gemmis ſplendeſcebat, ut Diis pares viderentur: vide Dionem ipſum in Jul. Cæſ. pag. 384. nuperrimæ editionis. Sed, ut cum Mazochio, viro plurimæ lectionis preſſius agam, reperi vocem ςεφανωθεὶς propriam fuiſſe athletarum in Dione in ima cera pag. 1287. Τὸν Εὐπρεπῆ τ̃ ἁρματηλατὴν (Καράκαλλ☉) . . . ἀπέκτεινε· καὶ ὁ μὲν ὕτως ἐν γήρᾳ ἀπέθανε, πλείςοις ἀγῶσιν ἵππων ςεφανωθεὶς, δύο γὰρ ϗ ὀγδοήκοντα, ϗ ἑπτακοσίυς ἀνείλετο, ὅτυς ὐδεὶς ἄλλ☉· *Euprepem aurigam* (Caracallus) . . . *interfecit: hic ita ſenex mortuus eſt, poſteaquam coronatus eſſet in plurimis equorum certaminibus: obtinuerat enim coronas 782. quod ante contigerat nemini*: vide hic adnotationes ſanequam

doctas magni Reimari. Neque obliviſcar veterum civium noſtrorum decora; relegas, quoties Statius ſe, patremque ſuum ob poeſeos victorias corona a Cæſare donatos recinat in patris epiced. 5. 3. v. 140. &c. 225. &c. nec non in euchariſt. ad Domitian. 3. 1. v. 67. igitur ob patria etiam exempla quantum abeſt, ut imperatores in certaminibus athleticis, ac poeticis ab aliis coronarentur!

Neque cogites cum Mazochio de λαμπαδηφορίᾳ, inquit enim p. 236. col. 2. *Poterat de Neapolitana λαμπαδηφορίᾳ (de lampadico certamine) cogitari, ſi ſatis ad id ſpatii fuiſſet;* cum exſtiterit non magni nominis certamen, neque in noſtratibus ſaxis id genus ludi unquam legas: & noverim Ariſtotelem Politic. lib. 5. cap. 8. in fin. appellaſſe munera inutilia, μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας, καὶ λαμπαδαρχίας. Neque objectes talem ἀγῶνα famoſum Neapoli fuiſſe, eo quod Capacius noſter Hiſtor. p. 259. nummis prolatis, & Lycophronis quibuſdam verſibus, eum commendet; nam illas nummorum lampades, & lichnuchos alio ſpectare norunt tirones. Lycophronis jambos adeo tenebricoſos dicas, ut Caſſandra ipſa divinatrice indigeant. Neque noſter Laſena curandus, qui eadem, ac Capacius aggerit, ſed paullo cultius recoquit in Gymnaſio Neap. p. 16. &c. Per quam noti etiam mihi ſunt Statii συμπολίτου verſ. 50. & 51. lib. 4. Silv. ad Menecratem:

Tuque, Actæa Ceres, curſu, cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ:

Sed hic ſermo eſt de ſacrificiis, non de certaminibus, quod clare oſtendunt verba, *taciti myſtæ*, ſacerdotes enim quis τοῖς ἀγῶσι deditos dicat? Et gratiam habeo Vandalio, qui mecum jurat, eoſque binos Papinii verſus de ſacrorum miniſtris interpretatur, vid. Diſſert. 6. pag. 502. Demum Tzetzes omnino poſthabendus, utpote inficetioris ævi Lycophronis ſcholiaſtes. Scio præterea potius dici hoc certamen λαμπαδρομίαν, vide Corſinium in Faſt. Act. to. 2. p. 346. ceteroſque archæologos, quos laudat. Hinc non fuiſſet Mazochio longior implendo ſpatio vox λαμπαδχοχήτας, ſicuti conqueritur de nomine, quod extrahendum eſſet ex λαμπαδηφορίᾳ, cum ab Ariſtotele in nuper laudato loco habeam λαμπαδαρχίᾳ. Verum, quid fortaſſe in hoc quinto verſu infarciendum ſit, dicam inferne.

Hic autem te rogatum volo, ne priſcis Neapolitanis odii plenam noxam ἀνορθογραφίας crees, propterea quod τὸ ΤΕΙΜΗΤΗΣ cum ΕΙ in marmore incidendum juſſerint, cum hanc vocem ſcriptam legamus cum privo Ι. Verum ipſe noſtri lapidis ſcalpturam tuendam reor, & potius membranas marmori poſthabendas: niſi enim ea in re lapidibus ſit fides, præſertim ſi magiſtratuum auctoritate erecti ſint, & ſcalpti, quin & publicis ædificiis affixi, veteri ſcribendi rationi perquam male conſultum erit. Eſſe autem melioris pretii τειμητής, quam τιμητής, & nec ſcalptoris incuria factum ſcias, tum quia reliqua ingentis ſaxi verba & affabre, & curatiſſime inciſa, tum quia ſyllabam principem hujus vocis producendam ex poetis didicimus; quam, cum duplici ſono conſtet, duplici

plici idcirco φωνοῦντι formarunt Neapolitani, quos quis credat ignoraſſe hujus vocis veram ἀξιωματικῆς, & ſollemnis ſcriptionis rationem? Quare poſthac optarem elegantiſſimi hujus lapidis auctoritate, ut in libris pingatur τειμητὴς, non vero contra; atque ipſe in poſterum chartis meis ita illinam vehementi hoc teſtimonio nixus; meiſque frequentibus auditoribus, ut eodem pacto ſcriptitent, præcipiam, ne a ſuis veteribus Neapolitanis Athenienſis oris ſe probent degeneres. Scio ſcalptores binas litteras ι, & ει mixtim adhibuiſſe, & plura exempla ſervo etiam ex noſtratibus marmoribus, quæ inferius dabo; imo etiam Latinos idipſum feciſſe reperi, ut in voce *deixerit*, vide Salmaſ. in Solin. p. *766*. & Havercampius de ling. Gr. pronunt. to. 2. ab pag. 142. uſque ad 148. id genus exempla Græce & Latine ſexcentena congeſſit, quem conſulas; verum id genus varietates reperies in unis lapidibus parvæ molis, & privata libertate ac voto erectis.

v. Lacunam ſexti verſus lapidis infracti nimium ſibi indulgendo vir clariſſimus implevit: recens, ac portentoſa trium fere menſium intercapedine ignitorum lapidum Veſuvina ἐκβολὴ fecit fortaſſe, ut Mazochius Veſuvii nomine ſaxum ornaret, ac famoſum redderet; cum longe diverſum quidquam apponendum fuiſſet. Etenim conſtat a Xiphilino, qui primam, poſt homines natos, Veſuvii conflagrationem ac vaſtitatem, ut ejus Scriptoris labes ſæculi ferebat, vera falſis commiſcens meminit, hunc montem nullam ædificiorum excidionem Neapoli intuliſſe, ſed dumtaxat cineribus vel longinquis urbibus offeciſſe, vide Dionem edit. Reim. p. *1096*. &c. Et jam antea ſcripſerat Plin. lib.*6*. ep.102. ut notum eſt, nuſquam gentium etiam Veſuvio vicinarum aliquod ædificium vel privatum, vel publicum collapſum eſſe, ſed hæc dumtaxat: *Mutata omnia, altoque cinere, tanquam nive obducta:* vide etiam ejuſdem ep. 10*6*. Sed iſthæc certiora ſunt, quam ut in his diutius immorer: non igitur *plures gymnaſii Neapolitani partes decuſſit mons Veſuvius*, ut ait Mazochius; verum alia cauſa quærenda eſt callapſarum partium ejus ædificii, quodcumque fuerit, quam veram forſitan dabo, quando meum longius ſupplementum apponam.

Quoniam autem hic in adnotatiuncula de Veſuvii montis nomine quædam vir doctiſſimus adjecit, ea excutienda aggredior, ait enim: *Nihil apud Græcos uſitatius, quam* Βέσβιον ὄρος, *aut quadriſyllabum, (ut tantum in Strabone legitur)* Οὐεσσούιον, *quaſi ſit adjectivum nomen*. Et ſane ſcio, ſicuti Latinis ſollemnior eſt vox *Veſuvius*, quam *Besbius*, aut *Vesbius* poetice potius uſurpata, ita Græci melioris ætatis Οὐεσούιον, non Βέσβιον dixere. Etenim ter in omni Strabonis opere nomen hujus montis inviſitur, ac perpetuo Οὐεσούβιον ὄρος dicitur lib. 1. pag.*46*. lib.5. p. 378. & in ejus *excerptore* pag. 1230. quod magni momenti eſt de vera vocabuli ſcriptura, nam nomina locorum a geographis deſumenda potius, quam ab hiſtoricis, aliiſque Scriptoribus, præſertim ſi poſterioris ævi ſint. Imo advertas hujus montis nomen varie membranis illitum, veluti in Dio-

Digitized by Google

ne edit. Reimari p. 1094. legitur bis Βέσβιον, & ſummus vir inter variantes ingerit Οὐεσούβιον, teſte Leunclavio: inde idem Reimarus docte more ſuo edicit: *Οὐεσσούιον ſcribitur apud Strab. p. 247. & conſtat ſane hoc eſſe & antiquius, & accuratius nomen montis*, licet in Dionis contextu nihil mutandum duxerit; atque ipſe reor Xiphilinum ſecundum ſæculi ſui indolem Βέσβιον illeviſſe. Gratulor etiam Scriptores inferioris ætatis uſurpaſse Οὐεσούϊον, veluti Euſeb. in Chron. Τῶν ἀρκτικῶν πνευμάτων ἁπάντων ἄχρι δύσεως θερινῆς ὁ Βεσουβλινὸς λόφος πρόβλημά ἐστι, καὶ πολλὴ τέφρα, *omnibus ventis, qui ab arcto ad æſtivum occaſum perflant, Veſuvii collis objicitur, multuſque cinis*; vides Βεσουβλινός, non vero Βεσβλινός· quare ſi in eodem opere lib. 2. pag. 80. edit. Amſtel. 1658. legas Βέσβιον ὄρος κατὰ κορυφῆς ῥαγέν, κ. τ. λ. & quis pro Βέσβιον reponeret Βεσούβιον, de tanto Scriptore benemereretur, nam ſibi conſtaret, neque nunc vetus nomen Βεσουβλινός, nunc novum, & a Galeno proſcriptum, ut mox dicam, Βέσβιον adhiberet.

Verum quid te diu in re certa moror, cum cauſam hujus nomenclaturæ contra eruditiſſimum Mazochium agat Galenus, cujus verba non vidiſſe tantum virum longe demiratus ſum, præſertim ea recitante Cluverio Ital. ant. p. 1157. dum quærit Οὐεσούϊον, an Βέσβιον dicendum ſit de methodo med. lib. 5. edit. Charterii pag. 123. lib. 5. cap. 12. Λόφος ἔστιν οὐ μικρός, ὃν ἔν τε συγγράμμασιν οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, καὶ τῶν νῦν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσούβιον ὀνομάζουσι· τὸ δ' ἔνδοξόν τε, καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον, *collis non parvus, quem tum veteres Romani in libris ſuis, tum qui curatius loquuntur*, Οὐεσούϊον *appellant: nunc probari incipit*, (ſic vertas ἔνδοξον, non vero, *celebre*, ut vulgo, nam idem eſt ac πιθανόν, ut Galeni ſententia conſtet:) *ac recens eſt nomen ejus collis* Βέσβιον. Ex hujus principis medicorum loco antehac obſcuro vides certiſſime ſtatui ſub Antonino Imp. cœptum eſſe a quibuſdam dumtaxat dici Βέσβιον, cum cordatiores, & antiquiores univerſi Οὐεσούϊον celebrarent. Non igitur unus Strabo Οὐεσούϊον, ut ait Mazochius, ſed παλαιοί, atque ἀκριβέστεροι ita appellitarunt: contra vero Βέσβιον eſt nomen νέον, *recens*. Hinc ex Galeno diſcimus ſub Tito dictum fuiſſe Οὐεσούϊον, non vero Βέσβιον, quare in ſupplemento Mazochiano pingendum ΟΥΕΣΟΥΙΟΥ, minime vero ΒΕΣΒΙΟΥ, utpote vox Tito recentior. Oblitus eram etiam Diodorum Siculum adhibuiſſe vocem Οὐεσούϊος, niſi locus ſubleſtiſſimus ſit, (de quo in Puteolanæ regionis deſcriptione,) edit. Weſſenlingii to. 2. p. 267. Si vero in doctis libris, qui ſunt ante Galenum Græce ſcriptis, vel paullo poſt, Βέσβιον legere eſt, ne poſthac hæreas, quin ab ſtupidis librariis depictum ſit exiſtimantibus id vocabulum eſſe ἐνδοξότερον, *acceptum magis*. Ne mihi ſuccenſeas, ſi moleſtus audiam de vera voce Græcanica hujus πολυβοήτου montis; intereſt enim, ut poſteritas haud credat veteres cives meos ignoraſſe certum nomen hujus montis, qui in Græco ſermone cultiſſimi & Attici ſalutabantur teſte Philoſtrato, nam Ἀσυχὴς περὶ τῶν λόγων σπουδὰς prædi-

prædicat init. imag. ut inferius oſtendam; quare nimis indecorum eſſet, ſi Galenus quam vocem ſugillat, eam Neapolitanis apponat Mazochius, præſertim in magnificentiſſimi ædificii ſaxis, in queis verba, ut me docuit vir ſummus, niſi ſelectiſſima, & ad unguem caſtigata, minime incidebantur; quare dubio procul non ΒΕΣΒΙΟΥ, ſed ΟΥΕΣΟΥΙΟΥ ſcalpſiſſent. Atque hæc de Græcanico montis vocabulo, nunc de Latiari.

VI. Præterea nihil novi nos docuit vir ſummæ eruditionis Mazochius, dum adſtruit *Veſuvium eſſe quaſi adjectivum nomen*; atque bene multa exempla, quæ jam antea Cluverius, & Cellarius collegerant, quo id comprobet, aggerit: quando fere cuncta montium nomina, & præſertim in *ius* exeuntia *ſine dubio*, non *quaſi* adjective uſurpata quiſque novit: itaque *Mons Caſius*, Græce eſt ὄρος Κάσιον Strab. p. 1102. Dio. Caſſius pag. 309. & 1140. *Oneji montes*, Ὄνεια ὄρη· & pag. 1141. Κάρδυνον ὄρος *Gardiæus mons*. Strabo pag. 582. *Mons Sandaracurgius*, Σανδαρακούργιον ὄρος· pag. 841. *Sigius mons*, τὸ Σίγιον ὄρος· pag. 274. *Mons Telethrius*, ὄρος Τελέθριον, Steph. Ταΰγετον ὄρος, *mons Taygetus*, Strabon. pag. 557. & ſexcentena id genus montium: imo etiam famoſus *Apenninus* mons adjective ſe habet, Græce enim reperies ſemper apud Geographos Ἀπέννινα ὄρη, quare in lexicis celebrioris famæ male editum eſt Ἀπέννινος ὄρος. Imo etiam apud Latinos in eadem ratione iſthæc nomina adhibita: & ne a Campania diſcedamus, quis ignoravit unquam Falernus, Maſſicus montes, nec non Miſenus, & Pauſilypus adjective accipi? ſatis ſit geographos quoſvis evolvere. Nil mirum igitur, ſi Veſuvius in eadem notione ſit: licet Statius noſter in patr. epiced. ab eo aliud extrahet adjunctum, *Veſuvina incendia* v. 205. Sylv. lib. 5. & ad Claud. uxor. *Veſuvinus apex* v. 72. ibid. lib. 3. Idipſum advertas in nominibus quorundam lacuum; & ne ad externa vagemur, dixere veteres, *Avernus lacus*, *&* *Averna loca*, exempla legas apud Cluverium: *Lucrinus lacus*, *&* *Lucrina conchylia:* verum hæc ſatis nota me dixiſſe pœnitet. Id mirum ſane reor Mazochium, cum admoneat Veſuvium adjective accipi, atque ita utatur in Latiali ſupplemento, *Veſvi montis concuſſionibus*, Græce veluti ſui oblitum ſubſtantive adhibere ΥΠΟ ΒΕΣΒΙΟΥ ΣΕΙΣΜΩΝ, & reticere ob ſpatii caritatem vocem ΟΡΟΥΣ, *montis*. Nollem, ut conquereraris me dixiſſe ἀρσενικῶς *Pauſilypus*, quod negat Mazochius, edicitque adhibendum ſolummodo *Pauſilypum*, cum ſubaudiatur *prædium:* idque oſtendit ſatis nota Plinii, & Dionis Caſſii auctoritate, in Eccl. Neap. ſemper unic. p. 210. verum unum me mordet tantum virum, veluti iraſci in eos, qui eo in genere hac voce utuntur, quos inter noſtrates Sannazarios, Pontanos, &c. necnon inter alienigenas Scriptores politiſſimos D'Orvillium in Charit. pag. 358. accenſeas oporteat. Verum non adeo res certa eſt, ut vult doctiſs. Mazochius; nam locus Dionis τὸ Παυσίλυπον, τὸ χωρίον καταλιπών non integerrimæ fidei eſt, cum Rob. Stephanus, & Xiphilinus legerint τὸν Παυσίλυπον, τὸ χωρίον in mari genere,

nere, vide Reimarum pag. 753. cur autem hanc variantem magni ponderis lectionem poſthabuerit Mazochius, ignoro. Contra ipſe Neapolitanos meos rogatos volo, ut advertant penultimam Pauſilypi producendam, cum voce λύπη, atque ex ea compoſitis ita utantur poetæ omnes, ne ab exteris reprehendamur; vide D'Orvillium ibid. pag. 159. Verum de Pauſilypo, ejuſque ſitu plurima, & longe diverſa ab iis, quæ docte a Mazochio dicta ſunt, in Puteolana chorographia. Nunc Romanam vocem *Veſuvius* excutiamus.

Nil arridet VESVI cum privo V in medio, cum poetarum potius ſit, ut vel ab exemplis videre eſt, quæ a Cellario ipſe ſummus vir collegit: imo aperte id adſtruit Drakenborchius in adnot. in Liv. to.2. p. *692*. quem legas rogo: verum multo plura, & longe melius quæſita aggeſſit Julianus noſter in hiſtoria Veſuvini incendii an. *1631*. & miror hunc Scriptorem minime ſordidum latuiſſe Mazochium. Neque ei ſuffragatur lapis Campanus, ad quem provocat, IOVI VESVIO SAC. imo contra eſt, cum Peregrinius in Campania p. 31*6*. illeverit VESVVIO; & per litteras a me Capuam miſſas certior factus ſum a doctis viris Peregrinium ad fidem marmoris recte τὸ VESVVIO exſcripſiſſe. Ejus rei teſtem etiam locupletem ſiſto Ortelium, qui poſtquam enumeraſſet multa detorta nomina hujus montis, definit: *Sed Veſuvius ab optimis auctoribus appellatur.* Demum quoniam cum viro undequaque doctiſſimo de *Veſuvii* ὀρθογραφίᾳ contentio eſt, niſi ad marmora, quæ ſint maximi, & publici operis, & Auguſti ætate ſcalpta appellemus, de quo contendimus, me ſuperiorem futurum non reor: intereſt autem noſtra Neapolitanorum verum hujus jam per orbem terrarum montis nomen famoſum exteris gentibus firmare: in præclariſſimo Secuſino fornice Auguſto a M. Julio regis Donni filio Cottio dicato grandibus characteribus legere eſt in ult. verſu, *Veſuvianorum*, (qui ſint hi populi *Veſuviani*, & cur ita appellati prorſus ignoro:) quare ſi Neapolitani pro *Veſuvii* nomenclatura Titiano huic noſtro ſaxo ſcalpſiſſent *Vesbii*, quæ vox Antoninorum ævo aboriri cœpit, non vero *Veſubii*, aut *Veſuvii* incidiſſent, præ ipſis Secuſinis βαρβαρικώτεροι audirent. De hoc eximiæ ſtructuræ fornice, ejuſque epigraphe adiſis litteratæ antiquitatis promum condum Maffejum in Muſeo Veronenſi pag. 233. ubi eleganti opere depictum cernes. Ceterum fatendum eſt Mazochium contra mentis animum in Titiano ſaxo ſupplevisſe Veſvium privo V ſpatii caritate ſolummodo coactum: tum quia ſummus vir loca Scriptorum, quæ a Cluerio, & Cellario exſcripſit, vid. adnot. 1. pag. 237. univerſa ſunt pro *Veſuvio*, tum quia in aliis ſuis doctiſſimis operibus ſemper ac hujus montis meminit, uti ſexcenties in Kalend. a pag. 393. uſque ad pag. 402. ſemper illevit *Veſuvius*, nunquam *Veſvius*; & in Epiſcopis Neap. p. 187. & 1*6*1.

Vox *concuſſionibus*, quæ an lapidaria ſit, fateor me haud noviſſe, hic eſt omnino ἀπροσδιόνυσος· etenim in mamore haud dubie legitur

TIBVS,

Digitized by Google

TIBVS, non vero IBVS, atque TIBVS ab Capacio, & Laſena, ceteriſque noſtratibus ἀρχαιολόγοις, ac exteris, vid. Gruterum 137. 8. exſcriptum eſt: licet nunc pars litterulæ T, eo quod in limite marmoris eſt, parum detrita ſit. Me pœnitet ſummum virum fidem dediſſe binis juvenibus omnigena rei archæologicæ ἀμυστίᾳ laborantibus, qui nullum omnino veſtigium τοῦ T ſe inviſiſse ſemel atque iterum promiſso pignore dejerarunt: verum pars hujus characteris ſub calce latitabat, qua a me facile decuſsa, veluti in vitæ auras T exſiliit; quare τὸ CONCVSSIONIBVS ſatis importunum, etiam quoad temporum ſeriem, ut inferne dabo; aptiſſimum autem & verum τὸ MOTIBVS, præter ceteras voces a me reſtituendas, & præſertim divinanda ea, quæ collapſa ſunt tunc temporis. Atque adeo verum eſt certa ſigna exſtare in lapide τοῦ T, ut etiam Benedictus de Falco, qui init. ſæc. xv. floruit, & quoad ingenii ſui vires ferebant, brevem rudi ſtilo de antiquitatibus Neapolit. edidit lucubrationem, viderit TIBVS, quare bonus hic Benedictus reſtituit ICTIBVS. Igitur immerito contra marmoris noſtri fidem iſthæc init. pag. 238. adſcripſit Mazochius: *Hæc dum ſcriberem, in hoc ipſum Græcolatinum fragmentum incidi, quemadmodum a Grutero pag. 173. 8. exſcribente Pighio refertur, cetera correctiſſimum, niſi quod v. ult. TIBVS (non . . . IBVS) exhibetur; ex quo facile erat intelligere, ſuppleri debere terræ moTIBVS: verum T illud nec eſt, nec unquam, puto, fuit. Deinde multo plura, quam Terræ moTIBVS ſpatia æquanda requirunt.*

VII. Ignoro ſane, cur Mazochius in adnotationibus pag. 237. pinxerit Οὐέτσουιον cum bino ſibilo, quod nuſquam legimus vel Græce, vel Latine: ſcio ita editum in Strabone ab typographo Joan. Wolterſio ann. 1708. quamvis pag. 46. probe legatur Βέσουιος cum privo σ· ſed novimus etiam omne Strabonis κείμενον, licet in plurimis locis a tot doctiſſimis, æternæque famæ viris reſtitutum, adhuc innumeris mendis ſqualere: & cum ipſe ſatis multa diluero in geographica Puteolorum deſcriptione, quam poſthac luci dabo; unum ſatis turpe nunc detergam pro re nata, cum ſermo ſit de Veſuvio: dum ſiquidem Strabo lætiſſimum tunc temporis ejus montis ſitum deſcribit pag. 378. ait: Ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐέσουιον ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις πλὴν τῆς κορυφῆς, ubi in quavis editione vel eleganti exſtat περιοικούμενον· ita ut nihili eſſet geographi ſententia: *imminet his locis mons Veſuvius, qui ab optimis undique habitatur agris præter verticem:* nam rus olet, *montem habitari ab agris:* quare dejero Strabonem certo ſcripſiſſe, περικυκλούμενον ἀγροῖς, *cinctus, circumdatus agris*, inde ob inficeti ſæculi labem corruptum vides περιοικούμενον· & miror tot viros ἑλληνικωτάτους, qui circa hunc Geographi locum toties verſati ſunt, Cluerium, Cellarium, Peregrinium, Mazochium, qui etiam ſatis multa, & docta de hoc monte commentatus eſt in Kalend. Neap. a pag. 393. uſque 397. ut ſileam tot reli-

reliquos noſtrates Scriptores, hanc maculam in Strabone non vidiſſe. Ceterum nollem exputes me in hac Strabonis medela ſolummodo optima conjectura inniti, deſtitui vero alicujus Scriptoris auctoritate, cum mihi præſto ſit Procop. Gothic. rer. lib. 2. c. 4. in fin. Τὰ κάτω μὲν ἀμφιλαφὲς κύκλῳ, τὰ ὕπερθεν δὲ κρημνῶδες, κ. τ. λ. *inferiora montis* (Veſuvii) *circum undique arboribus opacis veſtitur, ſuperiora vero prærupta, &c.* vel tiro in Græcis videt breviloquentiam ἐν κύκλῳ ἀμφιλαφὲς, idem eſſe in Procopio, ac περικυκλούμενον ἀγροῖς παγκάλοις in Strabone, imo certius credam unum ab altero verba mutuatum eſſe, Procopiique ævo integrum adhuc fuiſſe Strabonis κείμενον. Et p. 420. in ipſo Strabone de Æthna eandem fere φράσιν vides, ubi pro περικυκλοῦν habes διαβάλλειν, quod valet *complecti* ac *intercipere*: Ἐστὶ δὲ ψιλὰ τὰ ἄνω χωρία, καὶ τεφρώδη, καὶ χιόνος μεστὰ τοῦ χειμῶνος· τὰ κάτω δὲ δρυμοῖς, καὶ φυτείαις διείληπται παντοδαπαῖς, *ſuperiora loca nuda ſunt, & cineribus tecta, ac per hyemem nivis plena: inferiora nemora, & omnigenæ plantationes complectuntur.* Quid ſi ipſe Strabo utatur voce κύκλος, cum agros & rura circa Æthnam commemorat? vide lib. 5. pag. 419. ubi geographus narrat Selurum famoſum prædonem τὰ ἐν κύκλῳ τῆς Αἴτνης πυκναῖς λεηλασίαις καταδεδραμηκότα, *excurſiones circum Æthnæ rura & villas feciſſe*. Ceterum, ut hanc medelam omnino firmem, ipſe Strabo de Veſuvio ſcribens voce κύκλος uſus eſt in laudato loc. paucis poſt verbis: Τάχα δὲ καὶ τῆς εὐκαρπίας τῆς κύκλῳ (Οὐεσουΐου) τοῦτ' αἴτιον, κ. τ. λ. *fortaſſis hæc etiam cauſa fertilitatis agrorum circa* (Veſuvium). Nil dubii nunc reſtat, tanta exemplorum vi prolata, quin a librariis inepta vox περιοικούμενον pro vera περικυκλούμενον in Strabonem immiſſa ſit. Neque me fugerunt Latinorum teſtimonia, licet non tam crebro cum iis verſer, quos φράσει αὐτοτελῆ uſos reperi, ac Strabonem vides, ita Plin. ep. 31. lib. 2. *Villa cingitur pulcherrimis agris*, quod Græce eſſet, περικυκλοῦται παγκάλοις ἀγροῖς· faceſſat igitur ab optimo geographo nullius pretii vox περιοικούμενον. Ut vero unde diſceſſerat, ſermo redeat, ſi id genus grandia σφάλματα in Strabone cernas, non mirum ſane, ſi illitum ſit Οὐεσσουΐον cum duplici ſibilo. Iratis muſis vivam, niſi me pœniteat Reimarum etiam in ſua Dionis, quotquot vidimus veterum Scriptorum ἐκδόσεις, elegantiſſima laudantem hunc Strabonis locum pag. 1094. non advertiſſe librariorum incuriam, atque Οὐεσσουΐον cum duplici σσ ſcripſiſſe: quod adnotandum exputo, ne tanti viri fama te turbet.

VIII. Hic iterum pro re nata σκοτεινότατον Xiphilini locum luce donandum reor in Tito p. ead. edit. Reim. ubi κύκλος in Veſuvio per quam ſecius ſumitur; quare interpretes doctiſs. tranſverſos egit: Καὶ αὐτοῦ (Βεσουβίου) τὰ μὲν ἄκρα, καὶ τὰ δένδρα, καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει· ὁ δὲ δὴ κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρὶ, καὶ ἀναδίδωσι τῆς δὲ νυκτὸς φλόγα, ὥστε, κ. τ. λ. quæ ita vertit in margine Leunclavius: *Culmina ejus montis multas arbores habent, viteſque; ſed ambitus igni expoſitus eſt, & interdiu fumum, noctu flammam*

mam ſic emittit, *ut &c.* jam ex te ipſe vides, quam male reddita ſint Latine κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρί, *ambitus igni expoſitus eſt*, nullam enim ſententiam menti exhibent: magnus Reimarus pag.1094. in nunquam ſatis laudanda Dionis ἐκδόσει, quo clariora ſint hujus hiſtorici verba, addit de ſuo *interior ambitus*, & ita reddit κύκλος vocem unicam. Verum, ut brevis ſim, κύκλος hic eſt *circus*, ſive, ut ait Strabo, κρατήρ, cetérique puriores Scriptores; Xiphilinus autem ſæculi inficeti morem ſecutus voraginem Veſuvii κύκλον dixit, quæ revera ad inſtar *circi* eſt, cum undique ſuperciliis cingatur: atque ita Martian.Capella init.lib.8.Aſtron.

Quin etiam medios, *quos nectunt culmina*, *circos.*

Et quidem in Veſuvii cratere cernere eſt *circum*, & prærupta, ac introrſum declivia culmina. *Circus* autem ætate Xiphilini audiſſe Græce κύκλος docent gloſſæ: *Circus*, κύκλος, ἐν ᾧ ἱπποδρομίαι γίνονται· hinc præclare novimus, cur Xiphilinus paucis ante verſibus hunc craterem & κύκλον dixerit, & θέατρον κυνηγετικόν. Verum magis mihi aqua hæret in verbis, Αὐτοῦ τὰ μὲν ἄκρα, καὶ τὰ δένδρα, καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει, *ipſius vertex*, *& arbores habet*, *& vites multas*, cum conſtet hujus ignivomi montis verticem ariditatis plenum, ceteraſque ejus partes arboribus conſitas πλὴν κορυφήν, *præter verticem*, ut ait Strabo, imo & *omnino ſterilem* vocat, ἄκαρπον ὅλω· eodem pacto Ætnæ culmen nobis objicit lib. *6.* pag. 420. Ἔστι δὲ ψιλὰ τὰ ἄνω χωρία, καὶ τεφρώδη, *ſuperiora loca nuda ſunt*, *& cineribus tecta*: & ipſe Xiphilinus paullo ante inquit, ταύτῃ γάρ, nempe *vertice*, πεπύρωται μόνον, *flamma ſolummodo alitur*; itaque ſibi adverſa veluti obliviosiſſimus narrat, dum Veſuvii montis ſummitatem hunc igne fœtam, nunc vitibus, atque arboribus floreſcentem dicit: porro quiſque hic librarios ſtupore incuſabit, & reponet νῶτα, *dorſa*, pro ἄκρα, ac novit vel a lexicis bene audire *montis dorſum*, & *maris dorſum*, hinc ſexcenties etiam in Hom. noſtro eſt, νῶτα θαλάσσης· vel melius confingat, οἱ μὲν ἄγροι . . . ἀμπέλους . . . ἔχουσι, ut cum Strabone conſpiret epitomator: vel demum adſcribat τὰ μὲν ἔξωθεν, *exteriora* pro ἄκρα καί, uti paucis ante verbis illevit, τὰ δὲ ἔξωθεν αὐτοῦ πάντα ἄπυρα. Conqueror ſane magnum virum Reimarum nihil hic adnotaſſe, a quo ſat lucis expetebam; quare verba Latialia ſint: *Veſuvii dorſum*, (vel *agri*, vel *exteriora*) *arbores viteſque habent*, *vorago autem*, (ſive *crater*, ſive *circus*) *ob ignem depreſſus eſt*, *atque interdiu fumum evomit*, *noctu vero flammam*, quod nihilo concinnius ac pronius. Attamen de prolixa Xiphiliniana Veſuvii deſcriptione agemus in Puteolana chorographia. Unum addam, ut a Veſuvio diſcedam, oblitum me eſſe clariſſimum Mazochium, quo ſiſtat Veſuvium adjectivam eſſe vocem, provocare ad Lucretianum verſum 747. lib.*6.* *Qualis apud Cumas locus eſt*, *montemque Veſevum*, *Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus*; & miror tantum virum verba poetæ recitare, quæ omnigena νοθείᾳ laborare, & longe expungenda edicit Havercampius, qui vera apponit, vide æternas ejus adnotationes.

Demum, ſi optes nominis originem hujus πολυβώτου montis, ne dicas Græcanicam, neque Latialem, ſed Phœniciam; habes enim ἀμέσως a binis voculis בו שביב, *ubi flamma*, quæ montis ingenio apprime reſpondent, & nil extorti ſunt Hebræi characteres. Exſpectamus ab Mazochio ἑβραϊστὶ doctiſſimo Veſuvii veriloquium fortaſſe χυεμώπρον, nam ſpondet in Neap. Kalend. p.393. *veriſſimum ex primigenia lingua*.

IX. Impetrare a me nunquam fui ſatis, ut cum erudito viro, qui a conjectionibus abripi facile patitur, credam Latinum marmoris interpretamentum non cum Græca epigraphe, ſed ſub Domitiano, vel etiam ſerius natum; ac primo ait Latinitatem adjectam, eo quod Neapolitani adverterint in nummis Domitiani cuſum titulum CENS. cum adjectione PERP. idipſum ſub Tito ſibi faciendum putarunt, & binos titulos CENS. P. P. ultimo loco in marmore ſcalpſerunt: fateor me ingratiis muſarum natum, cum hujus rationis vim minime percipiam; ceterum cum Græce exſtet τειμητής, apponendum fuit etiam Latine *cenſor*, neque id in Domitiano primum animadverterunt Neapolitani, verum in bene multis ipſius Titi lapidibus, quorum ternos paullo ante ex Pitiſco recitavimus pag.414. in quibus etiam *cenſoris* titulo honeſtatur hic princeps. Adjiciam eruditiſſimi viri verba p.237. ut tutemet dijudices, an obſcuritate laborent: *Verſu penult. cur titulus P.P. i. e. pater patriæ, ultimo loco adſcriptus fuerit (cum contra in Græco titulis omnibus præeat) non alia videtur fuiſſe cauſa, quam quod Latina interpretatio non ſub Tito ipſo, ſed poſtea ſub Domitiano, aut etiam ſerius adjecta marmori fuerit. Quo tempore cum ex Domitiani nummis (in quibus nuſquam ferme CENſoris, & plerumque cum adjectione PERPetui mentio deeſt) animadvertiſſent, ultimo loco hos titulos ambos CENS. P. P. i. e. cenſor, pater patriæ memorari; idem & in Tito ſibi faciendum putarunt.* At rogo advertas non Neapolitanos titulum ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ Græce ultimo loco appoſuiſse, ſed ipſum Mazochium, ut ante a me dictum eſt, pag.413. & cives meos inſtar ceterorum lapidum in fere extremum rejeciſse; ut in noſtro ſupplemento factum vides, quod reviſas rogo. Deinde ad nova ſemper, & ſpecioſa excogitanda pronus addit, interpretationem ſero ſubjectam, propterea quod in Latinis verſibus gymnaſticæ Titi dignitates deſiderantur: cum enim in mentem his veniſſet Romana verba adnectere, atque in imo marmore non ſatis ſpatii inſpexerint, contenti Neapolitani Cæſareis dumtaxat titulis, a gymnaſticis ſuperſederunt, ad quæ, Latine præſertim circumloquenda, duobus aliis verſibus opus fuiſſet: hæc vir ſummus: quæ verba affabre concepta, & viri auctoritas cuique vel ſatis cato imponerent, atque extorquerent fidem.

Verum nemo, cui cor ſapit, credat Neapolitanum illum architectum artis ſuæ adeo rudem, ut marmor magnificentiſſimo ædificio alte affigendum fere ſexdecim palm. longum, latumque ſenos quoad tertiam ſpatii partem litteris deſertum reliquiſſe; contra vero ſi omnem ejus

aream

Digitized by Google

aream Græcis illis ϛοιχείοις compleviſſet, hæc patentiora legentibus eſſent, ac rotundiora, nec in ſuo munere tam fœde peccaſſet: & quotquot Romæ egomet vidi operum publicorum litterata ſaxa, ſurſum deorſum inſcalpſere artifices. Sane Mazochius ipſe civi ſuo, ſcalptori tituli Campani amphitheatri, in cujus reſtitutione jure æternum ſibi paravit decus, nihil peperciſſet, niſi ſi per omne marmoris intervallum litteras συμμέτρως diſpenſaſſet: nollem autem ut per luſum quis dicat Neapolitanum epigraphes architectum haruſpicem fuiſſe, atque divinum, qui ſub Domitiano civitatem Neapolim coloniam Romanam futuram præſciverit, atque omne illud marmoris ſpatium haud ſcalptum reliquerit, quo Latine multis poſt annis ſcriberetur, poſterique jus Romanæ coloniæ Neapolitanos accepiſſe ſcirent, vide Mazoch. ibid. ajentem: *Nec alia poſtremo de cauſa Latine tunc redditum epigramma, quam quod ſub eo principe Neapolis colonia Romana evaſiſſet*. Si vero gymnaſtica munera Latialiter reddita minime vides, ne fidem magno viro præſtes factum ab Neapolitanis ob ſpatii caritatem, ſed eo quod vocum egentiſſimum ſit Latium, ut vim Græcam ac poteſtatem adſequatur; quis enim Latine vel multis verbis dicat ἀγωνοθετήσας; ne ipſe quidem eloquentiſſimus Mazochius, cui cum plurima invideam, ejus dicendi ardua quæque, & perplexa facilitatem mihi quotidie apprecor; quare potius fuit Neapolitanis Græcanicas voces præteriiſſe, quam Latina inficeta, atque nil reſpondentia ſcalpere. Adde nihil obſtitiſſe ſpatii anguſtias, quo omne elogium Latinitati redderetur; ſatis enim erat tum minora intervalla inter unumquemque verſum relinquere, tum paullo, quam nunc cernis, brevioribus elementis uti; unus enim verſus non Latine transfuſus deſideratur; in cujus rei cauſa eſt una Latialis dicendi pauperies.

x. Demum colligit Mazochius interpretamentum acceſſiſſe poſt Titum ex diſparitate characterum Græcorum a Latinis, quam quidem *enormem* edicit: verum reor marmor non fuiſſe ſubjectum oculis fidelibus Mazochii, quem, hebeſcente ætate, ad lapidis locum itare piguit, paruitque fidei quorumdam exſcriptorum in re palæographica omnino hoſpitum ac tironum; quare in Mazochiano epigraphes exemplari litterarum lineolas, quas exiles pingendas oportuit, craſſiores vides, & contra; quas ἀκεφάλους, capitulatas, quaſdam male curuas, barbare fere omnes expreſſas; conſulas exemplar, quod ipſe in laborioſo opere ſuo incidendum curavit, nam longe grandius eſt eo, quod hic a me exſcriptum eſt. Profecto male me habet in exſcribendo Campani amphitheatri fracto titulo nihil poſthabuiſſe Mazochium, uſumque ſollertiori, atque obſequentiori calligrapho, idque cum primis mihi conſtat; utinam eandem curam in noſtrate hac mutila epigraphe, quæ Campano titulo nihilo deterior eſt, prompſiſſet. Ipſe autem cum centies patrium marmor inviſiſſem, ϛοιχείων utriuſque linguæ concinnitatem miratus ſum, quam Claudiorum ævo egregiam viguiſſe norunt omnes, præſertim in publicis ingentium ædificiorum ope-

 ribus;

ribus; Neapolitanæque Reip. gratulor, quæ ſinu fovet maximorum peræque, ac politiſſimorum characterum Græcorum exemplar, quos ejuſdem elegantiæ alibi gentium invenire haud ſperes. *Enormem* illam, quam doctiſſimo Mazochio obtruſere diſparitatem Græce, & Latine, neminem adhuc tot eruditorum, qui lapidem exſcripſere, advertiſſe ſcimus; ipſe autem utriuſque characteres certius juro ab eadem manu ſcalptos, quam ab uno ovo natos Dioſcuros.

Ignoro, cur Mazochius incuſet Neapolitanos, quod mediam lineolam τȣ̃ A aliter Græce, aliter Latine cælaverint, & quod eiſdem laudi vertendum, noxam reputet: etenim etiam Montfauconius in Palæogr. pag. 126. & Havercampius in diſſert. de litt. Gr. pag. 240. talem principis elementi picturam commendat, & exempla profert pag. 189. & 292. Porro ſcias fere omnes Græcos noſtrates lapides ita ſcalptum hunc characterem præferre: urbem circumire ne te pigeat. Atque exputo facile Neapolitanos hanc τȣ̃ A picturam a Latinis diverſam Athenienſibus, ultimis ſuis colonis acceptam referre: etenim Rex fortunatiſſimus protomen æneam juvenis omnium pulcherrimi in Herculanei ruinis reperit, tantaque arte ſpectabilem, ut parem ne exoptent Principes; cumque Athenis advecta fuerit, haud erres, ſi mecum conſpires eſſe Alcibiadis vultum, quem admiranda ſpecie floruiſſe novimus; vide Nepotem, & Plutarchum; circa pectus legere eſt artificis nomen, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΑΡΧΙΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ, hinc dignoſces tanti pretii, ac laboris eſſe opus, ut Apollonius, (quem ſtatuarium antehac ignorabamus,) famam ab eo ſibi æternam conciliaturum jure crediderit. Multa ineſt in his elementis mundities & concinnitas, & in quadruplo τῷ A, quod vides, lineola tranſverſa in angulum inflectitur, ita ut ex æneo monumento Athenienſi quadrigentis circiter ante Chriſtum natum annis fuſo exemplar hujus litteræ ſumendum edicas; hinc commendandi Neapolitani, utpote genere, & lingua Athenienſes, uti inferne ex plurimis documentis oſtendam, qui etiam Attica ϛοιχεῖα imitati ſunt. Contra ſi in A Latiari ea lineola recta ſit, etiam hac in re veteres cives meos laudes oportet, qui noverant Romanos in nummis, ac in epigrammatis operum publicorum ea forma illud ſcalpſiſſe; teſtes ſunt tot Romæ adhuc exſtantia monumenta, præſertim Trajani opus, ac immane artis miraculum, columnam, cujus litteræ adeo eleganter cælatæ ſunt, ut ab eiſdem normam ſumendam univerſi conjuraverimus. Adde Regem Dominum noſtrum ab Herculaneo bene multos characteres æneos, quos magnificentiſſimo operi affixos fuiſſe oportuit, adquiſiviſſe, ea longitudine, ut vix præſtes fidem, pollicum ſcilicet circiter quatuor & viginti, tanta elegantia fuſos, ut omnium votis Principi noſtro gratulemur, eo quod nactus ſit Romanarum litterarum ſæculi ſapientioris ſpecimen; inter eos videre eſt A elementum cum tranſverſaria linea in directum tendente. Ex quibus tum Græce, tum Latine æneis, & marmoreis cultiſſimæ ætatis monumentis haud ſcio, an jure

ſcri-

Digitized by Google

ſcripſerit Mazochius: *Poſt Titum acceſſiſſe interpretamentum indicat etiam litterarum (multo plus Græce , quam Latine elegantium) enormis diſparitas, & quod τῦ A tranſverſaria linea in Græco ſinuatur in angulum ; ut facile appareat diverſam fuiſſe diverſo tempore ſcalpentis manum.* Porro ſi ſecundum hanc doctiſs. viri ſententiam Neapolitani elementum princeps peræque in utraque lingua in ſaxum incidiſſent, ex iis, quæ dicta ſunt, hos characterum ſcientia deſertiſſimos quiſque arceſſeret, eiſdemque ipſe iratus viverem. Hinc typographos omnes tum noſtrates, tum qui longe gentium ſunt, monendos jubeo ea forma τὸ A poſthac Græce confingere, quo elegans ejus vetus figura reſtituatur, cum ab publici operis lapidibus, atque ab id genus præclaræ vetuſtatis monumentis verum inſtar litterarum exprimendum ſit. Omnium poſtremo me piget Mazochium DIVI honorem Latine denato Veſpaſiano patri invidiſſe, vel potius ob ſpatii caritatem non illeviſſe ſupplemento, cum Græce jure adſcripſerit ΘΕΟΥ. Atque hæc ſatis in mancum theatri Neapolitani litteratum lapidem, ac in præclarum eruditiſſimi Mazochii additamentum.

P A R S   A L T E R A.

Neapolim nunquam fuiſſe coloniam adverſus eruditiſſimos viros oſtenditur, & fides multorum marmorum, quæ recitant, elevatur.

I. QUORUNDAM *ſententia hac de re profertur, præſertim* Camill. Peregrinii. *Numiſmata Neapoli cuſa liberam civitatem oſtendunt.* II. *Reineſius, quæ de Neap. aggerit colonia, miſta, & turbata ; Mazochius eadem licet aptius diſponat, nothias plena eſſe haud novit : uti eſt titulus Octavio Agathæ erectus, in quo de* Nolana, *non de* Neapolitana *colonia ſermo eſt.* III. *Saxum Ligorii, quod ſumma vi contra libertatem Neap. urget idem ſummus vir, putide fictum multis oſtenditur, cum præcipue chronologiam, atque hiſtoriam evertat ; de Muratorio querelæ. Idipſum dicendum de lapide* Bæbiano. *Scotto reſiſtitur.* IV. *Marmora δίγλωττα nil oſtendunt urbes, in queis ſunt, evaſiſſe colonias : de titulo ſanctiſs. Crucis, & numiſmate Tiberii. Veram rationem lapidum πολυγλώττων affert Capitolinus, quam non vidit Mazochius. Vocem ἔνιοι in Strabone male verſam divinatur.* V. *Silex Campanus δίγλωττος expenditur, & ſanatur, utpote peſſime ſcalptus ; pro re nata marmor Paphiani cujuſdam reſtituitur fortaſſe emaculatius præ D'Orvillio ; quid βιότυ στίφανος, & τέλος θανάτοιο.* VI. *Σφάλμα μνημονικὸν Mazochii. Neque poſteriori ævo Neapolim titulo coloniæ ſibi placuiſſe conſtat, quod vult idem vir ſummus, &, quos producit a Reineſio lapides, noſtrates haud eſſe oſtenditur. Longe diſtat vox* Herculeus *ab* Herculaneus. *Herculaneum nil dubii, quin coloniæ audiverit : colonorum ſub Tito nomina in lapidibus nuper repertis ſculpta. Vox οἰκιστὴς in Dione contra doctiſs. interpretes nunc primum firmatur; ea de re Perizonii, & reliquorum ἀρχαιολόγων lites, & librariorum ſtupor.*

I. HIC autem locus eſſet tandem, ut mei longioris ſupplementi rationes adſcriberem, quo legentium exſpectationi reſponderem ; verum cum ob hoc

Digitized by Google

hoc jam nunc celeberrimum noſtras elogium, duas prolixiores διατριβὰς doctas more ſuo, ac laborioſas adnexuerit Mazochius, ac in prima dicat Neapolim fuiſſe vere Romanam coloniam pag. 238. in ſecunda ab ævo priorum Cæſarum civium meorum veterum pleramque, aut ſaltem cultiorem partem ob Romanorum frequentiam evaſiſſe Latini oris, imumque vulgus dumtaxat Græce inter ſe per longum tempus verba commutaſſe, tandem omnes Romanis legibus vixiſſe, atque ἐκβεβαρβαρῶσθαι, de Eccleſ. Neap. &c. pag. 102. partes meas eſſe reor, an hoc duplex Mazochianum πρόβλημα, utpote civilitati Neapolitanæ turpe, atque ἀπρεπές, certum ſit, ad excutiendum prius aggredi, deinde ſupplementi periculum ſubiturum. Scio me longe plurimum vagari; verum in mentem revocanda eſt, quam ab initio hujus capitis expetivi, venia. Et quidem quoad Neap. coloniam, ne credas me adeo projectum ad audendum, ſi omnino pernegem veteres cives meos in jura Romanæ coloniæ, etiamſi dicas honoris ergo, deſciviſſe; ſcio ſummos viros ea de re ad ſatietatem diſputaſſe, verum lis erat adhuc quaſi integra ante Mazochium: ſententia ditior ea ſemper habita eſt, & pleriſque omnibus probabatur, quæ de coloniæ jure ampliandum edicebat, ſtandumque potius pro omnimoda Græcanica libertate, & αὐταρχείᾳ· imo ipſe Capacius p. *61.* qui Neapolim inter colonias accenſet, & liberæ reip. jacturam feciſſe ait, fatetur tandem: *Tanta nihilominus in ea eſt varietas, & tam pauca de Neapolitana colonia habemus, ut ignorem, quid decernam*. Contra vero, poſtquam magni nominis vir Mazochius Neapolitanorum libertati adverſantiſſimam ſententiam tutatus eſt, fateor me ægerrime audiviſſe quoſdam obſtrepentes, de ea jam conclamatum eſſe.

Pro omnimoda hac Neapolitanorum libertate pauca apponam, quo brevis ſim, cl. Mazochii rationum vim elevare ſolummodo in animo eſt, quo liberrimæ reipublicæ veterum civium decori ac majeſtati conſultum eam. Et ſane melioris notæ, & Græce docti noſtrates Scriptores immunitatem legum Romanarum potioribus monumentis jam tutati ſunt, quorum principes ſunt Petrus Laſena, & Cam. Peregrinius; atque hic ſane tantam argumentorum vim aggeſſit, ut ſeptenas denas paginas impleat, vide pag. 724. & ſeqq. quas ea in re omnes impendit, cui multam gratiam habeamus oportet; & pauca quædam etiam antea pag. 308. tanquam antecænium præmiſerat, ac utrobique clariſſime præſtat Neapolitanos Græcanica αὐτονομίᾳ victitaſſe, legumque Romanarum onus nunquam ſubiiſſe. Hic autem quis mecum non mirabitur Mazochium æternæ lectionis virum oblitum eſſe, (negem poſthabuiſſe,) ſatis multa, quæ pro libera republica Neapolitana Peregrinius illeverat? nullus dubito, quin ſi ſummo viro ſententiam ſui τοῦ συμπολίτου in mentem adveniſſet, cum eo profecto conjuraſſet, civiliter enim vivimus, civeſque niſi ſi coacte oppugnamus; quare antea tot Peregrinii rationes evincendæ ſunt ac propulſandæ, quo in Mazochianam opinationem abeundum ſit: piget autem eas

hic

hic recoquere, cum ejus optimæ frugis plenum de Campania opus in omnium manibus verſetur. Verum ne oblivifcaris advertere in Peregrinio antiquam, atque ἔμφυτον illam in Neapolitanos, etiam dum commendare eos fatagit, (urgetur enim vehementibus Scriptorum teſtimoniis,) ζηλοτυπίαν, qui hanc ab colonia, & Rom. legibus immunitatem, quantum potis eſt, imminuit, atque πολύτροπος, ſummaque arte involvit turbatque.

Licet ex ſcriptis ſaxis, quæ ab ævo Peregrinii in lucem venere Neapolitanæ non una libertatis argumenta trahi poſſint, (ſunt autem longe poſt Domitiani Auguſti tempora, quibus conſtitutam coloniam Neapolitanam, ac peſſumdatam libertatem evincere vult Mazochius,) in iiſque lapidibus eandem colliges ἑλληνικὴν διαγωγήν, quos mixtim inferne apponam lapides, eos nunc prætereundos reor, ne longus ſim; id unum addam, quo certiſſime firmari exputo Neapolitanos liberos floruiſſe, ab externiſque legibus & inſtitutis omnino abhorruiſſe; illudque petitur ex ipſis Neapolitanorum nummis, quorum ne unum quidem ex innumeris elegantiæ plenis, quos fortuna ad patriæ decus ſervavit, reperias, qui ſecundum Romanas leges cuſus ſit, ſed univerſi liberrimæ reipublicæ utramque faciem præferunt, uti norunt, quotquot nummariis inſtitutionibus vel parum imbuti ſunt: ſexcenta id genus numiſmata refert Capacius noſter de rebus Neapolitanis ante omnes benemerentiſſimus, quem inviſere ne te pigeat. Verum his poſthabitis, potius duco cl. Mazochii momenta expendere, quæ non tanti ponderis reputes, ut ei melius, quam Peregrinio adſentiendum; ejuſque differendi ordinem ab pag. 238. laudatiſſimi operis ſervare in animo eſt. Si etenim hac in re litteraria hoſtem potentiſſimum ſuperem, cujus dicendi virtus pæne Attica quemque non bene catum trahit atque percellit, de patriæ veteri libertate nullusdum poſthac formidet.

II. Porro quotquot in erudita Mazochii diatriba cap. 2. & part. 2. c. 1. 2. 3. & 4. marmorum titulos vides, omnes jam collegerat Reineſius cl. VI. 70. pro tuenda Neapolitana colonia, diſpari tamen ſtudio: hic enim, utpote longe regionum noſtrarum natus turbat omnia, miſcetque, dum πολιτείαν veterem Neapolitanorum, ac magiſtratus expendere aggreditur, cujus longiorem adnotationem cum ipſe iterato lectitaſſem, fatendum eſt nil luculente percepiſſe; contra vero Mazochius ſecundas addidit curas, & quæ non bene concoxerat Reineſius, aptius digeſſit, & optimus faber ex trunco ſat informi Deum feciſſe, atque belle exaſciaſſe ratus eſt. Porro hi duoviri doctiſſimi contra Neap. remp. duo ſaxa promunt, unum ex Panvinio, quod Romæ exſtat, nempe, GENIO COLONIAE NEAP. atque an dubium ſit, aut de Neapoli Campaniæ loquatur, judicent ceteri: nam longe gentium ab hac urbe exſtabat, & neſcio qua arte ſileat id Mazochius; qui fatetur tamen longiorem eam epigraphem ſe vidiſſe: atque iterum taciturnitate premit, quo in loco hanc alteram Neapoli viderit; inquit enim

Digitized by Google

enim: *Quam me copioſiorem Neapoli vidiſſe memini, quæ eadem, an diverſa a Panviniana ſit, ignoro. Quam dixi longiorem, ea ſic habet:*

ORDO . ET . POPVLVS . NEAPOLITANVS

GENIO . COLONIAE . NEAPOLITANAE

Attamen non tanti curamus monumenta, quæ non proſtent, & quæ κατὰ μνήμην ſolummodo recitentur: & emunctæ naris viri haud olfaciunt inter quaterna lapidis verba bis exſculptam vocem prolixiorem NEAPOLITANVS, & altera videtur παρέλκειν. Alterum ſaxum, quippe quod apud Capacium noſtrum legitur, *M. Aurelio Pelagio patrono coloniæ Neapol. pientiſſimo*, majoris momenti eſt; cum autem unicum ſit, hinc ſane amiſſam ab Neapolitanis Græcanicam vivendi liberam rationem nullus colliget; quis autem de libertatis negotio, ac reip. ſtatu teſtem unum acceptet? Præſertim cum Peregrinus ſexcentenos pro ea tuenda proferat: ceterum ipſe paullo inferne clariſſime patefaciam Latialium characterum lapides, qui Neapoli nunc ſunt, vel de hac urbe recitantur, aut aliunde translatos, aut confictos.

Urgent iidem duoviri eruditiſſimi, & fortius Reineſio Mazochius cap. 2. titulum quendam Octavio Agathæ erectum, digito oſtentantes, qui & Neapoli viſitur, & Agatha P. C. N. ideſt *Patronus Coloniæ Neap.* ſalutatur, edicitque Mazochius, *hunc lapidem Laſenæ*, (ac proinde etiam Peregrinii ſui) *ſententiam jugulare, ex eoque conſtare Neapolim reip. ſtatum cum Romana civilitate commutaſſe:* titulus utpote longior legi poteſt vel in Grutero, vel in Capacio pag. 98. vel in hac Mazochiana diatriba. Verum ut cito me expediam, niſi ſi odio muſis ſim, nihil hoc lapide levius, ac infirmius contra liberam, ac Græcanicam Neapolitanorum διαγωγήν· nam τὰ στοιχεῖα P.C.N. facile quivis refundet in *patronus coloniæ Nolanæ;* cum hoc decretum ſcriptum ſit, lapide aperte id teſtante, *in curia Baſilicæ Aug. Annian.* templum autem, ſive curiam, quæ idem plerumque audit, Auguſto Nolæ erectum, & ab Tiberio dedicatum narrat Tac. lib. 4. cap. 57. & quantum de hoc principe benemeriti fuerint Nolani, vide Scriptores, cujuſcumque pretii ſint, de rebus Nolanis. Conſtat etiam & ab Sylla, & ab Auguſto in eam urbem coloniam deductam ex non unis ſaxis, in quibus leges, COL. FEL. AVG. NOLA, Capac. p. 882. cum igitur in Octavii Agathæ cippo *curiam Aug.* cernere ſit, quæ Nolæ fuerat, non vero Neapoli; in hac etenim urbe nunquam ulli Cæſarum erectum templum, neque cuſos nummos memoriæ proditum eſt, utpote libera civitate, profecto ἀλόγως ſe haberet quiſquis poſthac Nolæ, Latini oris oppido nobilem hunc lapidem abjudicaret. Scio ex Capacio p. 88. ſaxum adhuc Neapoli exſtare ad Divi Gregorii campanariam turrim, ſed neſcio, cur Mazochius de marmoris loco Grutero potius, quam Capacio fidem præſtet: imo inibi adhuc viſitur; verum cum ea turris pau-

cis

Digitized by Google

cis abhinc annis elegantius reſtituta ſit, ſceleſtiſſimi ſtructores, & architectus, quæ horum illitteratorum hominum κακοήθεια eſt, ſcriptam marmoris faciem intra murum occuluere, nobiſque rude, & ἄφωνον cippi tergum, vel latus objecere; in quo icuncula quædam ſat detrita ſcalpta eſt: placuit autem infrunito turris fabro imagunculam melius oſtentare, quam litteras; quare vereor, ne bona characterum pars peſſum iverit. Adde adeo verum eſſe hunc Octavii Agathæ cippum Neapolitanum non eſſe, ut vel Capacius id oboluerit, licet vellet Puteolanum, vel Cumanum. Neque moleſtus mihi ſis, atque reponas ſaxum Neapolitanos erexiſſe, cum hujus urbis ædificio affixum ſit; verum Nolanos Scriptores ſæpe conqueſtos ſcimus Neapolitanos proceres vel ad ornatum, vel ad fulcimentum ſuarum ædium Nola Neapolim plurima id genus vetuſtatis monumenta comportaſſe; quin hic ſane, pag. ſcil. 238. Mazochius vicem temporum dolet opportune: *Quos titulos deſcriptores nobis pro Neapolitanis propinarunt, eorum pars vix fortaſſis centeſima ad Neapolim pertinent, quorum plurimos Puteolis, Bajis, Miſeno, Cumis, Capua, aut undelibet allatos fuiſſe . . . comperi*, neſcio, cur Nolam reticeat Mazochius. Adde ſummum virum exiſtimare etiam Hydrunto Neapolim litterata marmora transvecta, in Camp. amphit. p. 116. Poſſem lubens Capacio adſentiri conjectanti marmor hoc Agathæ Puteolanorum fuiſſe, ſed mea ſolummodo intereſt non eſſe Neapolitanum: nam reperio in Grutero 355. 1. (quod ex Capacio exſcripſit, vide Puteol. hiſt. pag. 7.) ſimile grande ſaxum in Puteolorum littore repertum, ac in ædes Pontani transvectum, in quo eadem CVRIA AVG. ANNIAN. inſcripta eſt, idemque fere decreti exemplar, quod utpote longius, hic etiam piget allinere; neque dubites, quin Octavio Agathæ ſtatuam Puteolani erexerint, tum ob merita in cives, tum quia in aliena urbe, Nolæ ſcil. *coloniæ* patronatum obtinuerat. Capacii bona conjectura enixe firmatur, eo quod in Agathæ lapide bis *honeſtiſſimum corpus dendrophororum* mentio eſt, eorumque conſenſu ſtatua erigitur; quod quidem collegium Puteolis fuiſſe celebratiſſimum conſtat ex ingenti ſaxo, quod Capacii ævo inibi repertum eſt, conſulas hujus hiſtoriam Puteol. pag. 29. in eoque legere eſt creatos pluſquam octoginta ex dendrophoris, quorum omnium nomina in utraque lapidis area repetita vides. Quis igitur poſthac non iraſcatur iis, qui hoc Octavii Agathæ marmor pro tuenda Neap. colonia objiciant? Silentio minime prætereundum, tantum virum in pag. 238. ut omnem hanc paginam adverſus Neapolitanam libertatem impleat (nam capitis 2. verba vix duodeviginti arctiſſimæ columnæ verſus occupant, vide quam parvis machinamentis magnam noſtræ libertatis molem oppugnare occœpit!) longiorem ſermonem inſtituere, quo magnum Scaligerum caſtiget, eo quod Puteolanum cippum de Neapolitana colonia interpretatur; cui ſummo viro parum gratiæ referimus, cum jam id in Scaligerum adverterat Gruterus, licet ea de re ſileat Mazochius.

III. Non autem in eo ſolummodo deſerbuit hujus feliciſſimi ingenii Campana vis & ardor, ut feſtiva Græcanica libertate Neapolitanos ſpoliaret; verum longius progreſsus eſt, annum etiam ipſum, quo legum Rom. jugum Neapolis ſubiit, edicit, ſub Nerva ſcilicet, quem ſcimus menſes ſenos denos, uti in bene longa adnotatione evincit Tillem. in Nerv. imperium rexiſſe. Omnis autem hæc ſummi viri ſupputationis ἀκρίβεια Ligoriano ſaxo innititur erecto cuidam L. Bæbio Cominio:

L·BAEBIO·L·F·GALER
COMINIO·MIN·
PRAEF·FABRUM·PRAEF·AERARI·S·
PRAEF·CAMPANIAE·ET·APPVLIAE
PROC·$\overline{XX}$·HEREDITATIVM·PROC
FISCI·IVDAICI·PROC·HER·CADVCOR
PROC·VENICVLORVM·PER·ITALIAE
AB·IMP·CAESARI·NERVAE·AVGVST
PROPR·AFRICAE·ET·AEGYP·CVRAT
VIARVM·STERNENDARVM·PATRO
NO·COLONIAE·H·V·STAT·ÆNEAM
S·P·Q·NEAPOLITANVS
D·DD·

Hic porro L. Bæbius, ait Mazochius, *Cominius haud diverſus ab illo eſt, quem alter Neapolitanus cippus commonſtrat, quem Gruterus p. 373. 2. recitat:*

S·P·Q·NEAPOLITANVS
L·BAEBIO·L·F·GAL·COMINIO
PATRONO·COLONIE

Ergo utriuſque marmoris L. Bæbius Galeria Cominius patronus Neapol. coloniæ, cum ſub Nerva honores geſſerit, neceſſe eſt Neapol. coloniam, aut ſub ipſo Nerva, aut circiter ea tempora fuiſſe conſcriptam : atque hæc omnis argumenti ratio eſt, qua vir ὁ πάνυ ætatem certam coloniæ firmat. Quæ cum tam belle præſtet, nemo niſi incredulus oderit: & parum abfuit, quin & ipſe ab viri auctoritate, & binis lapidum monumentis, ac pondere abducerer. Verum miror Mazochii vim odoram ſtatim non olfeciſſe Ligorium noſtrum longiſſimæ Bæbianæ inſcriptionis architectum fuiſſe, quem ceteroqui in his monumentis confingendis norunt omnes fide non parum jamdudum periclitatum eſſe. Quis etenim tam pinguis, ut credat ſaxum γνήσιον eſſe, quod κατ' εὐθὺ certis hiſtoriæ monumentis adverſatur? In eo quidem ſcalptum eſt Bæbium ab Imp. Nerva

va creatum *proc.* XX *hereditatium*, *proc. fiſci Judaici*, & *proc. vehiculorum per Italiam;* ſicuti hic ipſe Mazochius fatetur: inquit enim, *hic verſus*, ſcil. ab Imp. Cæſare Nerva Auguſt. *ad præcedentem*, *in quo vehiculorum eſt mentio*, *eſt referendus*, *non ad ſequentem*, (ſcil. proc. Africæ, &c.) *nam huc pertinet nummi Nervæ celeberrima inſcriptio;* vehiculatione Italiæ remiſſa, *ſicuti & quod verſu proxime ſuperiore ſcribitur*, proc. fiſci Judaici, *id ad alterum Nervæ nummum refertur*, *in quo legitur*, fiſci Judaici calumnia ſublata: huc uſque vir ſummus. Sed contra eſt, ſi certum ſit imperii initio Romanos, Judæoſque his oneribus Nervam principem indulgentiſs. liberaſſe, qui fieri poteſt, ut ſimul horum vectigalium procuratorem crearet, a quibus jam populos exemerat? Et vix oculis fidelibus fidem præſto, dum Mazochii, viri ingenii erectiſſimi membranis illitum lego ea tributa jam ab hoc Cæſare remiſſa, interea hac de re ad notiſſima Nervæ numiſmata provocat, quo Ligorianum mendaciſſimum ſaxum tueatur, quæ nonniſi ad turpem ejuſdem νοθείαν detegendam quiſque ſtatim exhibuiſſet. Præter hæc haud aberrem, ſi XX hereditatium procuratorem ab Nerva creatum quemquam negem; cum enim ab Auguſto hoc indictum eſſet vectigal, Nerva ſubjectas ſibi gentes magna ex parte eo ab onere liberaverat, vide, ut ceteros taceam, Tillemontium, & Burmannum de Vectigal. pag. 168. de hoc per quam mihi longe conqueri liceat, qui, quanquam ſelectiſſimæ eruditionis ſegetem de XX hereditatium collegerit, tamen de binis vectigalibus, nim. vehiculationis, & fiſci Judaici obliviosiſſimum ſe præſtitit.

Adde doloſum eſſe hunc Ligorianum lapidem vel ex eo, quod inter titulos adſcripſerit H.V. *honoratum virum*, ut appoſite interpretatur Mazochius, licet aliter Muratorius; verum haud ſcio, an ſint voces felicioris Nervæ tempeſtatis, licet Mazochius adſtruat: *H. V. videntur explicanda*, honorato viro, *cujuſmodi honoratorum plurima eſt in inſcriptionibus*, & *jure Romano mentio*. Verum Pandectes eam vocem fortaſſe haud adhibuit, & nec reperies in ſaxis Nervæ συγχρόνοις· videtur ῥῆτις enata Lampridii ævo, ſcil. medio ſæculo tertio, vid. hiſt. Aug. to. I. p. 970. ubi me piget oppido pauca contra morem adnotaſſe Salmaſium. Reddit etiam fidei ſubleſtiſſimæ ſaxum tot titulorum congeries, & præfecturarum; ita ut videatur ſane Ligorius ex variis marmoribus ea munia collegiſſe mixtim, atque in unum coagmentaſſe, quo *optimo*, *atque præſtantiſſimo*, uti vocat Mazochius, lapide Neapolim cohoneſtaret. Demum fallax Ligorii ingenium ſe prodit propalam in autographo, quod in Regis noſtri bibliotheca proſtat, atque inviſere coactus ſum; hæc enim inſcriptionis mundo margini adjecit Ligorius: *nel Caſtello vecchio a porta Capoana*, *conſumato;* ſi igitur ævo ſuo marmor conſumptum, ac vetuſtate obliteratum dicit, quo pacto ipſe exſcripſerat? vides ſane Ligorium ideo detritum adſerere, quo nemo ad illud conſulendum accederet, pateretque dolus.

 Ad-

Digitized by Google

Adde errores, quibus marmor turpiter ſqualet, uti ſunt, *veniculorum: per Italiæ : ab Cæſari Nervæ*, adeo decumanos eſſe, ut cuivis inepto ejus felicioris temporis ſcalptori haud excidere potuiſſent, ſi dicas a ſaxo Ligorium epigraphen exſcripſiſſe : qui tamen facile ſe doctis viris imponere poſſe ratus, ſi grandibus σφάλμασι eam horridam finxiſſet; verum a bono Ligorio temporum ratio nulla habita eſt. Ut ſileam de extremis ternis D. DD. ita punctis diſtinctis, quas *decreto decurionum* ſi explices, binæ ſatis fuiſſent, ut in millenis ſaxis: & Neapolitani pueri ſciunt in noſtra urbe tunc temporis non *decurionatum*, ſed *demarchatum* viguiſſe, cum Hadrianus demarchi munere fungi optaverit, ut inferne dabo. Demum apud cordatos viros plurimum ponderis habeat neceſſe eſt, ſaxum Cominianum in tam patenti noſtræ urbis loco, ac hominum frequentia celebratiſſimo erectum, unum Ligorium vidiſſe, tot autem rerum Neapolitanarum Scriptores veluti inficetos ac bardos omnino illud poſthabuiſſe. Quis poſthac non miretur ætatem coloniæ Neapolitanæ ex ineptiſſime conficto marmore eduxiſſe Mazochium? præſertim qui Ligorianam fidem jamdiu perſpectam. habuerat, cum in celeberrima Epiſtola de Dedicat. ſub aſcia pag. 143. hæc præclara elogia de Ligorio intexuerit : *Ex Pyrrhi Ligorii ſcriptis* (*quem quidem hujuſmodi fallaciarum manifeſtum millies deprehendi*) *eam inſcriptionem Langermannus deſcripſerat*, *quam proinde* νοθείας *valde ſuſpectam arbitror* : & ibid. pag. 300. col. 2. *A Ligorianis* (inſcriptionibus,) *eæ ſunt num. quinque*, νοθείας *ſuſpicionem non amolior ; notum eſt hominis ingenium placentis ſibi in hujuſmodi fabricis*. Porro ſi *millies* fallacem Ligorium deprehendit, cur in hoc Cominiano epigrammate nihil de iſto inſcriptionum conſarcinatore addubitarit ? Imo in Kalend. Neapolitano pag. 357. in adnot. idipſum de Ligorio conqueritur. Pluris igitur πολυθρύλλητον aſciam ſuam Mazochius, quam noſtram Neapolitanorum libertatem curavit, atque Ligorius ſalutandus ἀκίβδηλος, cum ſummo viro libuerit, proque re ſua fecerit. Jure quidem Emmanuel Martinus vir politiſſimus in Ligorii collectanea ita excanduit : *Quas ego merces*, *Deos iratos omnes habeam*, *ſi emam vitioſa nuce*. *Quid credidere impoſtores illi poſteros fore fungos*, *aut ſtipites?* epiſtolar. lib. 3. pag. 154. Amſtelæd. Piget me etiam Muratorium hoc marmor tanquam minime ſpurium theſauro ſuo pag. 1112. *6*. adſcripſiſſe. Haud prætereundum reor, quod mens mihi nunc ſuggerit: ſi Mazochius parum itineris ſubiiſſet, atque Regis D. N. bibliothecam inviſiſſet, αὐτογράφῳ Ligorii inſpecto iis erroribus ſqualente, & verbis illis, quæ ſunt in ora, lectis, turpe mendacium oboluiſſet, & fortaſſe a coloniæ dedecore Neapolitanos abſterſiſſet.

Supparem auctoritatem alterum breve Bæbii Cominii marmor, quod paullo ante adſcripſi, habeat neceſſe eſt, cum ipſe doctiſs. Mazochius lubens fateatur Gruterum ex Golzio Neapoli affigere, ſchedas vero Cittadini Canuſiæ appoſuiſſe, atque conjecturis haud ſcio an bonis tantam lo-

Digitized by Google

locorum diſtantiam conciliare enitatur: inquit enim duplex ejus Cominiani ſaxi exemplar exſcalptum, alterum Neapoli, Canuſiæ alterum, quem Cominium Canuſinum fuiſſe hariolatur vir ſummus: *Hunc lapidem*, inquit, pag. 240. in adnot. *Cittadini ſchedæ Canuſiæ ponunt; cujus exemplum, quia altero verſu plura habet, videtur una eademque inſcriptio non tantum Neapoli, ſed & Canuſiæ (fortaſſe quod Bæbius domo Canuſinus eſſet) proſtitiſſe:* verum tantine erat titulus, *patronus coloniæ Neap.* ut Canuſia urbs non parvi nominis, ſi cives ſuos illum adeptos eſſe ſciret, marmoribus ſculperet? quod ſi quis credat, incidiſſent ita Canuſini: *Cominio patrono col. Neap. S. P. Q. Canuſinus D. D.* Porro ſi civi huic ſuo Canuſini elogium in ſaxo incidendum ad patriæ decus optaſſent, Ligorianum potius marmor tot titulorum congerie onuſtum, quod ſincerum vult Mazochius, non autem breviſſimum hoc, atque uno patronatu vix decorum elegiſſent. Demum nihil magis hujus lapidis fidem elevat, quam Andreas Schottus, qui in adnot. in Frontinum de Coloniis per quam diverſe illum exſcripſit, & Bæbium *Cominium* in Bæbium *Geminium* confictum cernis, verſuumque ordinem turbatum: ita ut primus extremus evaſerit, adjectis τοῖς D. D.

L · BAEBIO · L · F
GAL · GEMINIO
PATRONO · COLONIAE
S · P · Q · NEAPOLITANVS
D · D

Profecto ſi Mazochianam ſummam diligentiam non latuiſſent hæ Schotti adnotationes, quæ in fine Paterculi edit. Burmanni proſtant pag. 634. minime ex binis hiſce νόθειας plenis ſaxis annum coloniæ noſtræ tam prompte fixiſſet. Et quis nunc mecum huic Schotto non iraſceretur ibidem dictanti: *Neapolim coloniam olim fuiſſe teſtantur innumeræ lapidum litteratorum inſcriptiones*, inde privam hanc Cominianam, ſive Geminianam recitat; ſed parcas huic viro longe noſtrarum gentium nato.

IV. Verum, antequam manum de tabula, pauca adjicienda reor, quæ fuerunt in cauſa, ut inter noſtrates Scriptores tantæ rixæ turbæque de ficta Neapolitana colonia excitæ ſint: ſane huic clariſſimæ contentioni locum dedit hic unus Titi Veſpaſiani bilinguis titulus; hinc Capacius pag. 275. primus veluti belli dux edixit: *Ex Græcis, Latiniſque characteribus Romanam dijudica coloniam:* Mazochius hanc Capacii ſanctionem, licet non unis Scriptoribus intercedentibus, ſua erudite loquentis auctoritate firmare ratus eſt: *Verum*, inquit pag. 234. *ſi quod res eſt, fateri volumus, conſuevit hoc in Græcis urbibus, at poſtea in coloniarum dignitatem provectis, ut Græcolatinas inſcriptiones facerent, &c.* Mox ut melius roboret Capacii ſententiam, addit, *Romanorum moris fuiſſe, rem unam*

Digitized by Google

unam pluribus linguis inſcriptam proponere; demum *id conſtare* ait *titulo Crucis Chriſti*. Verum tantum abeſt, ut πολυγλώττοις titulis, qui in aliqua urbe viſuntur, eam coloniam factam credas, ut potius contrarium dijudices: etenim ſcimus Hieroſolymorum cives Tiberii ævo ſuis legibus quamplurimis adhuc victitantes, nec coloniæ nomenclaturam adeptos: quod ſub Hadriano accidiſſe conſtat; τρίγλωττον epigraphen Cruci affixiſſe præſidem ſcimus, ut in maxima, ac frequentiſſima advenis urbe ab omnibus perlegeretur; quare Crucis tituli exemplum nullum coloniæ jus, ſive dignitatem præfert, ſaltem contra Neapolitanam πολιτείαν Græcanicam nihili eſt. Etiam in inſulam Cyprum nunquam legimus coloniam invectam, nummum autem Græcolatiarem Cyprii ſerierunt: TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. TR. P. ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ, in area ΚΥΠΡΙΩΝ, vide theſaur. Morell. præter hoc δίγλωττον numiſma haud ſcio an aliud reperire ſit.

Præterea miror Mazochium, quem novi diurna nocturnaque manu evolventem Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, puram putamque cauſam, cur veteres id genus πολύγλωττα marmora ſcalpſerint, non advertiſſe; eam aperte dictante Jul. Capitolino in Gordiano III. pag. 135. *Gordiano ſepulcrum milites apud Circejum caſtrum fecerunt in finibus Perſidis, titulum ejuſmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Perſicis, & Judaicis, & Ægyptiacis litteris*, inde hanc addit cauſam, *UT AB OMNIBUS LEGERETUR:*

DIVO · GORDIANO · VICTORI · PERSARVM
VICTORI · GOTHORVM · VICTORI · SARMATARVM
DEPVLSORI · ROMANARVM · SEDITIONVM
VICTORI · GERMANORVM
SED · NON · VICTORI · PHILIPPORVM

Itaque multiplicis ſermonis litteris concipiebantur inſcriptiones, non quando urbs quædam colonia evaſerat, ſed vehemente teſte Capitolino, quo ab omnibus gentibus eo confluentibus intelligerentur, præſertim cum Circejum caſtrum coloniam accepiſſe nuſquam legerim. Quare idipſum dicas de Neapolitano bilingui Titi Aug. ſilice, adcurrentibus, veluti facto agmine, in noſtram urbem Romanis; ex Cic. enim hæc habeo pro Rabir. Poſt. cap. 10. *Deliciarum cauſa, & voluptatis non modo cives Rom. ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam ſenatores ſummo loco natos non in hortis, aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpe videmus:* atque Statius noſter Syl. 5. carm. 3. v. 176. canit patrem ſuum docuiſse innumerabiles procerum adoleſcentes Neapolim celebrantes: demum ex Strabone ſcimus lib. 5. p. 378. Καὶ τῶν Ῥωμαίων δ' ἔνιοι χαίροντες τῷ βίῳ τούτῳ, θεωροῦντες τὸ πλῆθος τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀγωγῆς ἐπιδημούντων ἀνδρῶν, ἄσμενοι φιλοχωροῦσι, καὶ ζῶσιν αὐτόθι, *præ-*

terea

Digitized by Google

terea Romanorum principes Græcanico vitæ genere gaudentes, *advertentes multitudinem advenarum ob id inſtitutum inibi degentium*, *lubentes locum ampleƈtuntur*, *ibique viƈtitant*. Quare, quæ proniſſima ratio eſt, ut Romani Tito principi munificentiſſimo Græce ereƈtam memoriam etiam legerent, Latine Neapolitani eodem tempore dederunt. Hic autem te rogatum volo, ut advertas me in Strabonis κειμένῳ vocem ἔνιοι vertiſſe *principes*, non vero *quidam* contra omnium eruditiſſimorum interpretum fidem, alias ſane ſententia ταυτολογίᾳ laboraret; dixerat enim ſuperioribus verſibus geographus confluere Neapolim pleroſque Romanorum: Ἐπιτείνουσι (corrige ἐπιχειροῦσιν vid. p.411.) δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναχωροῦντες δεῦρο ἡσυχίας χάριν τῶν ἀπὸ παιδείας ἐργασαμένων, ἢ καὶ ἄλλων διὰ γῆρας, ἢ ἀσθένειαν ποθούντων ἐν ἀνέσει ζῆν, καὶ τῶν Ῥωμαίων δ' ἔνιοι, κ. τ. λ. *vitæ autem Græcanicæ rationem augent*, (corrige *aggrediuntur*,) *qui Neapolim Roma ſecedunt in ocium: ſive qui ab ineunte ætate laboribus defunƈti ſunt*, *ſive qui ob imbecillitatem*, *aut ſeneƈtutem cupiunt vitam jucundiorem degere: præterea Romanorum primi*, *&c.* Atque ita, quod ait Strabo, in bina κόμματα belle dividitur, ſcilicet Neapolim ſe recipere tum omne genus Romanos, tum etiam *primores*, ac illuſtriores: & vel pueri ſciunt ἔνιοι aliquando valere idem ac φανεροί, vide Heſychium, & Suidam; monet etiam opportune Albertus in elegantiæ plena Heſychii editione ex Reiskii ſententia vocem ἔνιοι valere φαεννοί, *ſplendidiſſimi*, & κλεινοί, *nobiliſſimi*. Quod imitatos ſcimus Græcorum ſimias Latinos; apud hos etenim vocem *unicus*, quæ ab *unus* cadit, (uti ab εἷς, ἑνός exit ἔνιος,) adnotat, tum qui *unus* eſt, tum *præclarus*: ſexcentena ſunt exempla, quæ collegit pro me laborioſiſſimus Voſſ. Etym. voce *unus*, idque utraque gens ab Hebræis mutuata eſt, a quibus ubique ſacrorum librorum τὸ *unus* uſurpari conſtat pro τῷ *primus*: quod ſciunt Hebræi ſermonis tirones. Et gratulor hoc interpretamentum vocis ἔνιοι ab oratorum maximo Tullio firmari, qui in paullo ante laudatis verbis idipſum de Romanis Neapolim accurrentibus dicit, quæ Strabo narrat, eodemque *civium*, ac *procerum*, ſive ſenatorum diſcrimine utitur, ita ut geographus Ciceronis locum exſcripſiſse videatur.

v. Verum ad Titi ſaxum redeundum, unde nos Strabonis locus longiuſcule averterat. Adeo verum eſt veteres invertiſſe Græcas epigraphes Latine, quo intelligerentur, ut, ne ad externos lapides provocem, noſtratem Campanam habeam, (quam miror non meminiſſe Mazochium;) exſtat ſiquidem ridicule inverſa ſuperne deorſum, & parieti affixa in via, quæ a nova Capua ad veterem ducit, eamque exſtremæ paginæ Campaniæ ſuæ adſcripſit Peregrinius, ſed erroribus quibuſdam ſqualentem, quos minime reſtituit: rogavi per litteras Campanum canonicum Franciſcum Ciccarellium, virum doƈtiſs. olim ſtudiorum ſocium, quo marmor inviſeret, & caſtigatius exemplar ad me tranſmitteret; attamen reſcripſit mar-

marmor partim peſſum jam iviſſe, partim ſub calce latitare, & pauca verba lectu prona:

ΔΕΣΠΟΙΝΗ ΝΕΜΕϹΕΙ
ΚΑΙ ϹΥΝΝΑΟΙϹΙ ΘΕΟΙϹΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟϹ ΒΩΜΟΝ
ΤΟΝ ΔΕ ΚΑΘΕΙΔΡΥϹΑΤΟ
IVSTITIAE NEMESI
ATIS QVAM VOVERATARAM
NVMINA SANCTA COLENS
CAMMARIVS POSVIT

Nullo labore Latinum diſtichon confinge:

Reginæ Nemeſi, ac Dis, quam voverat, aram
Numina ſancta colens Arrianus poſuit;

Ultimam ſyllabam in voce *Nemeſi* minime elidi vides Græcorum inſtar. Καθείδρυσατο cum ει, ſollemni ſcalptorum more ob ſoni affinitatem: ſane *Arrianus* hic Græcus homo Græce aram dedicavit Deæ *Nemeſi*; appoſuit etiam eadem carmina Latine, quo in urbe Capua, quæ nunquam Græcanica fuit, intelligerentur; & nemo unquam, eo quod bilinguem hanc memoriam intuitus ſit, de coloniæ jure quidquam cogitavit. Faceſſant igitur porro, quotquot cum Capacio edicunt Neapolitanum Titi Veſpaſiani titulum δίγλωττον præferre cives noſtros Romanæ coloniæ jura acceptaſſe, & Græcanicam victitandi, loquendique rationem poſthaberi ab iiſdem cœptum; cum ex dictis pronum ſit Latiare additamentum ſcalptum ſolummodo pro Romanorum, ſi qui eſsent, litterarum Græcarum ἀμυήτων.

Verum oblitus eram enotare, ne ſuccenſeas, cum legas vocis Ἀρριανός in hoc Campano ſilice penultimam corripi, cum producenda eſſet, indolem reor fuiſſe inficeti ſæculi propriorum nominum eo modo terminantium προσῳδίαν invertendi; ut de multis ſileam, ecce tibi ΠΑΦΙΑΝΟΣ eodem vitio laborare in corruptiſſima epigraphe, quam recitat D'Orvillius in Charitonem pag. 563. ex Murat. Thes.

ΠΑΦΙΑΝΟΣ ΠΑ
ΦΙΟΣΤΗΑΤΠΟΓΗ
ΛΕΛΙΜΕ ΚΩΜΩ
ΔΟΣ ΛΙΦΘΕΙΣ
ΤΟΝΒΙΟΤΟΤ ΣΤΕ
ΦΑΝΟΝ

Quæ duo eſſe pentametra jure exiſtimat vir Græce doctiſſimus, quot ſunt, quotque fuere, atque ita verba diſpenſat:

Πα-

Παφιανὸς Πάφιος τῇδ᾽ ὑπὸ γῇ λέλυμαι
Κωμῳδὸς λειφθεὶς τὸν βιότου στέφανον.

Vertitque:

Paphianus Paphius hic ſub terra ſolutus (jaceo)
Comœdus victus quoad vitæ coronam.

Sed haud ſcio, an clarius reficerentur:

Παφιανὸς Πάφιος τῇδ᾽ ὑπὸ γῇ· λέλιπε
Κωμωδὸς ληφθεὶς τὸν βιότου στέφανον.
Paphianus Paphius hac ſub terra (jacet;) *reliquit*
Comœdus fato-raptus vitæ finem, (ſive circulum.)

Vides me perquam pauca refeciſſe, & majorem forte nitorem conciliaſſe; mortis autem proprium eſſe τὸ λαμβάνειν, *rapere*, norunt omnes, ac tritum eſt ex Hom. Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή. Il. ε. v. 83. Il. π. v. 334. Il. υ. v. 477. &c. Itaque *Paphianus raptus comœdi munere fungens reliquit vitæ curſum:* mecum quiſque mirabitur ἑλληνικώτατον D'Orvillium ληφθεὶς non appoſuiſse, ſed reliquiſse λειφθεὶς, quæ vox hic ſatis importuna: demiror magis Muratorium in hoc lapide nihil advertiſſe. Si vero vocem στέφανος acceperit diſtichi auctor ῥωμαΐζων pro *fine*, uti eſt Latine *corona*, & *coronis*, βιότου στέφανος idem prorſus audit, ac βιότου τέλος, qui loquendi modus celebratiſſimus eſt; utque a Scriptorum omnium principe incipiam, habes ab Homero Il. ι. v. 411. φερέμεν θανάτοιο τέλοσδε. Il. ν. v. 602. τὸν δ᾽ ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλοσδε. Il. π. v. 630. legere eſt ἐν χερσὶ τέλος πολέμου, τέλος ἐπέων· quam vocem bonam, priſcam, & Homericam Homeraſtri verterunt in τελετή Batrachom. v. vult. Καὶ πολέμου τελετή, κ. τ. λ. Ut moris eſt, cum hoc ſummo vate conjurat Heſiodus in Ἔργ. v. 669. qui de Diis canit, Ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε, ubi non ineleganter Guietus adſcripſit: τέλος, *facultas*, δύναμις, *poteſtas efficiendi bona*, *&* *mala*, κράτος, ἀξίωμα, οἱ ἐν τέλει. Adde Mimnermum apud Stobæum ſerm. 96.

. . . Κῆρες δὲ παρεστήκασι μέλαιναι·
Ἡ μὲν ἔχουσα τέλος γήραος ἀργαλέου,
Ἡ δ᾽ ἑτέρη θανάτοιο . . . .

Ubi vides τέλος γήραος, & τέλος θανάτοιο, &c. peræque eſſe, ac στέφανος βιότου, ſi στέφανος valeat in Paphiani ſaxo idem ac τέλος, quod juratiſſimus dicerem.

VI. Hæc reor ſatis pro tuenda immunitate Neapolitanæ civilitatis a jure coloniæ contra clariſſimorum II virorum Reineſii, & Mazochii argumenta a ſaxis petita. Reliqua capitis III. & IV. laudatæ Mazochianæ diatribæ tum ne longus ſim, mittenda mihi duco, cum refingat preſſe, quæ jam antea largius digeſſerat; id ſolummodo monendum jubeo de σφάλματι μνημονικῷ tanti viri hoc cap. 3. ajentis: *Nec enim in hanc urbem proprie deducta colonia* (*qua de cauſa de Neapoli colonia facta loquens ſedulo DEDUCENDI verbo ſemper abſtinui*, *&c.* ipſe contra pag.

102. circ. init. eam vocem Neapolitanis inviſam jam præmiſerat, quare eradendam rogant: *De Neapolitana colonia*, inquit, *atque DEDUCTIONIS tempore, nolo hic, quam paratam ex inſcriptionibus materiem habeo, lectori obtrudere: de quo argumento peculiare ſchediaſma in diſſertationis hujus appendice in cupidorum gratiam ſubnecti præſtabilius erit.* Piget etiam præterea nos Neapolitanos pag. 241. Mazochium uſum Reineſii argumentis illeviſſe doctis chartis ſuis, ac laborioſis *Neapolim adhuc quarto Chriſti ſæculo in coloniæ appellatione ſibi mirum quantum placuiſſe*, duoſque recitat lapides inferioris ævi, quos etiam laudato loco Reineſius contra Neapolitanam libertatem regerit: primum ſane breviorem, in quo ſcalptum eſt: *Licini Alſio Licinio V. P. patrono coloniæ ex comitibus regio Thermenſium vere patrono:* alterum ſatis longum, in quo legitur, *L. Munatio Conceſſiano V. P. patrono coloniæ*, &c. *regionem primariam ſplendidiſſimam Herculanenſium patrono mirabili ſtatuam ponendam decreviſſe:* ratus eſt vir doctiſſimus tum regionem Thermenſem, tum Herculenſem ad Neapolim pertinuiſſe: verum regionem Thermenſem noſtratem fuiſſe, licet nihil hæſitans fateatur paſſim vetera monumenta teſtari, nullum tamen protulit: ſcio Petrum Laſenam de Gymn. p. 181. quaſdam membranas e noſtro Fab. Jordano lectas oſtentare, ſed longe inficetiorum ſæculorum labem præſeferunt, ut legenti patet.

Porro Herculanenſem epigraphen certiores nos facit Capacius ſpectare ad Herculaneum, nunc fama plenum oppidum, unde Auguſtiſſimus Rex immenſas vetuſtatis gazas in lucem trahit; & ſaxum ævo ſuo illic repertum ait in Neap. Hiſt. pag. 451. *Hac tamen ætate, dum ruſtici agrum colerent, & foderent, inventæ ſunt . . . . multæ inſcriptiones, quæ plurimum lucis attulerunt. Ad Divi Antonii Neapolim hoc epigramma* (Munatianum ſcilicet) *translatum eſt, quod Herculanenſes venerari profecto deberent, &c.* Hic autem a me impetrare non ſatis ſum, ut Laſenæ noſtro non iraſcar, qui pag. 182. Capacium αὐτόπτην ineptum arceſſit, (pronus ceteroqui ad aliis conviciandum,) atque injuria eì oppido id marmor abjudicat, ac Neapolitanum eſſe jubet. Non autem pernego ſequiori ævo quandam Herculenſem regionem Neapoli fuiſſe, cujus mentionem exſtare apud Gregorium M. jam monuerat Gruterus in hunc lapidem, idque etiam hic recinit Mazochius; verum quantum interſit inter ambas voces *Herculenſes*, & *Herculanenſes*, ſicut inter viam Herculeam, Propert. lib. 3. el. 17. & Herculaneam viam, Cic. de leg. agr. cap. 14. cont. Rullum, (tantum ſcilicet, quantum ineſt ſpatii inter ipſum Herculaneum oppidum, & Bajas, hic etenim celebrabatur via *Herculea*, illic *Herculanea*,) expendam σὺν Θεῷ in ſatis laborioſa Puteolanæ regionis deſcriptione: necnon excutiam, cur in Commodo Lampridius p. 522. dicat Commodianus Herculeus, & pag. 524. Commodianus Herculaneus, quod neque Cauſab. neque Salm. adnotarunt: & an revera *pagus Herculaneus* proptet Capuam exſtiterit, uti vult Mazochius in Camp. amphit. p. 148.

Fuiſ-

Digitized by Google

Fuiſſe vero Herculaneum coloniam, tum nomina magiſtratuum, quos in nuperrime extractis inde lapidibus legimus, tum quina, vel ſena marmorum fragmenta oſtendunt, quæ ſeptingentorum plus minus libertorum nominum, aliorumque colonorum plena ſervat Rex providentiſſimus, quæ exſcripta inter ſchedas meas ſervo, atque hic ederem, niſi ſatis membranarum occuparent. Ornata autem tot nominibus marmora nemo mihi inficiaturus eſt ſeriem eſſe eorum hominum, quos colonos ad Herculaneum habitandum atque excolendum viri conſulares a Tito miſſi deduxerunt, iiſque prædia oppreſſorum in Veſuvio attributa ſunt, ut notum a Suet. in Tito cap. 8. ſed hanc coloniæ deductionem clariorem habeo a Dione edit. Reimari pag. 1097. Τίτος τοῖς μὲν Καμπανοῖς δύο ἄνδρας ἐκ τῶν ὑπατευκότων οἰκιστὰς ἔπεμψε, καὶ χρήματα ἄλλα τε, καὶ τὰ τῶν ἄνευ κληρονόμων τεθνηκότων ἐδωρήσατο, quæ ita vertit idem magnus vir Reimarus: *Titus ad Campanos miſit duos viros conſulares, reſtituendæ regioni, iiſque præter aliam pecuniam dedit eam potiſſimum, quam reliquiſſent ii, qui ſine heredibus mortui eſſent.* Verum ne hæreas, ſi in doctiſſ. Reimari Latinitate coloniam deductam non legas, nam Græce luculenter exſtat in voce οἰκιστάς, quæ invertenda fuiſſet *coloniæ duces*; cujus ῥήσεως notio prona eſt, & celebratiſſima Græcis hiſtoricis, vide Dionem ipſum pag. 301. v. 99. qui γεωνόμους & οἰκιστάς una jungit. At mihi ſat eſt unus Thucid. pag. 21. Ἐλθόντες δὲ οἱ Ἐπιδάμνιοι ἐς τὴν Κόρινθον, κατὰ τὸ μαντεῖον παρέδοσαν τὴν ἀποικίαν, τόν τε οἰκιστὴν ἀποδεικνύντες σφῶν ἐκ Κορίνθου ὄντα, κ. τ. λ. quæ optime transfudit Dukerus: *Epidamnii vero Corinthum profecti coloniam oraculi juſſu dediderunt, demonſtrantes & ipſum ſuæ coloniæ ducem Corinthium fuiſſe, &c.*

Vides quantam ſibi mutuam lucem præſtant & Dio, & marmora pluſquam ſeptingentis nominibus colonorum illuſtria, quæ Rex omnium fortunatiſſimus curatiſſime ſervat. Et nunc primum fortaſſe ſcimus colonorum nomina veteres ſaxis ſcalpſiſſe. Scias pro re nata me de interpretibus pleriſque omnibus multum conqueri, qui dictionum οἰκιστής & οἰκίζειν notionem ingenitam poſthabuere in convertendis Latine Scriptoribus politiſſimis, neque cogitarunt de *colonorum deductione*; quare factum eſt, ut etiam docti ἀρχαιολόγοι turbas ingentes conciverint pro earundem vocum διαγνώσει, imo librarii ſæpe pro οἰκίσθαι ob ſoni affinitatem inſipienti ſæculo inducti appoſuere οἰκῆσθαι· hac de re vide æternas adnot. τοῦ πάνυ Perizonii in Ælian. pag. 532. &c. & pag. 919. &c. ac miror ne in tanti quidem viri mentem veniſſe eas ῥήσεις *ad coloniarum* plerumque *deductiones* pertinere, quo lites tantæ componerentur, & lux Scriptoribus reſtitueretur. Verum ſermo, unde diſceſſit, relabatur. Igitur tam ex *Liciniana*, quam ex *Munatiana* inſcriptionibus, nihil evinci poteſt Neapolim poſterioribus ſæculis fuiſſe coloniam, nec nomen ipſum diuturnum ſervaſſe, cum altera, dubii plena res ſit, an ad urbem noſtram pertineat, alteram, ditiſſimo teſte Capacio, ab vicini oppidi

 rui-

Digitized by Google

ruinis erutam certò conſtet. Ceterum, ſcimus, & Mazochius ipſe præclare novit, Neapolim urbem Græcam, non per *regiones* fuiſſe diſtinctam, ſed per *fratrias*, etiam poſteriori ævo, ubique enim viarum lapides videre eſt *fratriarum* nominibus illuſtres, quarum me novem reperiſſe gratulor, de quibus cap. ſeq. non pœnitenda, & ab aliis intentata proferam.

PARS TERTIA.

Argumenta eruditiſſimorum virorum contra Neapolitanam omnimodam αὐτονομίαν elevantur: & non una veterum Scriptorum teſtimonia illuſtrantur, atque in priſcam fidem reſtituuntur.

I. F*Ruſtra eſt Mazochius, dum aſſerit Neapolitanos αὐτονομίᾳ ſpoliatos jugum Rom. legum ſubiiſſe: locus Cic. expenditur.* II. *Item ſummus vir Strabonis verba objicit contra Neap. libertatem: quæ mala verſa, & corruptiſſima ſunt, eiſque medela paratur.* III. *Quid πρῶτα, & ὕστερα in hoc geographo, antehac ignotum: Paulli epiſtolæ lux.* IV. *Vox ὀνόματα male transfuſum Latine* nomina. *Καὶ περ ὄντων, legendum in Strabone καὶ περιόντων, quod bonis conjectationibus, & exemplis fulcitur. Locus de crypta Neap. in eod. geographo reſtituitur.* V. *Varronis ſententia Neapolitanæ αὐτονομίᾳ objecta a Mazochio nil officit: ſicuti neque alter Strabonis locus, quem ſat tenebricoſe interpretatur vir ἑλληνικώτατος, & nunc primum luci redditus.* VI. *Livius, & Statius Straboni adſtipulantur.* VII. *Neque etiam obſtat famoſus Cic. locus ep. ad famil. qui longiuſculo commentario illuſtratur. Neapoli nunquam fuere* decuriones, *ſed* demarchi, *Mazochio, & Laſenæ reſiſtitur.* VIII. *Tullium a municipio Neapolis Syracuſarum loqui patefit: & verba in hoc oratore importuna, & hiſtoriæ adverſantiſſima eraduntur. Pauca quædam de nomine* Soſis. IX. *Verba Cic. Neapolitanæ αὐταρχείᾳ infeſtiſſima reſtituuntur, queis illitum erat* Neapolis *pro* Puteolis *ob librariorum noxam: acres querelæ de Peregrinio Neapolitanos laceſſente.* X. *Bina Statii loca, quæ adverſus αὐτονομίαν Neap. objici poſſent explanantur. Dioni medela; quid in hoc hiſtorico vox ἰδιωτικῶς, quod poſthabuit Reimarus.*

I. APponit deinde Mazochius pag. 252. *auctarium* quoddam, quo edicit Neapolitanos etiam, antequam coloni eſſent, (quos nunquam fuiſſe jam ſatis præſtiti) αὐτονόμια ſpoliatos, & civitatem, legeſque Romanas admiſiſſe: & pauca quædam Scriptorum teſtimonia jam ab aliis fere occupata ſubnectit; verum ab ipſo fortius, & elegantius more ſuo contorta, quæ ſi ſatis ſum, ut elevem, de omnimoda Græcanica libertate veterum civium bene mereri mihi gratulor. Urget primo Mazochius famoſum Cic. locum in orat. pro Balb. cap. 8. ubi Tullius ait diſputatum ſatis fuiſſe Heracleæ, ac Neapoli de legum ſuarum Græcarum libertate, civeſque tandem quoad magnam partem ſuam αὐτονομίαν Romanæ civitati antetuliſſe: in hunc Cic. locum hæc illinit Mazochius: *Minime dubito, quin ea ſententia vicerit, ut civitatem admitterent;* ubi videtur vir magnus omnem judiciorum ordinem, & reipublicæ jura interturbare, cum quidquid major civium pars ſciverat, minime obtinuiſſe dicat, factumque, quod minor pars intenderat; cum contra quiſque ex Tullii verbis de hac Hera-

Digitized by Google

Heraclienſium , & Neapolitanorum pro patriis legibus contentione facillime eruat , quoniam major civium numerus contra Romanas leges obliterit , perſeveraſſe in paternis ; formidoloſius igitur poterat Mazochius Ciceronis locum contra Neapolitani juris libertatem opponere. Longe ſincerius Peregrinius, Mazochii συμπολίτης in Campan. pag. 731. hunc pro Neapolitanis honeſtatis plenum Tullii locum adhibuit, dum ait: *Ma i Napoletani godendo della lor propria , che eſſer doveva aſſai favorevole condizione , la quale per non aver mancato di nulla a quel che conveniva a fedeli confederati , ſi avean conſervata intera : allorchè per la legge Giulia civitas eſt ſociis, & Latinis data , che ſon parole di Cicerone nell' orazione a favore di Cornelio Balbo, ebbero fra loro ſteſſi gran diſparere, ſe aveſſero avuto ad accettare, oppure ricuſare quel dono da tutti gli altri popoli d' Italia molto avidamente deſiderato: In quo (diſſe il medeſimo Oratore) magna contentio Heraclienſium, & Neapolitanorum fuit , cum magna pars in iis civitatibus juris ſui libertatem civitati anteferrent .* Hinc quiſque mecum mirabitur , quo pacto Mazochius ex his clariſſimis Tullii verbis colligat *Neapolitanos civitatem admiſiſſe Romanam , & novo exemplo* , ut ipſe ait , *forſan cum Græcanicis inſtitutis copulaſſe :* & veluti monſtroſam ,(nam novum eſſe adſtruit,) Remp. fingit licet dubius Græcis mixtam legibus, ac Romanenſibus. Ceterum certo etiam dici poſſet cum Hotom. hunc Tullii locum mutilum eſſe , quem ſi omnem fortuna ſervaſſet, palam jam eſſet majorem Neapolitanorum partem viciſſe legem Juliam odio habentem.

II. Fortius urget ſatis πεμβόντα Strabonis verba , quibus Neapolitana πολιτεία graphice deſcribitur lib. 5. pag. 377. Amſtel. 1707. *quorum aliqua* opinatur Mazochius *nondum adverſa ;* apponam autem omnem Geographi locum, quo doctiſſimi viri ſententia percipiatur, & reſponſio ſit luculentior & promptior : Μετὰ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων· ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν , καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς , καὶ Ἀθηναίων , ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο , ὅπου δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς Παρθενόπης , καὶ ἀγὼν συντελεῖται γυμνικὸς κατὰ μαντείαν· ὕστερον δὲ Καμπανῶν τινὰς ἐδέξαντο συνοίκους διχοστατήσαντες , καὶ ἠναγκάσθησαν τοῖς ἐχθίστοις, ὡς οἰκειοτάτοις χρήσασθαι, ἐπειδὴ τοὺς οἰκείους ἀλλοτρίους ἔσχον. Μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα , τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά· πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσια τε, καὶ ἐφηβιακὰ, φρατρίαι, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ, καί περ ὄντων Ῥωμαίων, adſcribam vulgare interpretamentum, quod miror ſecutum etiam eſſe Mazochium Græce doctiſſimum : mox meum adjiciam; noſtra enim intereſt veram veterum Scriptorum rerum Neapolitanarum ſententiam veſtigare; & parcendum, ſi longiuſcula erit παρέκβασις. *Poſt Dicæarchiam eſt Neapolis Cumanorum , poſtea temporis & Chalcidenſium nonnulli, & Pithecuſæorum, & Athenienſium immigrarunt, unde urbi factum hoc nomen. Oſtenditur ibi monumentum Partheno-*

thenopes unius Sirenum: & juſſu oraculi gymnicum certamen celebratur. Aliquanto poſt, obortis diſſidiis, Campanos quoſdam in urbem civium loco receperunt, coactique ſunt inimiciſſimos loco familiariſſimorum habere, cum ſuos a ſe abalienaſſent. Argumento rei ſunt nomina magiſtratuum principio Græca, poſterioribus temporibus Campanica Græcis permixta. Plurima tamen ibi Græcorum inſtitutorum ſuperſunt veſtigia, ut gymnaſia, ephehorum cœtus, fratriæ, & Græca nomina Romanis impoſita.

Quo autem tanto viro probatum ſimul, ac liberale reſponſum dem, in animo mihi eſt omne Strabonis κείμενον, quod de Neapoli ſatis prolixum, ac honeſtum ſatis geographiæ ſuæ intexuit parvo commentario perſequi, tum ut bene de patria merear, tum ut ab hujus geographi verbis multiplici in loco noxa ſcribarum corruptiſſimis medicinam faciam. Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων, ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, κ. τ. λ. reſtituas rogo: ἐστὶ Νεάπολις· πρῶτον Κυμαῖοι, ὕστερον δὲ, κ. τ. λ. vides igitur additam στιγμὴν poſt τὸ Νεάπολις, quare ſententia proba affulget: *poſt Puteolos Neapolis eſt: Cumani primum, deinde Chlacidenſes immigrarunt, &c.* etenim Νεάπολις Κυμαίων, *Neapolis Cumanorum*, inſuave eſt. Jure appoſitum πρῶτον, quod ſane expetit ὕστερον, & Strabo ipſe, quando ei ſermo eſt de priſcis, ac recentibus colonis, ita diſtinguit, & ne a Campania abeamus, dum de Caprearum incolis loquitur pag. 380. ait: Αἱ δὲ Κάπρεαι δύο πολίχνας εἶχον τὸ παλαιὸν, ὕστερον δὲ μίαν, *Capreæ olim*, (ſive primum) *duo habebant oppida, deinde unicum;* fortaſſe amanuenſes illud πρῶτον, ſive παλαιὸν poſthabuere, eo quod, ut moris erat, per nexus ſibi ignotos ſcriptum invenerant. Verum iſtud non tam pingue erratum, nam etiam Plinius lib. 3. cap. 5. Hiſt. inquit, *Neapolis Chalcidenſium*. Quod ſequitur librariis nemo ignoſcet, fœdiſſime enim corrupere: Ὥστε Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο, ὅπου δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρηνῶν μιᾶς Παρθενόπης, καὶ ἀγὼν συντελεῖται γυμνικὸς κατὰ μαντείαν· itaque, ut nunc verba Græcanica jacent, ſententia Strabonis eſt ſatis inficeta, ſcilicet *urbem noſtram habuiſſe nomen Neapolis, eo quod in ipſa oſtenditur ſepulcrum Parthenopes unius ex Sirenibus.* Strabonis interpretes doctiſſimi nodum interciderunt, atque longe aliter interpunxere Græca ab Latinis, quæ etiam ad arbitrium reddiderunt: *nonnulli Athenienſium immigrarunt, unde huic urbi hoc nomen factum. Oſtenditur ibi monumentum Parthenopes unius Sirenum, &c.* Verum quid tandiu te detineam, σφάλμα eſt in voce Παρθενόπης in caſu patrio, quam ſi præpoſita parva στιγμῇ in Παρθενόπῃ reſtituas, omnis caligo depulſa eſt; atque luculentiſſime mens Strabonis renidet: *Neapolis appellata eſt, (eo quod ibi oſtenditur ſepulcrum unius ex Sirenibus,) Parthenope.*

Hujus autem certiſſimæ divinationis teſtem conjuratum paro Plinium Hiſt. nat. lib. 3. cap. 5. veluti Strabonis verba Latine vertentem: *Littore autem*

tem Neapolis Chalcidenſium, & *ipſa Parthenope a tumulo Sirenis dicta*; vides igitur *Parthenope*, non *Parthenopes*. Porro novi, quare hic illitum ſit *Parthenopes*, legerant enim in Strabonis lib. 1. pag. 42. Ἐν Νεαπόλει Παρθενόπης δείκνυται μνῆμα μιᾶς τῶν Σειρήνων· idipſum recinit ibid. p. 46. τὶς ἔπειτε ποιητής, ἢ συγγραφεὺς Νεαπολίτας μὲν λέγειν μνῆμα Παρθενόπης τῆς Σειρῆνος· verum in binis his libris diverſa docet Strabo, hic ſiquidem ubi habitarunt Sirenes, in lib. 5. cur Neapolis Parthenope dicta ſit, ediſſerit. Verba, ἀγὼν συντελεῖται γυμνικὸς κατὰ μαντείαν, explicat Statius noſter Sylv. in lib. 3. Herc. Surrent. verſ. 151. . . . *Ridetque benigna Parthenope gentile ſacrum, nudoſque virorum certatus, & parva ſuæ ſimulacra coronæ*; ideo vocat *ſacrum* gymnaſticum exercitium, quod κατὰ μαντείαν inſtitutum eſt noſtræ Sireni; hinc paullo poſt jure Strabo vocat, ἱερὸς ἀγών· dicit autem *gentile*, quoniam poeta e gente Neap. ortus; hocce vocabulum cordi fuit Statio, nam lib. 2. in Surrent. Poll. verſ. 9. ſinum maris dicit *gentile fretum*.

Deinceps geographus ait: Ὕστερον δὲ Καμπανῶν τινὰς ἐδέξαντο συνοίκους διχοστατήσαντες· καὶ ἠναγκάσθησαν τοῖς ἐχθίστοις, ὡς οἰκειοτάτοις χρήσασθαι, ἐπειδὴ τοὺς οἰκείους ἀλλοτρίους ἔσχον, verſum eſt, *aliquanto poſt, obortis diſſidiis, Campanos quoſdam in urbem civium loco receperunt, coactique ſunt inimiciſſimos loco familiariſſimorum habere, cum ſuos a ſe abalienaſſent*: ὕστερον, non valet *aliquanto poſt*, ſed *deinde*, *demum*, quod ſat incertum tempus ſtatuit: οἰκείους hic ne dicas *ſuos*, veluti ſi Neapolitani αὐτόχθονας, & cives ab urbe ejeciſſent, ſed *colonos*, fortaſſe Pithecuſanos. Quærant, ſi ſatis ſint, præ me diligentiores, quinam fuere Campaniæ populi, quos antea hoſtes, ὡς οἰκειοτάτους excepere Neapolitani; Peregrinius vult Nolanos pag. *676*.

III. Devenimus jam ad verba, in quæ tanquam in cæca ſaxa impegere tum exteri, tum indigenæ interpretes, & ſpondeo me non iratis muſis ab pleriſque omnibus probanda proferre: ut poſthac nemo iis verbis abuſus illa obtrudat, & inculcet importunus Neapoli peſſum iviſſe Helleniſmum: Μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά, quæ ita vertit Mazochius Xylandri Latinitate uſus: *Argumento rei ſunt nomina magiſtratuum principio Græca, poſterioribus temporibus Campanica Græcis permixta*. Porro haud neges Strabonem hic non loqui de ſpatio temporis, nam dixiſſet ſane, πρῶτον μὲν, ὕστερον δέ, ut ei ſollemne eſt, & paullo ante bina exempla vides: quare quovis pignore dicas πρῶτα, & δεύτερα ſive ὕστερα uſurpaſſe geographum ſatis κυρίως, ſcilicet pro πρωτεῖα, *primaria*, & *honeſtiſſima*, & pro δευτερεῖα, & ὑστερεῖα *ſecundaria*, & *ſat inferioris ordinis*, & *veluti poſthabenda*: itaque breviloquentia ingenita Straboni hæc eſt: poſtquam Neapolitani Campanos in urbem excepere (dele deinde τελείαν στιγμὴν, quæ ab omnibus adjecta eſt,) πολιτικωτέρως, & uti jus αὐτοχθόνων eſt, magiſtratus, & eorundem proinde nomina

mina

Digitized by Google

mina cum Campanis alienigenis, & tanquam transfugis diviſiſſe, ita ut honeſtiora, & πρωτεῖα munia ſibi ſervarint, novis vero incolis partem inferiorum, ſive ὑστεραίων quorundam officiorum addixerint; & quippe Latini oris, Latine minuta eorundem illa munia vocitanda edixerint. Hoc autem non longe petitum, ſed a re ipſa natum interpretamentum omnibus probatum iri ſperandum eſt; vulgare nihil ſani aut concinni præferre nemo poſthac inficiabitur. Hanc eſſe Strabonis ſententiam noviſſe Mazochium præ me Græce longe doctiorem juratiſſimus adſtruerem; verum ut Campanorum ſuorum famæ conſultum iret, quos Neapolitani minoribus reip. muneribus deſtinarunt, vir ſummus, & ſollers ſilentio preſſit, & communi interpretationi ſubſcripſit. Præterea mirum mihi ſemper viſum eſt, cur idem vir doctiſſimus ibid. enixe optarit, ut Strabo ea *nomina magiſtratuum Campanica* nobis ſignificaſſet; ratus eſt enim ea ſatis fuiſſe a Latinis diverſa; cum contra ſit, nam ipſe geographus pag. 389. lib. *6.* Καμπανοὺς λόγῳ τὸ ἀληθὲς Ῥωμαίους, *Campanos ſermone reipſa Latinos* fuiſſe admonet.

Voces autem πρῶτος, πρωτεῖος, & δεύτερος, δευτερεῖος, ſive ὕστερος, ὑστεραῖος in hac notione accipi, adeo frequens eſt, ut vel ex lexicis habeas: præterea fundum earundem vocum διαγνώσεως locupletiſſimum do Petr. Fabrum in Agoniſt. p. 593. qui ſere omne cap. 20. lib. 3. pro ea notione tuenda, collectis ſexcentis Scriptorum exemplis, exornavit, quæ ſi huc convectarem, capaciſſimam ceram implerem: queis neque Latine caremus, cum tironibus notus ſit Horatianus ille *panis ſecundus*. Id etiam firmare ſatis ſum ex ſanctis novi fœderis membranis; nam præter tot exempla, quæ afferuntur ab Joanne Paſore in lex. habes περιθρύλλητον præceptum in ep. ad Epheſ. c. *6.* verſ. 2. Τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα· ἥτις ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ· cujus de præcepti ſententia cum diu inter Batavos nuper diſputatum ſit, is ſane vicit, qui vocem πρώτη interpretatus eſt pro πρωτεία, ita ut Apoſtoli mens ſit, præceptum honorandi parentes *primum* non eſſe, ſed inter *primaria* enumerandum, vide tom. 49. biblioth. ration. pag. 344. an. 1752. ſed miratus ſum auctorem anonymum ad una exempla ſacrorum voluminum, non ad profanorum provocare.

IV. His intellectis, pergit porro geographus: Πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνθαῦτα σώζεται, γυμνάσιά τε, καὶ ἐφηβεῖα κ[α], (corr. quod planum omnibus eſt, ἐφηβεῖα, καὶ) φρατρία, (potius, φρατρίαι,) καὶ ὀνόματα Ἑλληνικά, καίπερ ὄντων Ῥωμαίων, quæ Latine proſtant: *plurima tamen ibi ſuperſunt Græcorum inſtitutorum veſtigia, ut gymnaſia, ephebeorum cœtus, fratriæ, & Græca nomina Romanis impoſita:* bina hæc, ὄντων Ῥωμαίων, ſolummodo immutat Mazochius in, *tametſi ipſi (Neapolitani revera nunc) Romani ſint*. His Strabonis verbis jam conclamatam horum αὐτονομίαν traducit Mazochius, atque ait hunc *locum ſe opinari nondum adverſum*, quem ità interpretatur: *Hoc igitur vult Geographus Græca*

Nea-

Digitized by Google

Neapolitanorum inſtituta adhuc vigentia non tam ex gymnaſiis, ephebiis, fratriiſque intelligi, verum ex eo multo maxime, quod cum ipſi jam cives Romani eſſent, tamen Græca ſibi nomina mallent, quam Romana imponere. Ergo ſub Tiberii primordiis Neapolitani, Strabone teſte, jam pridem Romana civilitate fruebantur, etſi nondum Romanorum coloni eſſent.

IV. Attamen comprecor pacem a tanto viro, atque ſi quid parum Græce ſcio, ſat aliena ab iis, quæ ipſe advertit, in hiſce verbis videre videor, præſertim cum aliqua medela indigeant. Et primum quidem me piget τὸ σώζεται transfuſum *ſuperſunt*, quod verbum longe minuit Græcanicæ vocis vim; repone igitur, *ſervantur*, *cuſtodiuntur*, ut Strabo conjuret cum συγχρόνῳ Paterculo, qui Neapolitanos commendat, quod apud ipſos *diligentior ritus patrii manſit cuſtodia* lib. I. c. 4. fragm. 2. Deinde nulluſdum hic prorſus ſermo eſt de imponendorum ſibi Græcorum nominum ratione; non enim Strabonis narrare id intererat, neque cogitare ſatis ſum, quænam mentis vertigo Neapolitanos invaſerat, qui cum Latine reliqua vocabula, uti vult Mazochius, jam proferrent, in propriis dumtaxat nominibus Græce ſalutari averent. Præterea haud queo intelligere, cur veteres cives mei ſibi Ἑλληνικὰ nomina imponere accurarent, cum & Græcis tunc temporis Romana, & Romanis Græcanica promiſcue ubique gentium imponerentur: idque etiam Hebræis tunc commune eſſet, ut conſtat ex unis Apoſtolorum nominibus. Imo pernegandum geographum adnotaſſe Helleniſmum Neapolitanum deducendum potius ab his nominibus, quam ab gymnaſiis, ephebiis, ac fratriis, ut vel curſim Strabonis verba lectitanti patet. Ceterum, quo ne te tandiu morer, & ab his verbis ſententiam expromam, reſtituas prius, quod luxatum eſt, καί περ ὄντων Ῥωμαίων in καί πελόντων Ῥωμαίων, & inde colliges luculenter *Neapolitanos ſervaſſe gymnaſia, ephebia, fratrias, & Græca vocabula, etiamſi ſecum degeret ingens Romanorum multitudo*. Et quidem pueri norunt τὸ ὄνομα etiam γενικῶς adnotare quodvis *vocabulum*, uti Latina vox *nomen*, vide utraque lexica: & in ſeq. hujus cap. parte patefaciam, quid hic valeat vox Ἑλληνικός. Præterea paucis poſt verbis geographus uberiori ſtilo narrat Romanos frequentiſſimos etiam magnis magiſtratibus illuſtres Neapolim, quo inibi victitarent, celebraſſe, verba paullo ſuperne pag. 411. & 437. protuli, a queis etiam labem abſterſi, quæ quidem hic affatim opportuna relegas rogo; quare, ut ſibi Strabo belle reſpondeat, jure immutatum eſt καί περ ὄντων, in καί πελόντων. Porro ſi quis priorem lectionem pertinax tutari velit, lubens do, dummodo haud vertat cum Mazochio, *tametſi ipſi (Neapolitani revera nunc) Romani ſint*, ſed ἁπλῶς, uti eſt nativa verborum vis, *quamvis* (Neapoli) *degerent Romani:* neque quid dubites, quin ea ſit Geographi mens; etenim niſi de Romanorum in noſtra urbe domicilio vocem ὄντων adhibuiſſet, ſed de legum patriarum mutatione, atque αὐτονομίας jactura, longe

clarius & κυριωτέρως ſententiam aperuiſſet: ſicuti cum pag. 389. adſtruit Lucanos, Brutioſque Romanos evaſiſſe, aperte ait: καὶ γὰρ αὐτοὶ Ῥωμαῖοι γεγόνασιν, *etenim ipſi Romani facti ſunt*; & dum de populis circa quaſdam Hiſpaniæ regiones degentibus ſermo ei eſt, qui Romanas colonias acceperunt, rem eandem longe clarius expreſſit to. 1. p. 225. Οἱ μέν τοι Τυρδιτανοὶ, καὶ μάλιστα οἱ περὶ τὸν Βαῖτιν τελέως εἰς τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆς διαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι· Λατῖνοι τε οἱ πλεῖστοι γεγόνασι, καὶ ἐποίκους εἰλήφασι Ῥωμαίους, κ. τ. λ. *Turditani autem, maxime qui ad Bætim ſunt, omnino Romanos induerunt mores, ne vernaculi quidem ſermonis memores, ac plurimi Latini facti ſunt, & Romanos colonos acceperunt, &c.* Fortaſſe ſi magnæ eruditionis viro Mazochio duplex hic geographi locus in mentem veniſſet, non tam acriter veteres hujus noſtræ civitatis leges Græcanicas, & ritus impetiviſſet, vel ſaltem non tanti duxiſſet hoc Strabonis κείμενον, quod ſibi viſum eſt omnium potiſſimum contra Ἑλληνικὴν Neapolitanorum vivendi rationem, ac leges. Peregrinius etiam hunc locum pluribus vexat pag. 286. nihilque lucis affert. Utinam cetera, quæ diligens hic geographus de tot Neapolitanæ reip. ornamentorum laudibus membranis ſuis mandavit, liceret mihi in veterem nitorem reſtituere; amanuenſium enim, & interpretum peccatis ſqualent omnia. Imperare mihi nequeo, ut prætercam turpe vulnus, quod tribus poſt verſibus Straboni librarii ſomniculoſi inflixerunt, dum cryptam Neapolitanam graphice deſcribit: ἔνθαδε (ἐν Νεαπόλει) διώρυξ κρυπτὴ τοῦ μεταξὺ ὄρους, κ. τ. λ. quæ ab omnibus verſa ſunt, *eſt ibi foſſa*, (male *foſſa*, dicas *crypta*, ut in Senecæ epiſt. 57.) *occulta per montem, &c.* vides jam vocem κρυπτὴ eſſe importunam, & omnino παρέλκειν, etenim διώρυξ Neapolitana nulli *occulebatur*, quin & πορθμῷ ζεύγεσι ἐναντίοις ἐπὶ πολλοὺς σταδίους, *aperta ſibi occurrentibus curribus*, (non *jumentis*, nam ita vertunt ζεύγεσι,) *ſtadiorum multorum longitudine*, uti nunc etiam viſitur: ſane quis in ora libri adſcripſerat, κρυπτὴ, quo clarior eſſet vox διώρυξ, inde, qui ſollemnis amanuenſium ſtupor erat, Strabonis verbis adſuta, atque putida iſthæc ταυτολογία enata eſt, διώρυξ κρυπτή· quod pronum erat Cluverio, Peregrinio, & tot doctis geographi interpretibus advertere. Verum bene multa de περιθρυλλήτῳ hac crypta in Puteolana chorographia. Neque credas mihi non ſupereſſe exempla, queis certam reddam hanc medelam; ipſe enim Strabo non multis ante verſibus p. 375. dum cryptam propter Avernum deſcribit ἁπλῶς dicit bis διώρυγα, neque addit κρυπτήν· imo in omni ſuæ geographiæ opere ſexcenties meminit vocis διώρυξ, & nunquam vides adjectam vocem κρυπτή.

v. Age ad reliqua cl. Mazochii argumenta contra Neapolitanorum αὐτονομίαν tandem redeamus, ac tertium quidem ex his Varronis verbis expromit: *Fratria eſt Græcum vocabulum, partis hominum, ut Neapoli etiam nunc*: quidam pro *ut Neapoli* legunt, *Apollini*; verum quiſque noſcitat ingenii ludentis acumen potius, quam veritatem a Varrone inquiren-

quirentis præſeferre virum ſummum, qui ſe *miram vim* in particulis *etiam nunc* intueri ait; atque ita interpretari amat: *ETIAM NUNC*, *inquit Varro*, *cum Neapolitani civitatem Romanam nacti viſuntur*, *tamen vocabula Græca priſtinorum inſtitutorum retinent*, *& præ ceteris Græcum Fratriæ nomen*; ſi autem ea ſit hic mens Varronis, quæ Neapolitanorum Græcanicæ reip. officiat, norunt ſtatim univerſi, quare lubens ultra progredior; nam ex dictis, conſtat aliam fuiſſe Varronis ſententiam.

Extrema Mazochianæ eruditionis vis adverſus Neapolitanam πολιτείαν expromitur ab laudati geographi loco lib. VI. pag. 389. ubi nihil ſane Neapolitanorum legum meminit Strabo, e contrario felicitatem urbium Græcarum ſolummodo prædicat, Latinos vero omnes in barbariem deſciviſſe conqueritur: apponam Græca, quæ inquinatiſſime verſa ſunt: *Νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος, καὶ Ῥηγίυ, καὶ Νεαπόλεως, ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα, καὶ τὰ μὲν Λυκανὰς, καὶ Βρεττίυς κατέχειν, τὰ δὲ Καμπανὰς· καὶ τύτυς λόγῳ τὸ δ' ἀληθὲς Ῥωμαίυς, καὶ γὰρ αὐτοὶ Ῥωμαῖοι γεγόνασιν·* quæ ita transfuſa indoleſcimus in præclara editione Amſtelæd. atque in Mazochio ipſo Græce cum paucis docto: *At nunc Tarento*, *Rhegio*, *& Neapoli exceptis*, *omnia in barbariem ſunt redacta*, *aliaque a Lucanis*, *ac Brutiis*, *alia a Campanis obtinentur*: (quæ ſequuntur cryptis Cimmeriis obſcuriora ſunt,) *tametſi ab his quidem verbo*, *re autem vera a Romanis*, *nam & ipſi Romani ſunt*. Quæ quidem extrema verba pag. 101. aliter jam inverterat Mazochius, & pace tanti viri dico, multo magis tenebricoſa reddidit: *Eos autem* (*Lucanos*, *Brutios*, *Campanos*) *verbo tales dico: nam & ipſi* (*utpote lege Julia donati*) *Romani evaſerunt*: ſed aperte geographus Lucanos, ac Brutios longe ſejungit a Campanis, ut clare oſtendunt particulæ μὲν, & δὲ his nominibus appoſitæ: ſcio hos magni nominis interpretes tranſverſos actos, eo quod vim reciprocarum vocum τύτυς, atque αὐτοὶ minime adverterint, quod per mihi valde mirum eſt; quare ſine periculo mecum refundas, καὶ τύτυς, *atque hos* (ſcilicet Campanos, quod proxime dixerat) *lingua*, (vox *verbo* nihili eſt,) *revera Romanos*; καὶ γαρ αὐτοὶ, *etenim & illi*, (ſcil. Lucani, & Brutii,) Romani evaſerunt. Itaque hanc certe mentem geographi dicas: *Nunc* (ævo ſuo ſcil.) *univerſas Græciæ majoris urbes barbaras factas cernimus*; *partim ab Campanis occupatas*, *partim a Lucanis*, *& Brutiis*; *atque hi* (Brutii, & Lucani) *quidem barbari ſunt*, *quod Romani evaſerint*, *eorumque legibus ſubjecti*; *illi*, (*nempe Campani*,) *præter leges*, *ſermonem etiam Romanum adepti*; *excipe ternas urbes*, *Tarentum*, *Rhegium*, *& Neapolim libere*, *& patriis inſtitutis victitantes*; qua interpretatione nihil magis nativum, & concinnius ad geographi mentem veſtigandam: & mirum omnibus fore reor hanc Strabonis ſententiam tot doctiſſimos viros haud frugi ſtudio tandiu ſollicitaſſe; & ſimul fatendum eſt tantum abeſſe, ut Strabonis auctoritas Neapolitanæ αὐταρχείᾳ contraria ſit, uti vult Mazochius, quin potius, ac fortius eam firmet: ſi etenim Neapolis civilitatem

 Roma-

Romanam, & leges excepiſſet, inter ἐκβαρβαρωμένας adcenſuiſſet Strabo.

VI. Straboni lux eſt a Livio, qui lib. 25. c. 15. in perbrevi concione Minionis Antiocho familiaris contra Romanorum legatum vetantem, ne Græcæ civitates huic regi ſpecioſo quodam titulo ſtipendia ſolverent, his verbis inter cetera regis ſui jura tuetur Minio: *Specioſo titulo uti vos Romani Græcarum civitatum liberandarum video, ſed facta veſtra orationi non conveniunt, & aliud Antiocho juris ſtatuiſtis, alio ipſi utimini. Qui enim magis Smyrnæi, Lampſaceniquе Græci ſunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, a quibus ſtipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis? Cur Syracuſas, atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & ſecuribus mittitis? nihil aliud profecto dicatis vos iis has leges impoſuiſſe: eandem de Smyrna, & Lampſaco, civitatibuſque, quæ Joniæ, & Æolidis ſunt, cauſam ab Antiocho accipite, &c.* Minioni inter cetera hæc repoſuit Sulpitius Rom. legatus . . . *Quid enim ſimile habet civitatum earum, quas comparaſtis, cauſa? Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem, & uno & perpetuo tenore juris ſemper uſurpato, nunquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent, exigimus, &c.* Vides igitur Livium Straboni συμφωνεῖν, & unos Neapolitanos, Rheginos, ac Tarentinos in Majori Græcia Græci ſermonis, ac inſtituti fuiſſe, reliquas civitates jam Latialis oris factas, ac barbariei plenas, nim. Lucanos, Brutios, &c. Advertas etiam Neapolitanos cum Romanis junctos ſolummodo fœderis jure, neque eorum leges, virgas, ſecures, & magiſtratus ſubiiſſe, quæ Syracuſæ, urbs maxima, ac florentiſſima patienter, & fatis iniquis urgentibus, ferre coacta eſt. Ceterum etiam ex Cicerone habeo Neapolitanos dici *fœderatos*, uti paullo inferne dicam; imo in oratione pro Archia cap. 3. & 5. eodem pacto, quo Livius inter Græcas urbes, ſuique juris eaſdem ternas urbes commemorat: *Itaque hunc Tarentini, Rhegini, & Neapolitani civitate ceteriſque præmiis donarunt*; at naves, & ſtipendium Romanis ſolviſſe haud ſcio, an Livius ornandæ concionis ergo de ſuo appoſuerit, ſicuti addidit eoſdem in Romanorum veniſſe poteſtatem, cum certum ſit Neapolitanos contra hanc gentem principem nunquam pugnaſſe, ſed in ſumma ſemper fide ac ſocietate vixiſſe, teſte haud mendace Paterculo lib. 1. cap. 4. p. 30. ubi commendat reip. Neapolitanorum *eximiam ſemper in Romanos fidem, quæ fecit, ut eſſent nobilitate, atque amœnitate ſua digniſſimi*. Præterea advertas rogo Livium curate dixiſſe Romanos in Syracuſas cum virgis, & ſecuribus prætores miſiſſe, utpote bello victas, & legibus eorundem obſtrictas; Neapolitanos vero *fœderatos* dumtaxat ſalutaſſe, nec faſcibus ſubjectos fuiſſe: cui ſummo hiſtorico ſuccinit Statius noſtras Sylv. lib. 3. 5. v. 87.

Nulla foro rabies, aut ſcita Lycurgia, leges
Morum jura viris, ſolum, & ſine faſcibus æquum:

Cur eximat Neapolitanos poeta a Lycurgi ῥήτροις, ſive ſcitis, dicam fortaſſe in-

Digitized by Google

ſe inferne. Scio hunc Livii locum Mazochium in immortali opere, quod mox editurus eſt, contra libertatem Neap. intorſiſſe, ſicuti etiam ſuperne laudata Strabonis verba antehac tenebricoſa ſollerti ſtudio adhibuiſſe indoleſcimus; at vellem, ut ſuas ſelectiſſimæ eruditionis opes potius pro noſtræ civitatis Helleniſmo, atque αὐτονομίᾳ impendiſſet.

Ut veterem, quæ tanti æſtimanda eſt, patriæ libertatem etiam atque etiam tuear, nuper mihi accuratum eſt magni ponderis monumentum ab Franciſco Pertuſio, veterum morum viro, cujus pectus honeſto, & orientalibus litteris perdiu incoctum eſt; quod in Allifarum urbe, avimento templi S. Salvatoris affixum erat, atque exſcripſere multiplices germani fratres e Truttarum familia morum ingenuitate, & bonarum artium ſtudiis florentiſſimi, meorum amicorum manipulus ſelectiſſimus: idque monumentum ſunt bina marmorum fragmenta, undique detritis litteris, ſenis denis civitatium nominibus illuſtria: iidem me commonefecerunt ſe vidiſſe aliud minimum fragmentum, in quo inciſum erat CEREATIS, & ALLIFANIS., quod amiſſum ob patriæ amorem indoluerunt:

fragmentum primum	*fragmentum alterum*
ATINATIbus	bE Neventanis
INTERAMNAtibus	NVCERInis
TELESINIS	LVCERINis APVLIS
SÆPINATIBVS	sVESSANIS
PVTEOLANIS	caLENIS
ATELLANIS	sueSSVLANIS
CVMANIS	sinVESANIS
NOLANIS	calaTINIS

In his lapidibus imperaris advertere *Neapolitanos* minime adſcriptos, quos quidem inter *Cumanos*, & *Nolanos* immiſſos eſſe oportuit: verum, cum hæc multorum populorum ſeries inter Romanas colonias accenſenda ſit, queis vel vectigal, vel quid ſimile indictum fuit: vel calendarii norma eadem omnibus his civitatibus propoſita; etenim jurarunt mihi hi dulciſſimi amicorum repertum nuper in Alliſarum urbe breviſſimum calendarii fragmentum, ipſiſſimis characteribus, queis iſthæc bina marmora ſculpta ſunt: jure Neapolitanos minime adcenſitos vides, utpote Romanis legibus, & imperio nunquam obnoxios, neque coloniæ nomine a quovis Scriptore vel vice ſimplici ſalutatos: ſane haud ſcio an rationem firmius quæſitam quis veſtiget, ut palam ſit, cur in hiſce lapidibus *Neapolitanos* minime adjectos intuearis. Novi equidem neminem fore, ut mihi objectet *Campanos* in his ſaxis etiam deſiderari, qui toties

Ro-

Digitized by Google

Romanos colonos excipere coacti ſunt; verum vel qui veteri geographiæ parum ſtuduit, didicit *Campanos* inciſos fuiſſe poſt *Calatinos*; quare ſi marmor inferna parte minime deficeret, Capuæ etiam cives inibi ſcriptos inviſeremus. Et excellentem ſolvo gratiam his Allifanis amicis, qui antehac ignotum, & Neapolitanis honeſtiſſimum duplex marmor mihi communicarunt; & ſuperiore anno extractum ab templi pavimento domi ſervant nummis contra tenacius, quibus abunde florent: quos rogo, ut decentiſſimo loco affigant; volupe enim nobis eſt cernere marmorum αὐθεντίᾳ *Neapolim* a coloniarum grege ſejunctam, & a Romanarum legum jugo ſervatam.

VII. Ceterum nihil miror Mazochium minime recoxiſſe famoſum Ciceronis locum lib 13. ep.30. ad fam. quem corruptiſſime recitat noſter Capacius pag.54. *L. Manlius eſt Soſis, is fuit Catinenſis, ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Rom. factus, decurioque Neapoli; erat enim adſcriptus ad id municipium ante civitatem ſociis, & Latinis datam. Ejus frater nuper Catinæ mortuus eſt . . . Habet præterea negotia vetera in Sicilia ſua . . . omnia ejus tibi commendo, in primiſque ipſum virum optimum. . . Peto igitur abs te, ut eum, ſive aberit, ſive venerit in Siciliam in meis intimis, maximeque neceſſariis ſcias eſſe, &c.* Quibus Tullii verbis aperte oſtendi ajunt adſciviſſe Neapolitanos Romanam civilitatem, ac liberæ reip. jacturam feciſſe; & reor Peregrinium ea conſulto prætериiſſe lib.4. num.15. quod ſibi ſatis arduum viſum ſit, quid reponeret: minime, inquam, recoxiſſe hunc locum Mazochium, oboluerat enim vehementiſſime ignotum eſſe, an Ciceroni de Neapoli Campaniæ urbe ſermo ſit; præſertim cum ſummus hic orator pro Balbo cap.8. palam perſeferat veteres cives meos, ne populus fundus Romanorum, ac municipium eſſent, enixe obſtitiſſe: *Innumerabiles aliæ leges de civili jure ſunt latæ, quas Latini voluerunt, adſciverunt: ipſa denique Julia, qua lege civitas eſt ſociis, & Latinis data, qui fundi populi facti eſſent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heraclienſium, & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus fœderis ſui libertatem civitati anteferrent:* repoſui antiquam lectionem *fœderis ſui* pro *juris ſui* ſecutus H. Valeſium in theſ. ant. Rom. to.2. p.1947. & Spanhem. in orb. Rom. 1. 15. p. 36. contra Paull. Manutium, & Bullialdum de pop. fund. p.936. to. 2. ant. Rom. Græv. τὸ *juris ſui* tuentes. Vides igitur, ſi Tullius in ep. ad fam. Neapolim Campaniæ municipium dicat, ſibi aperte adverſari, cum pro Balbo idipſum inficiatur, atque e contrario adſtruit Neapolitanos Romanis ſolummodo *fœderatos* eorum *civitatem* reſpuiſſe: paucis poſt verbis definit populos *fœderatos, ac liberos eos eſſe, qui ſtatuunt de ſuis rebus, quo jure uti velint.* Atque ita in eadem orat. c.24. tamquam negotium certum, & antiquitate firmum privo fœderis jure cives meos obſtrictos fatetur: *Has Sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienſes fuiſſe, fœderatarum ſine dubio civitatum: mitto vetera,*

Digitized by Google

tera, *proxima dico*, *ante civitatem Velienſibus datam*, *&c.* hinc etiam advertes ſuperius probe abraſum *juris ſui*, atque *fœderis ſui* adjectum, quo Cicero ſibi conſtet; imo noſcitas ex oratoris verbis Velienſes deinde civilitatem Romanam acceptaſſe, non vero Neapolitanos, de his enim ea de re ſilet omnino Tullius. Præterea recoquas rogaris etiam Livium palam dicere pluries cives meos ſolummodo cum Romanis fœderatos, vid. pag. ſuperiorem, ut ſileam Strabonis verba apertiſſima pro immunitate a Latinis legibus pag. 449. & Statium canentem Neapolitanos abhorruiſſe Romanos faſces, &c.

Novi etiam, ſi ab hoc Tullii loco diſcedas, me nuſquam reperiſſe *decuriones* Neapoli, aut hanc urbem, quæ multis poſt Auguſtum ſæculis Græcanica floruit, *municipium* audiviſſe: contra vero Græcos magiſtratus ubique Scriptorum, ac lapidum legere eſt, præſertim δημάρχȣς, φρητάρχȣς, κ. τ. λ. vid. cap. ſeq. Quin tironibus notum eſt Hadriani Aug. ævo *demarchatus* dignitatem Neapoli viguiſſe ex Spartiano H. A. p. 174. *In Etruria præturam imperator egit; per Latina oppida dictator, & ædilis, & duumvir fuit; apud Neapolim demarchus; & in patria ſua quinquennalis; & item Hadriæ quinquennalis, quaſi in alia patria, & Athenis archon fuit:* vides porro Hadrianum in Latinis urbibus Latina magiſtratuum nomina affectantem, in Græcis, ut Neapoli, & Athenis Græca: profecto, ſi Neapoli decuriones reperiſſet, non demarchum ſalutari amaſſet, ſed decurionem. Hic pro re nata te rogatum volo, ut advertas μνημονικόν cl. Mazochii ἁμάρθημα, qui pag. 240. col. 2. *duoviratum* tribuit Hadriano, non autem *demarchi* munus, quod contra Spartiani fidem eſt, contraque reip. Græcanicæ jura, ac magiſtratus. Fortaſſe in Mazochii mente maximis, ac multiplicibus rebus oppleta inerat ſe legiſſe in Laſena pag. 146. Commodum imp. fuiſſe Neapoli *duumvirum*, quare facile pro *Commodo* illevit *Hadrianum*. Verum ipſe iratus fio Laſenæ noſtro, qui mente tranſverſa ex epigraphe, quæ id non dicit Commodum Neapoli II. virum fuiſſe nil hæſitans edicit:

IMP. CAES. M. AVR. COMMODO
ANTONINO. AVG. PIO. P.P
II. VIR. QVINQVEN
FL. PYTHEAS MARMORARIVS

Etenim vel tiro videt *duumvir quinquennalis* legendum, non *duumviro*, ita ut Pytheas eo munere fungeretur, non vero Commodus: neque ſemper nomen illius, qui memoriam erigit, titulis antevertit, veluti in Grutero p. 252. 6. *Sabinæ Auguſt. magiſtri quinquennales collegi fabrum tignar. luſt.* XIII. *Q. Numiſius Maritimus. M. Valerius Felix. &c.* Falſus etiam eſt Laſena, dum ait hunc Pytheæ lapidem Neapolitanum eſſe, eo quod Neapoli exſtaret, cum ex vicina aliqua parvi nominis colonia eo con-

converſari poterat, præſertim cum Latiaris ſit, atque hujus urbis tituli Græce conciperentur. Non ſatis curate de Neapolitana vetuſtate meritum fuiſſe Laſenam fatendum eſt. Adde, qui fieri potuit, ut Neapolitani virum peregrinum, Siculum nimirum, T. Manlium Soſidem, poſthabitis egregiis civibus, maximo decurionis munere honeſtarent, qui infimis reipublicæ ſuæ officiis Campanos advenas vix donare paſſi ſunt, uti ex Strabone ſuperius p. 445. oſtenſum eſt? Et ab ipſo Tullio novimus Neapolitanos peregrinis nulla unquam magiſtratuum munia contuliſſe, ſed dumtaxat *civitatem, aliaque id genus præmia*, uti Archiæ hæc collata legas, atque etiam ſcænicis artificibus, uti legere eſt in orat. pro hoc poeta cap. 3. & 5. Verum quid hac in re operam ludimus, cum jam Peregrinius laud. loc. argumenta teſtibus vehementibus fulta congeſſerit pro Neapolitanorum libertate tuenda, ad quæ provocaris; queis apertiſſime conſtat Neapolim municipii nomine caruiſſe; quod tam ratum eſt, ut etiam exteri id noverint, uti Heineccius antiqu. Rom. in append. lib. 1. in extremo cap. 5. *Reliquæ civitates, quæ neque municipia, neque coloniæ, neque præfecturæ erant, civitates fœderatæ dicebantur: erant enim liberæ, niſi quod ex fœdere quædam debebant Romanis: talis civitas fœderata erat Capua, antequam in præfecturæ formam redigeretur; item Tarentum, Tibur, Præneſte, Neapolis, &c.* Quare reor poſthac nullumdum fore, qui credat Soſidem Neapoli in urbe Campaniæ decurionis munere functum eſſe, cum ea opinio tot, & vehementibus difficultatibus afflicta ſit.

VIII. Porro, cum quaſi ratum ſit Soſidem noſtra hac in urbe renuntiatum haud fuiſſe decurionem, facile inducor, ut credam Tullium loqui de Neapoli Siciliæ, una ex quatuor *maximis urbibus*, in quas Syracuſæ diſpeſcebantur, ut ait Cic. in Verr. 4. cap. 53. hinc *quadruplices* audiebant. Etenim ex ipſo Tullio tenes Soſidem Siculum fuiſſe, & Catanæ civem, ac in ea inſula *vetera negotia habuiſſe*, licet tunc temporis abeſſet. Neque hæreas in eo, quod ait Cicero hunc L. Manlium *factum civem Romanum ante civitatem ſociis, & Latinis* datam, hinc quis objiceret haud fieri potuiſſe, ut in Sicilia quædam urbes id decus adeptæ eſsent; etenim reponam me ab Plinio H. N. lib. 3. cap. 2. & ſeq. didicisse, poſtquam Romani in gentes extra Italiam arma intulere, etiam in provinciis non unas civitates municipiorum jure donatas eſse: itaque Plinius in Bætica enumerat municipia octo, in citeriore Hiſpania tredecim, in Sardinia duo, in Luſitania unum; nunc ex Tullio novimus etiam in Sicilia, quæ omnium prima ex provinciis Romanis paruit, Neapolim Syracuſarum municipium factum. Et Cicero, ut tueatur Balbum cap. 9. in Gadibus in Hiſpania natum jure civem Romanum creatum, his verbis utitur: *Nam & ſtipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis multos civitate donatos videmus, & qui hoſtes ad noſtros imperatores perfugiſſent, & magno uſui reipublicæ noſtræ fuiſſent, ſcimus civitate eſſe donatos, &c.* Igitur nemini mirum futurum autumo,

ſi *Soſis*

ſi *Soſis* cum ſuis civibus, etiam antequam civitas ſociis, & Latinis data eſset, inter Romanos adſcitus ſit. Sane quæ adnotat Manutius in hanc ep. quippe qui de Neapoli Campaniæ interpretatus eſt, ſatis mihi incocta viſa ſunt.

Scio objici poſse, propterea quod Tullius palam dicit Soſidem factum civem Romanum cum Neapolitanis, & Juliam legem commeminit, quæ pro una Italia lata eſt, non autem pro Siculis, fruſtra a me laboratum eſse, quo oſtenderem ſummum oratorem de Syracuſarum Neapoli verba feciſse: verum reponam non levem conjecturam, quam amicorum doctiſſimi etiam probarunt, ut Tullii famæ proſpiciam, & ne vecordem, & memoria turpiter laborantem traducamus: etenim in orat. pro Balb. ſi fateatur Neapolitanorum majorem partem legem hanc Juliam repudiaſſe, & ibid. Neapolim fœderatam dumtaxat urbem appellet, vide ejus verba ſuperius laudata: imo ſi contra ſint tot reliquorum Scriptorum teſtimonia, quæ etiam nuper recitavimus, aperte ajentia Neapolim nunquam fuiſſe municipium; qui fieri poteſt, ut in ea epiſtola Cicero hanc noſtram urbem longe ante Juliam legem Romanam civilitatem acceptaſſe edicat, & quæ mox firmarat ſummus orator, eadem deſtruat? porro qui turpem hanc in eo ἀντιλογίαν æquo animo ferunt, hos de tanto viro contra fas mereri dicas. Igitur ſi importuna verba ab epiſtola eradas, nim. *ante civitatem ſociis, & Latinis datam*, res erit integra; quæ quidem verba ab ignariſſimo Rom. hiſtoriæ ſcholiaſte margini olim adſcripta, deinde in ipſius epiſtolæ contextum ab librario æque ἀμύστῳ injecta ſunt. Pervelim autem, ut quis me audaciſſimum minime redarguat, quod parvum κόμμα ab ep. exturbarim, cum conſtet veterum Scriptorum opera his ineptiſſimis appendiculis ob amanuenſium inſcitiam ſæpe inquinata, præſertim ſi leges vel illuſtrandæ, vel recitandæ fuiſſent, queis vel importunas facile aſſuerunt, vel integras corruperunt; exemplo ſint binæ, a quibus p. 121. 122. non una verba abraſimus, quæ ab ora libri in κείμενον certo injecere librarii. Igitur, expunctis ab Tullii epiſtola paucis hiſce ῥήσεσι, *ante civitatem ſociis, & Latinis datam*, haud ſiquidem Neapolim Campaniæ, (quam nemo, neque ipſe Cicero Romanum municipium unquam fuiſſe dixerat,) ſed Neapolim Syracuſarum, ut de aliis urbibus extra Italiam oſtenſum eſt, Romana civilitate donatam jure vult orator, ut ex totius epiſtolæ ſententia aperte eruitur. Porro haud ſcio an quis hanc conjecturam, qua non parum lucis Tullio allatum eſt, tot rationibus fultam poſthac vel rejiciat, vel reprehendat.

Demum, *L. Manlius Soſis*, ut ait Manutius, *duo ſunt Romana nomina, tertium Siculum, qui enim peregrini Romanam civitatem aſſequebantur, eorum aſſumebant & prænomina, & nomina, quorum opera, & beneficio cives Rom. facti erant, vetere nomine conſervato*, boniſque exemplis id probat, quæ tute legas in comment. Si vero Cicero dixerit *L. Manlius eſt Soſis*, adjecta vocula *eſt*, ne quid novum, aut inauditum credas, non unum enim Manutius exemplum appoſuit, queis addas act. 4. in

Verr. cap. 23. *Polemarchus eſt Murgentinus*, & ibid. *Gubulides eſt Groſphus Centuripinus*. Licet autem in Gruter. indice hoc nomen *Soſis* adſcriptum non ſit, repertum a me eſt in Liv. proprium Siculorum eſſe lib. 25. c. 9. circ. fin. *Præerat huic arci*, (ſermo eſt de Syracuſarum obſidione,) *Philodemus Arginus ab Epicide impoſitus*, *ad quem miſſus a Marcello Soſis*, *unus ex interfectoribus tyranni*, *&c.* id genus Græcanica nomina amaſſe Siculos cuique veteres hiſtoricos lectitanti conſtat. Scias autem ideo me iſthæc trita de Soſidis nomine adnotaſſe, propterea quod virum doctiſſimum mira quædam de eo interpretatum eſſe inaudivi. Sed præter ſpem plura de ſat obſcuro Tullii loco, quo patriam a municipii nomine, & a decurionum magiſtratu tutarer.

Neque curandum duxi marmor, quod affert Laſena in Gymn. Neap. p. 150. ubi in eſtremo verſu legere eſt: ORDO P. Q. NEAPOLIT. D. D. nam tantis erroribus etiam quoad ſyntaxim fœdum eſt, ut mirer hunc doctum ſane virum adſcripſiſſe; imo illud ſui oblitum jam antea præmiſiſſe pag. 117. longe diverſum; adde eundem lapidem in Grutero pag. 264. 4. inveniri reſtitutum, & veluti iterum confictum: quare quis fidem ſaxo tam ſubleſto præſtet, & quod aptatum eſt pro exſcribentium ingenio? Fortaſſe ubi eſt ORDO P. Q. NEAPOLIT. D. D. ſculptum erat ORDO P. Q. N. D. D. inde indoctus quidam extendit *Neapolit.* cum reddi potuiſſet *Nolanus*, quæ urbs municipium, & colonia evaſerat, & proſtant ſilices cum his ſingulis litteris, ORDO P. Q. N. vide ſuperne p. 430.

IX. Neque ſupparem, ac peræque arduum Ciceronis locum fugiam 2. contr. Rullum cap. 31. ubi videre eſt Neapolim Campaniæ luculenter vocitari tum *municipium*, tum *veterem coloniam*, atque eſſe in eodem cenſu, ac Theanum, Calenum, Atella, Cumæ, Pompeji, Nuceria, &c. unamque urbem Puteolos liberam ac ſui juris: *Dixi antea lege permitti*, *ut quæ velint municipia*, *quas velint veteres colonias colonis ſuis occupent: Calenum municipium complebunt*, *Theanum opprimènt*, *Atellam*, *Cumas*, *NEAPOLIM*, *Pompejos*, *Nuceriam ſuis præſidiis devincient: PUTEOLOS vero*, *qui nunc in ſua poteſtate ſunt*, *ſuo jure libertateque utuntur*, *totos novo populo*, *atque adventitiis copiis occupabunt*. Cur iſthæc verba diligentiſſimæ lectionis vir, & Neap. libertatis antiquus hoſtis Mazochius non viderit, (nam ubique Scriptorum noſtrorum proſtant,) perdiu demiratus ſum. At Peregrinio ſat iratus vivo, qui oppido moleſtus, ac μεγαλαυχίας plenus ita cives meos laceſſit pag. 740. *Ma qual coſa avrebber riſpoſta coſtoro ad alcuno*, *il quale detto aveſſe*, *che di tutte le noſtre Città di Campania Pozzuoli ſola nel tempo di Cic. era in poteſtà di ſe ſteſſa*, *e quaſi della libertà godeva*, *di quel lor modo?* . . . inde paucis poſt id genus verbis ſupernum Tullii locum recitat, atque addit: *Scioglian*, *prego*, *ancor queſt'altro nodo i medeſimi miei valoroſi letterati Napoletani*, *che io già ho ragionato delle coſe della Campania Felice*, *&c.* Sed parcius iſta viris objectare oportuiſſet Peregrinium, nam

hunc

Digitized by Google

hunc locum Tullii a Capacio noſtro in Puteol. hiſt. pag. 13. didicerat, ac ſuffuratus eſt. At Neapolitani facile reſponſum de his ſuſque deque turbatis Ciceronis verbis Peregrinio deludenti ſufficiunt: neque a Græcia heros arceſſendus, ut hunc *nodum*, quem Campani Herculeum rati ſunt, ſed nos in ſcirpo eſſe exputamus, expediat. Quis enim vero ſtatim non advertit bina nomina *Neapolim*, & *Puteolos* loco non ſuo adſcripta a librariis dormitantibus? quare ſi in propriam ſedem ea remittas, ſcil. ubi illitum eſt *Neapolim*, reponas *Puteolos*, & contra, res eſt integra, & harum πολυβοήτων urbium hiſtoriam, regimen, ac titulos probe reſtitutos vides. Si exempla quæras id genus oſcitantiæ amanuenſium, ſexcenta tenes in Strabone, conſulas doctiſs. interpretes, veluti in pag. 620. to. 1. advertit Palmerius, ut perquam plures taceam, malam manum exſcriptorum appoſuiſſe Argos in Bœotia, & Hyriam ſat longe ab Aulide: verum geographicis his σφάλμασι veterum libros ob iſtorum hominum noxam infectos eſſe quiſque novit.

Quin turbatas in locum ſuum binas has urbes probe reſtituerim, nemo intercedet; nam abunde oſtenſum eſt Neapolim Græcam urbem, neque municipium unquam fuiſſe, neque coloniam, etiam ab ipſo Cicerone ea de re vadimonio accepto, vide quæ ſat multis ſuperne dicta ſunt. Contra vero Puteolos vices municipiorum, & coloniarum ſubiiſſe adeo certum eſt, ut in hiſtoria hoſpes ſit, vel tiro, ſi quis id neget; cum præter Scriptores, quorum ditiſſima teſtimonia collegit Capacius, tot marmora etiam protulit, qua de re plurimæ ei gratiæ habendæ, adeas ejus hiſt. Puteol. circ. init. Si igitur Puteoli *vetus colonia*, *& municipium* certo audiit, & Neapolis *in ſua poteſtate fuit*, *ſuoque jure ac libertate utebatur*, quæ Tullii ſunt verba, porro niſi moroſiſſimus, aut excors τὴν ὑστεροπρωτείαν in his urbibus in Ciceronis ὑποκειμένῳ ob ſomniculoſos exſcriptores accidiſſe inficiabitur. Hic mihi venia ſit dupliciter de Peregrinio conquerendi; tum quia pag. 255. teſtimonia, queis certo Puteolos coloniam fuiſſe firmatur, clanculum mutuatus a Capacio, hujus noſtratis viri ceteroqui diligentiſſimi non meminit, inde illam in dubium revocare adlaborat tot verborum involucris, ut quo tandem collineat, ignores; (quod vitium, ſive artem ſæpe in docti hujus Campani Scriptoris volumine deprehendi, & præſertim non ſemel ima ſummis haud reſpondere demiratus ſum;) tum quia marmora, quæ Capacius noſter, ut coloniam Puteolanam omnino ſiſtat, regeſſit, & quæ hac in re maximi momenti ſunt, tacitus præterivit; fidem igitur huic erudito viro ſanctiorem deſideramus. Atque hæc de Tullii verbis, quæ, veluti magnum ac difficillimum *nodum*, Neapolitanis ſolvenda objectaverat Peregrinius.

x. Non obliviſcar Statii noſtratis locum, qui vel ipſum Mazochium fugit, vel tantus vir noverat reſponſum prompte futurum, licet per ſpeciem αὐτονομίᾳ Neapolitanorum longe adverſari videatur; etenim poeta canit Silv. 4. car. 3. v. 20.

Ergo quod Auſoniæ pater auguſtiſſimus urbis
Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat, &c.

Quiſque igitur objiceret imperatorum Rom. legibus, & juri ſubjectos Neapolitanos, a queis famoſum jus trium liberorum expetierant. Verum reponendum eſt, illud Menecratem obtinuiſſe, non ut Neapoli frueretur, ſed in vicinis urbibus, quæ Romanorum coloniæ evaſerant, uti Nola, Herculaneum, Puteoli, &c. vel ſi Romam proficiſceretur; imo videtur ipſe Menecrates, ejuſque pater fortaſſe ex Romana origine Romæ diu vixiſſe, & ſupremos honoris gradus inibi occupaſſe, cum canat noſter Statius v. 57.

His (ternis liberis) *placidos genitor mores, longumque nitorem*
Monſtrat avus, pulchræ ſtudium virtutis uterque,
Quippe & opes, & origo ſinunt, hanc lampade prima
Patritias intrare fores hos pube ſub ipſa,
(*Si modo prona bonis invicti Cæſaris adſint*
Numina,) *Romulei limen pulſare ſenatus.*

Vides jam quantam partem cum Romanis habuerant, & ab Domitiano quantum gratiæ inierant noſtrates Menecrates, ejuſque pater, ut hocce trium liberorum jus adipiſcerentur; nec non ut hi tres filii Statius v. 55. *Romæ laboranti* divitiis avitis, & eloquentia opem ferant, & adulti Romam mittantur a patre apprecatur:

Sint qui feſſam ævo, crebriſque laboribus urbem
Voce, opibuſque juvent, viridique in nomine ſervent.

Hinc luculenter patet Neapolitanos legibus Romanis minime obnoxios, nec Statium illorum libertati officere, præſertim cum jam ad uxorem Silv. 3. carm. 5. v. 88. de Neapolitanis cecinerat *Morum jura viris, ſolum, & ſine faſcibus æquum*. Neque credas nos indigere exemplis Neapolitanorum adoleſcentum, qui licet nativi oris Græcanici Latiarem ſermonem didicerint, ut ſubacti Romam ad cauſas orandas deinde proficiſcerentur: cuivis notum eſt Gellii cap. 15. lib. 9. in quo noſtras adoleſcens deſcribitur Latine eloquentiſſimus, dum *mira celeritate involucra ſenſuum, verborum volumina, vocumque turbas* effuderit coram Juliano Rom. rhetore ἀλαζονείας pleno, Gellio ipſo, aliiſque ex comitatu, qui per feriarum tempus æſtivarum decedentes ex Urbis æſtu Neapolim conceſſerant. Interea advertas Domitiani ævo adeo ἕλληνας fuiſſe cives meos, ut niſi ſub Latinis magiſtris Romanam linguam addiſcerent, & ſæpius palam facto periculo in ea ſe cultiſſimos probarent, principis illius urbis forum minime adiiſſent.

Neque ſubterfugiam alia Statii verba, licet nemo ex tot viris, ne Mazochium quidem excipias, qui Romanos evaſiſſe Neapolitanos edixere, advertere fategerant; inquit ſiquidem Silv. lib. 5. carm. 3. v. 116. de patris ſui pueritia:

Non

Digitized by Google

Non tibi deformes obſcuri ſanguinis ortus,
Non ſine luce genus . . .
. . . Etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, & nobile pectoris aurum.

Hinc quis opponeret, ſi pueri Neapolitani & prætextam, & auream bullam ferrent, certum ſane eſſe Romanos induiſſe mores, Græcanicos prorſus oblitos; verum quæ ſequuntur in hoc patris epicedio v. 126. omnem nodum ſolvunt, nam Statius parentem pueritiam inter Lucanos Romanorum jam coloniam factos egiſſe canit:

Te de gente ſuum Latiis adſcita colonis
Graja refert Selle: Grajus qua puppe magiſter
Excidit, & mediis miſer evigilavit in undis.

Sella igitur erat prope *Palinuri* promontorium, & Strabo jure adſeruit Lucanos in barbariem, ideſt in mores Romanos deſciviſſe lib. 6. pag. 389. vide quæ in geographi verba ſuperne pag. 449. adnotata ſunt. Contra vero Statium ipſum puellum Græce indutum dicas, utpote Neapolitanum. Porro a Cic. pro Rabir. c. 10. didici, quo pacto, ſive quo luxu veſtibus uterentur Neapolitani adoleſcentes, ac reliqui cives, mitellis ſcil. chlamyde, ſive pallio, ac crepidis: *Deliciarum cauſa, & voluptatis non modo cives Romanos, ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam ſenatores ſummo loco natos, non in hortis, aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpe videmus: chlamydatum illum Lucium Sullam imperatorem: L. vero Scipionis, qui bellum in Aſia geſſit, Antiochumque devicit, non ſolum cum chlamyde, ſed etiam cum crepidis in capitolio ſtatuam videtis.* Idipſum de Tiberio ſcripſit Sueton. cap. 13. dum per Græciæ inſulas verſabatur: *Redegitque ſe, depoſito patrio habitu, ad pallium, & crepidas, atque in tali ſtatu biennio fere permanſit.* De Romanis Græcanicos amictus indutis etiam conqueritur Cornelius Tacitus Annal. lib. 14. c. 21.

Sed ad Græcos hiſtoricos adeamus: Dio Caſſius pag. 944. edit. Reimari hæc de Claudio: Ἐπεὶ ἐν γε τῇ Νεαπόλει, ϗ παντάπασιν ἰδιωτικῶς ἔζη· τά τε γὰρ ἄλλα Ἑλληνικῶς, ϗ αὐτὸς, ϗ οἱ σύνοντες οἱ διητᾶτο, (an potius διητῶντο;) ϗ ἐν μὲν ταῖς τῆς μυσικῆς θεωρίαις ἱμάτιον, ϗ κρηπῖδας, ἐν δὲ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα, ϗ ϛέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε· quæ ita vertit ſummus Reimarus: *Neapoli ſane omnino tanquam privatus egit: nam & in aliis rebus, cum ipſe, tum qui cum eo erant, Græcorum ritu vixerunt, & in muſicis ipſe ſpectaculis pallium, & ſoleas, gymnico certamine purpuream veſtem, & auream coronam ſumpſit.* Abſtergeas labeculam, quam initio vides in vocula ἐπεὶ, ac vertas in ἐπί γε τῇ Νεαπόλει, abraſo τῷ ἐν, quod librarii injecerunt; nam ſententia reſpuit omnino ἐπεὶ, *quoniam*, cum ἀμέσως ſequatur ἰσοδύναμος particula γάρ· & adverte Reimarum in interpretamento illud ἐπεὶ ſilentio preſſiſſe. Quid ſi παντάπασιν ἰδιωτικῶς ἔζη vertas,

tas, *vivebat ſecundum omnigenam Neapolitanorum rationem?* quis etenim dicat aliquem omnino privatum degere in urbe, qui & purpuram veſtiat, & coronam auream geſtet? rem oboluiſſe Reimarum haud negem, quare, ut ſententiæ conſuleret, neque ſibi non conſtaret Caſſius, infarſit adverbium *tanquam*, ac reddidit, *tanquam privatus*, quod Græce non exſtat. Idipſum Græcum indumentum deperiiſſe Commodum in Rom. theatro narrat Dio pag. 1218. Εἰσιὼν δὲ (ἐς θέατρον) ὁλοπόρφυρον χρυσῷ κατάπαστον, χλαμύδα τε ὁμοίαν, τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον, λαμβάνων, καὶ στέφανον ἔκ τε λίθων Ἰνδικῶν, καὶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένον, κ. τ. λ. Hinc etiam addere quis poſſet Neapolitanos ſæpe etiam *corollis* ornatos, & hilaritatis plenos inceſſiſſe, eoque ornamenti genere ad Pompejum graviter ægrotantem adiiſſe conſtat ex Cic. Tuſcul. l. 1. cap. 35. quem morem Romanorum ſeveritas *ineptum & Græculum negotium* compellavit: eam valetudinem Neapoli a Pompejo contractam meminit etiam Juvenalis Sat. 10. v. 283. ſed doctiſſimi interpretes hujus ſatyrici locum Ciceronis non recitarunt. Hinc jure colligas Statii patrem, quoniam prætextam, aureamque bullam puellulus ingenuus geſtabat, in Romana colonia victitaſſe, nam Græcorum adoleſcentum indumenta plus feſtivitatis ac hilaritatis præſeferebant. Vides interea ex ſuperno Dionis loco, quam ingenue & native Græcos mores ac inſtituta Neapoli viguerint ipſa Claudii Aug. tempeſtate; quæ deinceps multis ſæculis volventibus eodem contento animorum ſtudio perduraſſe in ſeq. hujus cap. parte oſtendam, præſertim ex Philoſtrato: quare non ſine animi tædio & angore legimus in Mazochio, cujus auctoritas vehemens eſſet apud exteros, qui noſtra parum callent: *Itaque vere hoc mihi videor eſſe dicturus Strabonem ipſum, ſi quidem pluſculum advixiſſet, Neapolim etiam inter illas urbes fuiſſe numeraturum, quas* ἐκβεβαρβαρῶσθαι, *evaſiſſe barbaras, h. e. ad Romana inſtituta & linguam tranſiviſſe conquerebatur; præſertim cum jam, ipſo vivo, ac vidente, dilabi Græca Neapolitanor. inſtituta cœperint.* Quoniam autem plurimum ſermonis de Statio tritum a me eſt, ne quis etiam objicere audeat Neapolim fuiſſe municipium, propterea quod in epiſt. appoſita lib. 4. Silvar. circa fin. Menecratem poeta hic vocat municipem ſuum: *Juncta eſt ecloga ad municipem meum Julium Menecratem ſplendidum juvenem, & Pollii mei generum, cui gratulor, quod Neapolim noſtram numero liberorum honeſtaverit:* etenim in Papinio *municeps* peræque eſt, ac *civis*, *indigena*, *eadem urbe natus;* exempla præſto mihi ſunt ab Juvenal. ſat. 3. v. 33. ubi Nilenſes piſces, *ſiluros*, dicit Criſpini *municipes:* & ſat. 14. v. 270. *lagenas advectas de littore Cretæ* appellat *Jovis municipes:* & ut magis rem firmem v. 24. ſat. 4. *papyrum* Ægyptiam vocat *patriam*, quæ vox perinde eſt ac *municeps*. Nil igitur cives mei a Statio metuant contra Græcanicam διαγωγήν, ſi Menecratem *municipem* ſalutaverit.

Demum, quoniam de odii plena voce *municipes* ſermo eſt, ne te turbet Cic. ad Att. lib. 10. ep. 13. quam quidam de libertate Neap. aventes

tes

Digitized by Google

tes malemereri objiciunt: *Tu Antonii Leones pertimeſcas cave: attende πρᾶξιν πολιτικοῦ· evocat litteris e municipiis denos: & IIII. viri venerunt in villam ejus mane:* (Manutius, diſtinguit emendatque, *decuriones, & IIII. viros: venerunt in villam ejus mane:*) *primum dormiit ad h. III. deinde, cum eſſet nuntiatum veniſſe Neapolitanos, & Cumanos, (his enim eſt Cæſar iratus,) poſtridie redire juſſit: lavari ſe velle, & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι· hoc heri effecit; hodie autem in Ænariam tranſire conſtituit.* Antequam nodum expediam, notum eſt Antonii currum leones traxiſſe, hinc μεταφορικῶς Cicero dicit Antonium minime eſſe Cæſari amicum, nec pertimeſcendum. Verba, *his eſt Cæſar iratus*, non ad Neapolitanos referenda, quod ægrotantem inviſerant Pompejum Tuſc. 1. cap. 35. uti vult Manutius cum reliquo interpretum choro; non enim vero optimus dictator in Neapolitanos ob urbanitatis officium excanduiſſet; ſed vocula *his* afficit proximos Cumanos, queis jure iratum Cæſarem dicas, quippe qui ingentem ejus claſſem peſſumdederunt, uti narrat Dio pag. 562. edit. Reimari: Κὰν τούτῳ ναυμαχία πρὸς Κύμῃ τοῦ τε Μενεκράτους, καὶ τοῦ Καλουισίου Σαβίνου γίγνεται· καὶ ἐν αὐτῇ νῆες μὲν πλείους τοῦ Καίσαρος, ἅτε πρὸς θαλασσουργοὺς ἀντικαθισαμένου, ἀπόλωντο, *eodem tempore navale prælium apud Cumas inter Menecratem, & Calviſium Sabinum commiſſum eſt: in eo etſi a parte Cæſaris naves plures amiſſæ fuerant, quod ei cum hominibus mare ſemper exercentibus res eſſet, &c.* quiſque mirabitur Manutium invidendæ lectionis virum, & tot doctiſſimos interpretes pro bona hujus epiſtolæ luce hunc Caſſii locum non vidiſſe: & noſtra refert veteres cives meos Cæſari non fuiſſe inviſos. His perpenſis, hanc exputo eſſe Tullii ſententiam, Antonium nimirum e municipiis primores acciviſſe, exceptis Neapolitanis utpote libertate utentibus, & Cumanis ipſi Cæſari palam infenſis, qui ſponte, & obſequentis animi ſignificatione hunc triumvirum adierunt: qui cum id reſciviſſet, eos abire κατὰ πρᾶξιν πολιτικοῦ juſſit, ne ſcilicet cum Cumanis Cæſaris hoſtibus conſilia concoquere in vulgus jactaretur; quare, ut omnem ejus rei ſuſpicionem amoliretur, poſtero die non exſpectato, ut conventum erat, in Ænariam receſſit. Si autem haud ſponte, ſed acciti Antonium adiiſſent Neapolitani, & Cumani, quid Tullii intererat a reliquis municipibus, qui aderant, hos binos populos ſecernere, & Atticum commonefacere? In more habuiſſe veteres cives meos ob ingenitam Græcanicam comitatem magnos viros urbis ſuæ hoſpites officii ergo ſtatim adiiſſe notum eſt, ut cum Pompejo factum legere eſt in Tullii Tuſcul. 1. c. 35. ubi Cicero tantum abeſt, ut municipes illos vocet, ut potius aperte liberos, & Græca inſtitutione victitantes irridens ſalutet; præterquamquod, uti ſuperne multis præſtitum eſt, hic orator, ceterique Scriptores rempub. Neapolitanam unam ἑλληνικὴν διαγωγὴν tenuiſſe, neque unquam Romanam civilitatem acceptaſſe ſuis libris illeverant. Ceterum reor non parum lucis antehac σκοτινωτάτῃ Cic. epiſtolæ Dione auſpice allatum eſſe, qui orator Neapolitanos ab ſibi infenſiſſi-

ſenſiſſimo *municipum* nomine liberavit potius, quam vocitavit. Sed age reliqua cl. Mazochii argumenta reſponſis perſtringamus.

PARS QUARTA.

Fruſtraneum oſtenditur Neapolitanos paucis poſt Tiberium Aug. annis ab Græcanica inſtitutione, & eloquio defeciſſe; atque argumentis eruditiſſimi viri, prolatis undique monumentis etiam nuper repertis, reſiſtitur.

I. MAZOCHII *argumenta ſtrictim proſeruntur. Neapolitanos lapides unos eſſe γνησίως, qui Græce ſcalpti ſunt, Latinos omnes ſpurios pateſit. Græcæ epigraphæ paucis ab hinc annis effoſſæ enumerantur; ne priva quidem Latiaris eruta.* II. *Statium, quanquam Latine poemata ſcripſerit, Græcanice inſtitutum eſſe oſtenditur: ſua poemata Romæ recitavit, hinc ab Domitiano Albano ruſculo donatus, terque coronatus.* III. *Statii pater pueros Homerice inſtituebat: quo Græca diſcerent, ad hunc ſenem audiendum plurimas gentes accurriſſe conſtat; ejuſdem multiplex præconium: optatque filius, ut uni Græci vates patris exſequias comitentur.* IV. *Templum Caſtorum Neapoli minime ſub Tiberio erectum: neque hunc Auguſtum nomen gentis Juliæ amaſſe ratum apud omnes eſt, contra ac bis illevit Mazochius, ac Tillemontius.* V. *Græce litterata ſaxa paucis abhinc annis inventa ſingillatim proferuntur, & preſſe illuſtrantur: anaglyptum Athenodoræ puellæ ſingulare, cui multa lux a Polluce: Homericum anaglyptum elegantiſſimum, Græcis Deorum, & heroum nominibus etiam inſigne quid exhibeat, certo divinatur.* VI. *Bina diſticha melliſſima, & leporis Attici plena: & marmor Chriſtianum.* VII. *Quaterni etiam lapides nuper effoſſi, quorum bini, licet fragmenta, Neapolitanis honeſtiſſimi.* VIII. *Etiam Capreæ inſula Neapolitanis ſubjecta ἑλληνικῇ inſtitutione floruit: hoc νησίδιον plurimum commendatur, & quædam Dionis verba luculentius præ Reimaro illuſtrantur: hujus inſulæ Græcum nomen expenditur.* IX. *Capreis inventum elegantiis refertum epigramma exponitur, quæ mutila erant, adjectis.* X. *Id marmor brevi admodum commentario illuſtratur. Quid προκοπή, & quis iſte δεσποσίων· de Ἀπραγοπόλει, parva inſula; hac in re D'Orvillio reſiſtitur: ex Statio oſtenditur fuiſſe* Taurobulas. XI. *De Maſgaba quodam adoleſcente ab Auguſto dilecto; cur hujus nomen in Κτισὴν mutatum ſit: Maſgaba ab* משגב*: &* Κτισὴς *vox a Thracibus adducta, ac honeſta ſatis: Suetonio medela: Caſaubono aqua hæſit in hac ῥήσει, & interpretes nihil viderunt. Matthæi Ægyptii hujus epigr. interpretamentum apponitur.* XII. *Momenta, quæ me ad hæc longiuſcula de Caprearum inſula adnotanda impulere: Com. Firmiani laudes. Demum etymon hujus πολυθρυλλήτου inſulæ ἀμέσως ab Phœnicio* כפרים, *quod apprime cum Strabonis verbis conſpirat.*

I. PAtriæ olim Græcanicæ decus me cogit, ut ad hanc etiam partem aggrediar, ſcil. fruſtra eſſe Neapolitanos poſt Strabonis ævum Romanam linguam dedidiciſſe, ac barbariem induiſſe: pro qua ſane ſententia tuenda cum unus Mazochius ſurrexerit, neque ſocium enumeres, vereor, ne ob rei novitatem cauſa labet ac concidat. Hujus cap. quartæ partis argumentum lubenter te lecturum ſcias, cum multiplex rerum varietas, & noſtræ olim

lim Græcanicæ urbis, & Caprearum inſulæ elegantiarum illecebræ; nec non noſtratis Statii quædam præclara inſtitutio, præter bene multas recens natas Græcas epigraphes, te allicient. Porro, ut brevis ſim, veſtigiis præclariſſimi viri inhærens, pauca quædam argumentis ab eo prolatis reponam, cum non tanti ponderis ſint, atque non ex animi mentis ſententia ea corrogaſſe virum ſat Græce doctum autumem. Ait igitur pag. 101. *Paucos admodum, ac disjectos hinc inde Græcos titulos in urbe noſtra inveniri, qui primi ſunt, aut ſaltem ſecundi Chriſtiani ſæculi fœtus; inde ſenſim ſine ſenſu deſciviſſe ab Helleniſmo Neapolitanos cives; contra vero innumerabiles Latinas tum ſepulcrales, tum omnium generum inſcriptiones reperiri, ac novas effodi;* optaſſem, ut vir clariſſimus noſtræ Neapolitanorum famæ paullo honeſtius conſuluiſſet; non enim in hac urbe *disjecta hinc inde* Græce litterata ſaxa viſuntur, ſed ſano conſilio ubique ædium affixa, uti Capuæ, & Romæ, in ceteriſque boni nominis urbibus. *In cauſſa extinctæ Græcitatis fuiſſe* adſtruit *Romanos optimates, & cujuſcumque fortunæ homines Latiares deliciis urbis Græcanicæ captos Neapolim animi ergo digreſſos. Teſtem demum* vocat *Statium civem Neapolitanum Latina ſolummodo poemata pangentem.* Hæc ſunt doctiſſimi viri argumenta §. 1. a me ſumma fide collecta.

Cui ſummo viro quiſque ſine longioris ſermonis ope reponet, certum eſſe Neapoli *millenos*, non *paucos* lapides Græce litteratos proſtare, quos ædibus affixos ad decus patriæ cernimus; præter innumerabiles, quos, ut noſtrates Scriptores, qui omnium manibus teruntur, Capacium præſertim, ac Laſenam taceam, collegit Sponius, & Vandalius omnes gymnaſticos, & Reineſius, cujus ſyntagma volupe eſt exornatum ſexcentis Græcis Neapolitanis epigraphis replicare, ne ad majores harum gazarum theſauros provocem; quos certo noſtrates eſſe nemo adhuc inficiatus eſt, cum vel fratriarum nomina in iis legas, vel Neapolitanos ludos, vel magiſtratus: ita ut ſi quis ex Græce doctis omnes ſimul colligeret, quod exteri ardenter avent & expoſtulant, grande ſatis volumen conflaretur.

Atque ipſe teſtis *αὐτόπτης* ab foſſoribus bene multas epigraphes extractas, Græce ſculptas univerſas vidi paucorum annorum ſpatio, ita ut fere vicenas jam enumerem; binæ quidem ſervantur in ædibus Sacerdotum *Cruciferorum* nomine in Furcellenſi regione: baſis etiam inventa a me eſt in S. Mariæ Rotundæ: & quædam marmorea tabula in ædibus familiæ Amendolæ prope S. Petri in vinculis; præterea oblatus eſt elegans cippus in ædibus Carbonellorum in Nilenſi regione: non obliviſcar marmor Chriſtianum nuper repertum in *Catacumbis* extra S. Januarii portam: neque *θανάτιμον* ſaxum erutum prope S. Severini templum; nactus ſum lapidem in ædibus Dynaſtæ Foſſæ cæcæ juxta cœnobium Virginum S. Claræ, qui, utpote fragmentum, minime a me curatus eſt; neque ſileam de tabella marmorea ſepulcrali cum brevi titulo, & de alio fragmento, quæ ambo nuper ſibi comparavit Ludovicus Petronius unus ex XXII. viris juridi-

cundo antiquitatis amantiſſimus, litteris, & priſca origine nobiliſſimus: de anaglypto cum Græcis nominibus, quod ſervat Nicolaus de Bonis: ac de tabella depicta, & Græce litterata Herculanei a Rege reperta, quam Neapolitani artificis opus fuiſſe bonis rationibus pag. 390. præſtiti. Addas marmor, in quo diſtichon ſcalptum eſt, ac Regi domino noſtro oblatum, & alium ſilicem anaglypto, & limatiſſimis binis verſibus elegantem penes Carminum Ventapanium, qui heri, aut nudius tertius prodiit: nec non partem longiſſimi gymnaſtici tituli paucis abhinc diebus apud S.Joannis majoris effoſſam. Demum politiſſimum ac longiuſculum epigramma metrice ſcriptum Capreis inventum, quæ inſula, utpote Neapolitanis ſubjecta, Græci oris erat. Qui Græci ſilices cum nuperrimi ſint, & noſtra hac ætate in lucem tracti, uſque ad ſtuporem demiratus ſum promptam Mazochii facilitatem edicentis pag.101. *Latinas inſcriptiones omnium generum* (Neapoli) *novas quotidie effodi*. Ex hac ditiſſima marmorum gaza quædam mox apponam, quædam, quando de Fratriis ſeq. cap. ſermo inſtituetur; pleraque autem incidi ad autographi fidem minime poſthabui, ut ætas dignoſceretur; utinam majores noſtri parili ſtudio tantas divitias conquiſiviſſent, ac ſervaſſent, & ingenitam elegantiam characterum, vel deformitatem ad nos tranſmiſiſſent; verum tutorum iniquitate nepotum luxui potius, quam litteratorum exſpectationi, atque utilitati conſulitur. Mihique gratiæ plurimum expoſtulo tum ab civibus, tum ab exteris, qui hunc theſaurum comparavi, atque cum re litteratorum publica communico, tanto grandioris pretii, quanto majoris ſunt id genus opes Græcanicæ præ Latiaribus.

Contra vero quanquam ſim ſilicum litteratorum explorator acerrimus, atque ubicumque effoſſiones fieri audio, adverſus ſtructores barbaros accurram, ſors Latinos nunquam obtulit; ſi unum illud excipias grande fragmentum a me plus parte dimidia ſuppletum, ab amicis commentariolis exornatum, quanti ducendis, videant ceteri, mihi ſat eſt ſaxum vitæ reddidiſſe, idque erat ἀγχόλημα· in quo præter cetera ad urbis noſtræ æternum decus, quæ antehac ignota erant, legimus, *Valentinianum, ac Theodoſium AA. Neapolitanam civitatem ad omnes terra marique incurſiones expoſitam, & nulla ſecuritate gaudentem ingenti cura, ac ſumptu muris, turribuſque muniviſſe*; quam Cæſaream epigraphen ideo Latine conceptam reor in adhuc Græca urbe, ut majeſtati Valentiniani occidentis imp. conſulerent Neapolitani, ſicuti ſub Tito factum vidimus; niſi dicas marmor erectum ab ipſo Valentiniano ob murorum beneficium per curatores ſuos, quare Latinam omnem intuemur. Quæ etiam ſaxa in Helenæ Conſtantini matris, ac hujus Aug. decus a quibusdam noſtratibus Scriptoribus referuntur, ſuſpectiſſima traducere videtur Aſſemanius in laborioſiſſimo opere de reb. Neap. & Sic.to.3.pag.308. quare licet Latina, nemo mihi objiceret: præſertim cum legam epigraphen Conſtantini exſtitiſſe in arcu prope templum S.Spiritus ad viam Toletanam: at ſcias hujus Augu-

ſti

Digitized by Google

ſti ævo eam urbis partem ſolummodo arboribus conſitam, nec ullis ædificiis inſignem. Ceterum ne credas παράδοξον, ſi adſeverem, ex quotquot Latialibus ſaxis, quæ Neapoli viſuntur, nullum ſane eſſe, quod certo jures Neapolitanum, & aliundevis huc translatum adſtrui non poſſe; nam omnia αὐτόχθονι, & patria aliqua nota carent; præſertim cum ipſe Mazochius idipſum fateatur pag.238. col.2. *Qui viſuntur Neapoli, titulos plurimos Puteolis, Bajis, Baulis, Miſeno, Cumis, Capua, aut undelibet allatos fuiſſe*. Porro ipſe paucis annis ante non infimi æris pretio a noſtrate marmorum ſectore emi cippum Latine exaratum, Capuæ erectum, demum Neapolitano marmorum opifici venditum, quem Regis noſtri Aug. maxime intererat ſervari, cui ſtatim obruli, quippe Herculanenſis eſt, & factas ibi ſub Severo imp. effoſſiones meminit, quem in fine hujus operis paucis illuſtrandum ſpondeo, ſi tempus & otium ſiverint.

II. Præterea defeciſſe Neapoli Helleniſmum a me nunquam impetret Mazochius, eo quod huc Romani bene multi confluxerant ob delicias; etenim, ſi Neapolitani Latinos mores induiſſent, ſermonemque Romanum etiam didiciſſent, nequaquam Roma Neapolim ſe illi recepiſſent, cum hæc eadem in Urbe terrarum orbis principe longe melius ac elegantius reperiſſent; verum Strabo pag. 378. to. I. clare præſtat Romanos huc adventaſſe, quo Græcanicis inſtitutis, Atticaque vivendi ratione fruerentur, perdite τὴν διαγωγὴν Ἑλληνικὴν amantes; delicias autem, & amœnitatem loci minime commemorat. Me piget præterea Mazochium ſatis infirme contra noſtratem Helleniſmum objectaſſe Statii Neapolitani Latinitatem, cum longe ante me noverat vir magnus fere ſemper Romæ vixiſſe Domitiano Aug. cariſſimum, cui bina ſua poemata etiam ſacravit; quin ab eodem principe agro Albano ſe donatum canit Silv. 3. I. v. 61. ubi æſtates terebat:

Aſt ego Dardaniæ quamvis ſub collibus Albæ
Rus proprium, magnique Ducis mihi munere currens
Unda domi curas mulcere, æſtuſque levare
Sufficerent, &c.

Hinc modo patet, quare in patris epiced. 5. I. v.227. inquit:

. . . . . Qualem te Dardanus Albæ
Vix cepiſſet ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſarea donata manu.

Ex quibus verbis noſco etiam in Albano ruſculo ſæpe ruſticatum eſſe, & Romæ poemata ceciniſſe, ut ex aliis ejuſdem carminum locis idipſum conſtat. An victus fuerit Statius noſter, dum Thebaida inter Romanos recitaret, vide Caſaubonum in Sueton. in extremis paginis; quod negatur, præſertim cum uxori dicat ter ſe auream coronam retuliſſe ab Domitiano Silv. 3. 5. v. 28.

. . . . Ter me nitidas Albana ferentem
Dona comas, ſanctoque indutus Cæſaris auro,
Viſceribus complexa tuis.

 In

Digitized by Google

In quinto hoc carm. vides etiam Claudiam uxorem Romæ degentem, & rogatam multis verbis, ut tandem Campaniam, & imprimis Neapolim repeteret. Adde Papinium noſtrum in Albano victorias Domitiani Auguſti de Germanis, & Dacibus in quinquennali agone ceciniſſe, & corona aurea ab hoc principe donatum; imo ejuſdem menſæ aſſediſſe habes Silv.4. car.2. verſ.62.

> *Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris,*
> *Qua mihi felices epulas, menſæque dediſti*
> *Sacra tuæ: talis longo poſt tempore venit*
> *Lux mihi, Trojanæ qualis ſub collibus Albæ,*
> *Cum modo Germanas acies, modo Daca ſonantem*
> *Prælia, Palladio tua me manus induit auro.*

Nil mirum igitur, ſi Statius poemata Latine panxerit in Urbe Latii principe, lociſque confinibus. Mirari potius debuiſſet Mazochius, Neapoli urbe jam Latini oris, uti vult vir doctiſſimus, unas Græcas innumerabiles epigraphes reperiri, imo & Romanos ipſos, ſi Neapoli ad plures iviſſent conſanguinei, his Græce lapides θαυμασίως exſculpſiſſe, nunquam Latiares, cujus rei exemplo erunt bina epigrammata, quæ mox adſcribam. Ut autem, quæ dixi, luculentius percipias, conſtat Domitianum, (quod non viderunt Statii interpretes,) Albanam ſeceſſionem perdite amaſſe, inibique omne genus ludos celebraſſe, & poetarum etiam certaminibus interfuiſſe, Suet. cap. 4. *Celebrabat in Albano quotannis quinquatria Minervæ, cui collegium inſtituerat, ex quo forte ducti magiſterio fungerentur, ederetque eximias venationes, & ſcænicos ludos, ſuperque oratorum, & poetarum certamina*, quos inter certo Statium adnumeres. Et c. 19. *Centenas varii generis feras ſæpe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique, &c.* Suetonio ſuccinit Dio Caſſius edit. Reimari pag. 1100. Ἀγῶνας καὶ ποιητῶν, καὶ λογογράφων, μονομάχων τε κατ' ἔτος, ὡς εἰπεῖν, ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει· & p. 1113. Ὑπατεύοντα αὐτὸν ἐς τὸ Ἀλβανὸν ἐπὶ τὰ νεανισκεύματα ὠνομασμένα καλέσας λέοντα ἀποκτεῖναι μέγαν ἠνάγκασε. Ex quibus verbis aperte vides, cur canat Statius ſe Albani plures coronas ab Domitiano accepiſſe.

Verum fuiſſe poetam noſtrum etiam Græce doctiſſimum propalam eſt in epicedio in patrem, ubi ab verſ. 148. ad 159. feſtivam Græcorum poetarum vim enumerat, ſtilumque, & eorum argumenta docte perſtringit, quos porro curate lectitaſſe oportuit; præſertim cum patrem ipſe canat verſ. 107. Athenienſibus, Cyrenenſibus, (Alexandrina ſchola ſcil.) ac Spartanis Græce doctiorem, imo parem Homero faciat v. 159. fieri ergo haud potuit, ut filius Latine dumtaxat inſtitutus ſit. Et quo pacto noſter Statius in longiſſima Thebaide, & brevi Achilleide tot fabellas in Romana carmina transfundere quiverit ab unis Græcis veteribus Scriptoribus exaratas, niſi Grajum ſermonem penitus calluiſſet, imo & ingenitus ei fuiſſet?

Adver-

III. Advertas averem Statii patrem ab Homero vatum principe Neapolitanos pueros inſtituere occœpiſſe, v. 146.

Hinc tibi vota patrum credi, generoſaque pubes
Te monitore regi, mores, & facta priorum
Diſcere; quis caſus Trojæ, quam tardus Ulyſſes:
Quantus equos, pugnaſque virûm decurrere verſu
Mæonides.

Nam ſæpe a me dictum eſt multis fulto teſtibus præ reliquis urbibus Neapoli Homerum excultum, ita ut cives mei *Homerici* ſalutarentur. Præterea adeo Græce ſubactum parentem ſuum alloquitur, ut hexametrorum menſura poemata tam facili arte compingeret, ut ſolutæ orationis libertatem, ac candorem æquaret, v.159. miror hos verſus doctos interpretes vehementer torſiſſe:

. . . Tu par aſſuetus Homero
Ferre jugum, ſenoſque pedes æquare ſolutis
Verſibus, & nunquam paſſu breviore relinqui.

Hinc ad illum, appoſitiſſime proſequitur Statius, veluti ad Sibyllam, atque oraculi inſtar Lucanos, Daunos, & omnes Campaniæ noſtræ gentes, quas ſingulatim eleganti poeſi enumerat ab v.161. ad 176. quo Græce inſtituerentur, accurriſſe: quæ Campaniæ loca me piget, quotquot doctos commentarios in ea intexuerunt, miſere vexaſſe; ſi id nunc agerem, clare eadem diſtinguerem:: ſed rogaris, ut a me Puteolanam chorographiam brevi exſpectes. Demum tantum Græci ſermonis adſequi ſtuduerat Statii pater, licet adoleſcens, ut filius canat, v. 134. digito monſtratum fuiſſe, tanquam exemplar ceteris puellis:

Protinus ad patrii raperis certamina luſtri
Vix implenda viris, laudum feſtinus, & audax
Ingenii: ſtupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa (Neapolitana,) *& natis te monſtravere parentes, &c.*

Adde ad id faſtigii Græcanicam patris ſui eloquentiam adveniſſe, ut filius adſtruat, v. 109. ſi Neapolis neque originationis fama, neque inſtitutis, atque ore Domitiani Aug. tempore Græca floreret undique, uno patris eloquio omnino Grajam ſe probare, quæ omnium maxima laus eſt:

Si tu ſtirpe vetus, famaque obſcura jaceres
Nil gentile tenens, illo te cive probares
Grajam, atque Euboico majorum ſanguine duci.

Demum cupit, ut ad Elyſios parentem comitentur uni vates Græci oris, atque poſthabet quamcunque Latinorum poetarum clientelam eo in funere celebrando, utpote ignobilem, & peregrinam, ac in urbe Græca barbaram, v.284.

Ite pii manes, Grajumque examina vatum,
Illuſtremque animam Lethæis ſpargite ſertis, &c.

Ex his omnibus quiſque infert, (nam ideo iſthæc longiuſcule intexui,) Nea-

Digitized by Google

Neapoli, Domitiano victitante, Græci ſermonis vivacem gratiam viguiſſe, nec jam cœpiſſe ἐκβεβαρβαρῶσθαι ab Tiberii ævo, ut enixe, & argute oſtendere conatus eſt Mazochius; & mecum miraberis virum Græce ſcientiſſimum tam acre bellum Neapolitano Helleniſmo indixiſſe. Haud tamen denegem hunc ſenem etiam Latina calluiſſe, in quibus præter gentilem linguam filium conformaſſe conſtat, nam Thebaida, & Achilleida, ipſo magiſtro, confinxit, v. 233.

Invida Tarpeji caneret te noſtra magiſtro
Thebais, urgebant priſcorum exordia vatum,
Tu cantus ſtimulare meos, tu pandere facta
Heroum, bellique modos, poſituſque locorum
Monſtrabas: labat incerto mihi limite curſus
Te ſine, & orbatæ caligant vela carinæ.

Neque dubitem, quin procerum Romanorum filios frequentiſſimos Neapolim celebrantes res eorum veteres tum Græce, tum Latine docuerit, quas culto carmine Papinius noſter enumerat ab v. 176. uſque 194. quos utpote longiores tutemet legas, horum initium eſt:

Mox & Romuleam ſtirpem, proceresque futuros
Inſtruis, &c.

Hinc Neapolitanæ reip. jucundiſſime gratulor, quæ tot ſimul gentes ſinu ſuo complecteretur, atque ingenuis artibus informaret, moreſque emolliret, Lucanos, Daunios, Campanos, & Romanos ipſos. Utinam ſicuti filii poemata bona alite ſervata ſunt, ita etiam bene multa Græcanica patris volumina minime intercidiſſent! ſaltem eorum pars exigua, veluti ruta & cæſa ex avita & ditiſſima hereditate ad nos perveniſſet! quot præclara decora urbis noſtræ otioſæ, & bonarum artium plenæ ad æternam famam reliqua fuiſſent? Vellem autem, ut mihi minime infenſus vivas, eo quod pæne Iliada de Statii noſtratis, ejuſque parentis Helleniſmo produxerim, Mazochium magni nominis virum potius incuſes, qui eo me deduxit, atque hunc civem ῥωμαϊστὶ dumtaxat ſonantem voluit; mea autem intererat συμπολίτου partes tutari, ac famam; ceterum facillime paternæ urbis decora ſcribentem ad quid prolixius abripiunt: verum quæ de hoc poeta dicta ſunt hic, & paullo ſuperne pag.457.&c. Neapolitanis honeſtati futura ſunt, utpote antehac minime animadverſa. Utinam mihi otium ſuppeteret, quot ornamenta, & quam elegans vivendi genus Græcanicæ hilaritatis, ac comitatis ab Silvarum libris in lucem traherem! Et quis tot doctiſſimis civibus meis cito non ſuccenſeat, quorum nemo hunc vatem αὐτόχθονα quæſitis undevis commentariis mactarit: qui dant grande patientiæ, ne dicam, inertiæ documentum, dum ferunt alienigenas, & tranſalpinos Bernartios, Gevartios, Crucejos, Barthios, Gronovios, Veenhuſenios, &c. illum adnotationibus condecoraſſe, qui, utpote longe Campaniæ noſtræ nati, res noſtras, locorumque ſitus parum callentes omnia ſuſque deque perturbarunt, & fere cuncta alieniſſime a Papinii mente

inter-

Digitized by Google

interpretati ſunt; ſed faceſſant porro querelæ, etiam quando eas novimus εὐκαιροτάτας.

IV. Ceterum antequam ultra progrediar, advertendum duco ſæpe a me laudatiſſimum virum, dum cives Neapolitanos Helleniſmo ſpoliat, adſerere elegantem illam epigraphen in Divi Paulli mirandi operis porticu olim inſculptam, (quæ æterna architectonices jactura an. 1688. terræ motu concidit, & tandiu commendarat Palladius, tanquam optimum Corinthii operis exemplar, to.4.p.8. edit. Hajæ 1726.) ſub Tiberio Aug. fuiſſe erectam, cum fatis poſterioris tempeſtatis eſſe potuerit: nulla enim omnino in ea Tiberii Aug. mentio ineſt, ſed cujuſdam Ti. Julii Tarſi, qui templum Caſtorum exſtruxerat: inde vero legimus Pelagonem quendam Auguſti libertum, ac procuratorem opus perfeciſſe; at quinam ſit hic Auguſtus, nemo ſane divinaverit; id tamen ſciunt univerſi gentem Juliorum poſt Jul. Cæſarem ad Neronem uſque perduraſſe; adoptivam vero unius ſæculi intercapedine, vide laborioſum ſane opus Onomaſtici Romani Jo. Glandorpii p.481. & ſeqq. Et miror ſane Mazochium, & noſtrates Scriptores omnes edixiſſe ſub Tiberio Aug. ſuperbum hoc Dioſcurorum templum Neapoli erectum, quod non dicit epigramma. Mentis meæ animum turbaverat Tillemontius, qui in Tiberio artic. 1. adſtruit Tiberium nomen Juliæ gentis aliquando adamaſſe, provocatque ad quoſdam Mediobarbi nummos; verum neque hic, neque Morellius ullum appoſuere inter ſexcentos Tiberianos, in quo Julii nomen cuſum legas; quare cum μνημονικόν hoc σφάλμα diligentiſſimi viri deprehendiſſent, qui Bruxellenſem editionem accurarunt, illud ab præclariſſimo opere expunxere, famæque Tillemontii conſultum voluerunt; at Pariſienſem, Venetamque fœde deturpat. Ecce tibi Mazochii verba, ut mihi præſtes fidem, p. 101. *Fuit & illa olim* (inſcriptio) *antiquior ad Divi Pauli, quæ in celebri epiſtylio, quod me puero terræ motu concidit, a quodam* TIBERII AVG. LIBERTO *in veſtibulo templi Caſtorum poſita fuerat. Hæ quidem & aliæ paucæ hinc inde disjectæ Græco ſermone exaratæ partim viſuntur, partim patrum memoria exſtabant, ferme omnes, ni fallor, primi, aut ſummum alterius Chriſtiani ſæculi. Nam mox ſenſim ſine ſenſu ab Helleniſmo deſcivere Neapolitani.* Conquerendum mihi eſt hic iterato de Mazochio, qui idipſum jam præmiſerat in Camp. amphit. pag. 95. *Neapoli in templo Caſtorum epigraphe de illo Tiberii liberto legebatur:* Συντελέσας ἐκ τῶν ἰδίων καθιέρωσεν, *ideſt, ſua pecunia perfectum conſecravit.* At titulus ipſe non adnotat Tiberium Julium Tarſum alicujus Cæſaris fuiſſe libertum, neque iſte, ut ait ſummus vir, perfecit, dedicavitque templum, ſed quidam Pelago Aug. libertus. Et ipſe nuper laudatus Glandorpius hunc Ti. Julium Tarſum Juliæ familiæ addicit in extrema pag.493. Apponam epigraphen, quæ elegantibus, ac grandibus characteribus ſcalpta erat, ac binis verſibus diſtinguebatur, ut quæ dixi, tutemet legas:

TIBE-

Digitized by Google

ΤΙΒΕΡΙΟΣ · ΙΟΥΛΙΟΣ · ΤΑΡΣΟΣ · ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ · ΚΑΙ
ΤΗΙ · ΠΟΛΕΙ · ΤΟΝ · ΝΑΟΝ · ΚΑΙ · ΤΑ · ΕΝ · ΤΩΙ · ΝΑΩΙ
ΠΕΛΑΓΩΝ · ΣΕΒΑΣΤΟΥ · ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ · ΚΑΙ · ΕΠΙΤΡΟ
ΠΟΣ · ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ · ΕΚ · ΤΩΝ · ΙΔΙΩΝ · ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ

Verum non pauca in eandem ad æternum patriæ decus mihi adnotanda ſunt, cum de Fratriis erit ſermo; quæ ita vertas: *Ti. Julius Tarſus Dioſcuris, & Parthenopæ templum, & quæ in templo ſunt, Pelago Auguſti libertus, & procurator perſecit ſua pecunia, dedicavitque.*

v. Deſponſæ jam fidei opus urget, ut ex multis, qui paucis ab hinc annis tituli, & quædam monumenta Græce litterata Neapoli reperta, atque eorum poſſeſſores producam, quos ſuperne etiam recitavi pag. 462. ſi vero aliqua epigrammata hic non appoſita vides, ſeq. cap. de Fratriis adſcribam; ut magis ac magis conſtet unos Græcos hic effodi lapides, nunquam Latinos. Et ſane Ludovicus Petronius oſtendit mihi breve marmor cum non ineleganti anaglypto his verbis:

ΑΘΗΝΟΔΩΡΑ ΑΝΤ...
ΧΟΥ ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ

Quæ quidem in ſuperna tabella marmorea ſculpta ſunt; legas vel Ἀντιόχου, vel potius Ἀντιμάχου. Puellulam dicas Athenodoram, quam vides in ſaxo erectam, geſtantem dextra hydriam, atque hinc & inde parentes, ut moris eſt in his θανατίμοις ſcalpturis, cui ultimum *vale* dixere. Servat hoc ſaxum avito auro, quo ubertim floret, gens Petronia carius, utpote monumentum ſingulare; nam me docuit hic ſenator fidei integerrimæ ſe legiſſe in Polluce in innuptarum defunctarum ſepulcris ſcalpi puellam vas aquæ ferentem; & ſane hic onomaſticographus lib.8. fragm.66. iſthæc teſtatiſſima reliquit: Τῶν δὲ ἀγάμων λυτροφόρος τῷ μνήματι ἐφίστατο κόρη ἀγγεῖον ἔχουσα ὑδροφόρον, ἢ ὑδρίαν, ἢ πρόχουν, ἢ κρωσσὸν, ἢ κάλπιν· τὴν δὲ ἐφισταμένην εἰκόνα, εἴτε λυτροφόρος εἴη, εἴτε ἄλλη τὶς, ἐπίσημα Ἰσαῖος κέκληκεν, quæ non nimis incommode verſa ſunt: *innuptarum* (male *innuptorum*, ut vel puer videt) *monumento puella adſtabat aquigera, vas habens aquarium, hydriam ſcilicet, gutturnium, urnam, aut pelvim: inſiſtentem autem* (tumulo) *imaginem, ſive aquigera eſſet, ſive alia quæpiam,* ἐπίσημα *Iſæus vocavit*. Meminit hujus moris Petitus ad leg. Attic. p.496. nec non Weſſelingius pag.597. qui duoviri doctiſſimi, ſi hoc Athenodoræ monumentum Neapoli repertum noſſent, lubentes ad ſuorum voluminum ingens ornamentum recitaſſent, quos ſatis demiratus ſum tam appoſitum Pollucis locum non vidiſſe, & gratiam plurimam habeo Petronio, qui de eo me commonefecit, a quo veteribus Græcis Scriptoribus multa lux acceſſit: utinam hic affabre exſculptum exemplar

appo-

Digitized by Google

apponere quiviſſem; ſed prohibuit acre operarum feſtinantium ſtudium.

Aliud anaglyptum eſt apud Gaſparum Torellium, in quo vides Proſerpinæ raptum vivaci opere expreſſum, ternis nominibus elegans ΟΡΦΕΥΣ, ΕΥΡΥΔΙΚΗ, & ΕΡΜΗΣ, ex his vocibus prima *βυστροφηδόν* ſcalpta eſt. Porro omnium elaboratiſſimum dicas marmor, (quoniam ſermo eſt de anaglyptis,) quo fruitur Nicolaus de Bonis, cui par ob uberrimam artem, ac pæne loquacem haud reperies; in parte læva intuentium adſidet Helena una cum Venere illam ſiniſtra amice amplexante; & ſuperne viſitur Dea Pitho, quæ in altiore pila ſedet, cujus caput calatho tegitur, ſiniſtra turturem mulcet, dextra velum ab vultu amovet; & nunc primum hujus numinis ſymbola, & imaginem novimus, atque hoc uno quantivis æſtimes marmor. Dextrorſum intueri eſt Paridem enſe cinctum, chlamyde retrorſum rejecta, cetera nudum, mira artis ope ſcalptum, ſiniſtra in cælum erecta; ante hunc heroem ſtat nudus Cupido ingentibus alis, dextra latus ſuum premente, ſiniſtræ palma ſupra Paridis ſcapulam expanſa, atque erecto vultu, utpote parvulus, Paridem juvenem attente contemplatur. Quod noſtra nunc refert marmor eſt famæ plenum, hiſce magnis nominibus inſculptis ΠΙΘΩ pro Πειθώ, ΕΛΕΝΗ, ΑΦΡΟΔΥΤΗ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, quæ ſuis locis appoſitæ ſunt. Quotquot doctiſſimi viri vivax ſaxum inviſerunt, Helenæ raptum interpretati ſunt, in eaque adhuc ſententia perdurant, imo etiam fortaſſe typis mox evulgaturi. Verum qui vel picturæ, vel ſcalpturæ parum ſapit, novit Neapolitanum artificem minime hujuſmodi raptum expreſſiſſe, alias Alexandrum Helenam complexum ambulantem, ne dicam fugientem finxiſſet, uti & nuperi pictores id facinus coloribus illevere; & ipſe veterrimæ gemmæ exemplar ſervo, in qua hoc habitu binos heroas ſculptos intueor. Et opportune Regi D. N. fortunatiſſimo gratulor, qui non grandiorem picturam reperit heroidis Spartanæ raptum præſentantem, ubi Paris omnibus armis indutus Helenam complexus veluti renitentem trahit: per aera duo Cupidines volitantes agitant maritales faces: imo in eodem Regio cimeliarchio binas e marmore ſtatuas cernere eſt pedes fere quaternos cum dimidio altas, juvenem ſcilicet prorſus nudum ſiniſtra adoleſcentulam elegantiſſime indutam amplexantem, & utrumque ambulantium more; & niſi moroſus deneget, quin Paridem, & Helenam abeuntes ſcalptor expreſſerit: igitur, niſi ſi pictor, aut ſculptor gregarius raptam Helenam ſedentem, & Paridem raptorem longe ſtantem confingeret.

Verum ne te diutius detineam, ſi Ὁμηρικώτατος es, ſtatim noveris artificem Neapolitanum collocutionem Helenæ, & Paridis, quam divinus vates *ἐνεργητικῶς* in Il. *γ* ab v. 421. uſq. ad 446. cecinit, expreſſiſſe; enixe rogaris, ut hos verſus perlegas; nam mire ſimul & poetam, & ſcalptorem vel in tenui quaque re conſpirare deprehendes, ſi Deam Pithonem, ſive Suadelam excipias, quam de ſuo adjecit ſtatuarius. Hujus marmoris, & carminum Homeri æternum interpretamentum ſervo, quo de binas dumtaxat *διατρι-*

βxς, quoad ſpecimen, in Spinelliana academia frequentiſſimis auditoribus paucis ab hinc annis recitare ſuſceperam, nunc inter ſchedas, & blattas jacet. Utinam Rex munificentiſſimus Homericum hoc cimelion, & margaritis contra optabilius ſibi acquirat, timendum mihi eſt, ne brevi ad Anglos tranſvectetur. Tanti pretii ſaxum Neapolitanorum opificium eſſe nullus inficiabitur, cum Homericum ſit, & jam pag.362.&c. multis præſtiterim unos cives meos olim tanti vatis ſtudio arſiſſe, ſalutatoſque Homericos; interea vides ſolummodo Græcanica monumenta proferri in lucem. Huic tanquam germanam alteram e marmore depictam tabellam adcenſeas, quæ Herculanei viſitur Græcis etiam ludentium quinque puellarum, & pictoris, Deæque, cui dedicata eſt, nominibus nobilis, quam Neapoli delineatam pag.389.&c. jure divinavi. At inibi non dum offenderam in appoſitiſſimum Pauſaniæ locum lib.10.c.30.p.872. atque nunc iratus fio tot doctiſſimis Pollucis interpretibus, quos Pauſanias latuerat: & Kuhnio, qui Pollucis oblitus eſt in adnot. Pauſaniæ: hic enim ait Polignotum pinxiſſe filias Pandari aſtragalis ludentes, & fortaſſe adjectis earum etiam nominibus: *Πολύγνωτος δὲ κόρας τε (Πανδάρε) ἐστεφανωμένας ἄνθεσι, ϗ παιζέσας ἔγραψεν ἀστραγάλοις, ὄνομα δὲ αὐταῖς Καμειρώ τε, ϗ Κλυτίη*, uti vides in Herculanenſi regia pictura, quæ nunc cariori pretio ducenda, quæ eſt Polignoti elegans exemplar: & gratulor Neap. pictoribus, quos adverto, ab his ſummæ famæ magiſtris artem *γραφικὴν* ſibi comparaſſe; ſed magis Regi D.N. quod tales gazas adquiſiverit.

VI. Neſcio qua animi geſtientis hilaritate ad citiſſime proferendum tertium anaglyptum incitor, quod paucis ab hinc diebus in apricum proſiliit Græco diſticho decorum, quo nihil amabilius, & leporis Attici plenius, ita ut in omni anthologia haud quæras floſculum elegantiorem, atque odorum magis. Id egregium monumentum effodit Carminus Ventapanius ex magni nominis hujus principis urbis medentibus, dum vetera rudera pro ædium recentium ſubſtructione egereret in ſuburbio extra S. Januarii portam; nunc domi ſervat cariſſimum: Eſt autem non ingens lapis Parius operis ſat elegantis, in quo adoleſcentulam Aſtæ nomine in ſella ſtructuræ antehac ignotæ adſidentem, & dexteram Daphnidi juveni e regione ſtanti porrigentem, qui in idem officium promptum ſe gerit, vides: utrique ſunt in indumentorum cultu ſat concinni: in inferna marmoris area carminis ſubſcriptio non impolitis *στοιχείοις* ſcalpta eſt, licet alterius fortaſſe a Chriſto nato ſæculi ævum præferant; nam Ω inciſum eſt ad inſtar minutorum characterum, ſcilicet *ω*, atque Ε ad curvum vergit:

ΜΝΗΜΑ ΦΙΛΟΦΡΟCΥΝΗC ΑCΤΗΙ ΤΟΔΕ ΔΑΦΝΙC ΕΤΕΤΞΕ
ΚΑΙ ΖΩCΑΝ CΤΕΡΞΑC ΚΑΙ ΦΘΙΜΕΝΗΝ ΠΟΘΕΩΝ

Quod ut diſtinctius & citius legas, accipe parvis ætatis noſtræ litteris exſcriptum, & in Latinum metrum transfuſum, quantum valuit Latialis paupe-

ries

ries, & binos honeſtos nævos licet in hoc parvo corpore mihi ne objicias:

Μνῆμα φιλοφροσύνης Ἄστῃ τόδε Δάφνις ἔπυξε,
Καὶ ζῶσαν στέρξας, καὶ φθιμένην ποθέων.
Pignus amicitiæ Daphnis hoc dedicat Aſtæ,
Vivam quam & coluit, optat & exanimem.

Ne quis parum Græce doctus in voce ζῶσαν hæreat, nam Atticus lepos eſt pro ζάουσαν, ut pueri ſciunt. Ceterum priſcis Neapolitanis, & mentis elegantia, & verborum ſanctitas invidenda eſt: imo vel in ἐρωτικοῖς minime τὸ πρέπον oblitos vides; nam diſtichi ſententia, quantumvis dulciſſima, nil muliebre, aut molle præſert.

Huic mellitiſſimo diſticho gemellum eſt hoc alterum, licet non unis membris miſerrimum in modum mutilum, & nihili penſum ab iis, qui id genus Græcanicas delicias parum deguſtarunt, Neapoli etiam repertum paucis ab hinc annis, & in Regis noſtri cimeliarchium illatum ab ſtructore, qui, ut pinguiorem mercedem referret, Cumis ſe reperiſſe obganniebat:

. . . . ΚΟΝΤΑ ΤΟΝ ΑΘΛΙΟΝ ΗΡΠΑΣΕ . . . .
. . . . ΙΟΝ ΓΕΡΑΡΑΙΣ ΧΕΡΣΙ ΤΑΦΕΝΤΑ Π . . .

Cui ſtatim manus medicas appoſui, & in veterem Atticum nitorem reſtituendum curavi:

ΠΑΝΔΑΜΑΤΕΙΡΑ ΔΡΑΚΟΝΤΑ ΤΟΝ ΑΘΛΙΟΝ ΗΡΠΑΣΕ ΜΟΙΡΑ
ΚΟΤΡΙΔΙΟΝ ΓΕΡΑΡΑΙΣ ΧΕΡΣΙ ΤΑΦΕΝΤΑ ΠΑΤΓΟΣ

Πανδαμάτειρα Δράκοντα τὸν ἄθλιον ἥρπασε μοῖρα,
Κουρίδιον γεραραῖς χερσὶ ταφέντα πατρός.
Mors miſerum rapuit, perdit quæ cuncta, Draconem,
Infantis ſenior contegit oſſa pater.

Parcas, ſi vim Græcam & venuſtatem nil aſſecutus ſim; quis enim vero Latine dederit verba iſthæc pietatis plena γεραραῖς χερσὶ ταφέντα; Ne dubites de nomine Δράκοντος, nam ſi ab hoc diſceſſeris, aliud minime veſtiges, quod in κοντος exeat: vox κουρίδιον ſatis hic opportuna, & Homero amica. Imperaris, ut advertas in Anthologiæ lib. 3. in tit. εἰς υἱοὺς, καὶ θυγατέρας in epigr. 4. dictioni τῇ χειρί bina hæc adjuncta οἰζυρά, *miſera*, & πατρῴα, *paterna*, ubi etiam ſermo eſt de patre filium ſepeliente; verum vox γεραρά, *ſenilis*, neſcio quam tenerrimæ pietatis vim majorem excitat; & priſcis Neapoliranis tantam poeſeως felicitatem invideas.

Ne autem ſemper inter profana verſemur, paucis etiam ab hinc annis in veteribus urbis noſtræ ſepulcris magnificentiſſimo opere exſtructis Græcanicum hoc marmor erutum eſt: ad legendum excitus accurri, & in horum parietibus affigendum curavi, quod hic ad characterum fidem appono:

 Hinc

Digitized by Google

ЄΝΘΑΔЄΚЄΙΤΑΙ
ΧΑΡΙΤѠϹΑΖΗ
ϹΑϹΑ ЄΤΗ❦Ι̅Δ̅ΗΜ·Λ̅Γ̅
ΑΝЄΠΑΥϹΑΤΟ
ΠΡ·Ι̅ΚΑΛ·ΜΑΙ❦

Hinc vides, etiam quando cives divina Evangelii ſcita amplexi ſunt, Helleniſmum ſervaſſe, nec tam cito, uti edicit magnus Mazochius, eum cum peregrino ſermone commutaſſe. Ex quo non ineleganti ſaxo advertere te jubeo nomen Chriſtianum jam altero a Virginis partu ſæculo Neapoli viguiſſe; nam lapidis στοιχεῖα politiora ſunt, quam ſequiori ætate ſcalpebantur, uti cernes ex altero Chriſtiano ſilice, quem mox dabo, deformibus litteris, multiſque erroribus ſqualente.

VII. Quoniam autem ne tam cara patria monumenta, & reliquiæ Græcanicæ antiquitatis eant peſſum ſtructorum, vel nullius frugi hominum malignitate, vix certior factus ſuperiore anno ab Franciſco Valletta, viro bonarum artium cultu honeſtiſſimo, cujus majores litterarum quaſi inſtauratores jure ſalutant univerſi, e Benedictinorum ædibus prope S. Severini templum, ubi ingentes latericiæ murorum moles repertæ ſunt, ruderibus rejectis, Græcam epigraphen extractam eſſe, cito exemplar rogitavi, atque humaniter, qui ſuus eſt mos, exhibuit: inde cum marmor ipſum Gaſpar Torellius præſertim penitiorum ſacrarum litterarum ſtudio, ut ingenuitatem morum taceam, clarus, qui ejuſmodi gazas quoad vim bonam ſervat, comparaſſet, ad illud inviſendum ocius accurri: & vides lapidem, quem Claudiæ Antoniæ conjugi ſuæ dulciſſimæ poſuit Ti. Claudius Aurelianus Ptolemæus e tribu Quirina, tribunus legionis VII. Geminæ.

ΘΕΟΙϹ·Κ.....
ΚΛΑΥΔΙΑ·ΑΝΤΩΝ.....
ϹΥΝΒΙΩ·ΓΛΥΚΥΤΑ.....
ΤΙΒΕΡΙΟϹ·ΚΛΑΥΔΙΟϹ·ΚΥΡΙΝΑ
ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ·ΠΤΟΛΕΜΑΙΟϹ
....ΙΛΙΑΡΧΟϹ·ΛΕΓΙΩΝΟϹ
Ζ̅ · ΓΕΜΕΙΝΑΙϹ

Hoc autem mihi ſat opportunum epigramma ſaltem quarti poſt Auguſtum ſæculi ſcalptum reor, tum ob characterum fere omnium inelegantiam,

tiam, præſertim in elemento Ω, huic minuſculo ω ſimillimo, tum magis ob vocem Γεμείνχις, quæ duplici turpiore errore inſignis eſt, cum, ut Græci pueri norunt, exarandum fuiſſet Γεμίνης · verum ſequiore ævitate, veraci obſoleſcente litterarum ſono, una in alterius locum facile irrepſit, inconcinne etiam laborante proſodia. Adverte etiam inferioribus ab Auguſto temporibus quaterna nomina celebrari cœpta; igitur non tam cito, & ſub primis Cæſaribus Helleniſmum denatum Neapoli conquerendum eſt: & gratulor, tum quod iſthæc Græcanica nuper veluti ab inferis epigraphe excitata eſt priſci oris noſtri teſtis vehemens; tum quia Latialium titulorum ne privus quidem adhuc in lucis auras exſiliit; & mens tibi læva eſt, ſi ullum id genus linguæ in Græca urbe exſpectes. Neque te obturbet, ſi legas Romanos tribunos Neapoli uxoribus ſepulcra exſtruxiſſe, imo & ſtatuas Diis noſtratibus dedicaſſe, uti de quodam M. Opſio Navio Anniano in alio Neapolitano ſaxo nuper etiam reperto ſcalptum eſt, quod in ſeq. cap. de Fratriis apponam; namque ſcimus ab Strabone, uti ſuperne pag. 436. jam animadverſum eſt, Romanos proceres, etiam ſenatores magnis jam muniis defunctos Neapolim animi gratia, & Græcanicæ vitæ, ac inſtitutionis amore ſe recepiſſe ſenium jucundo otio peracturos. Interea cum hic apprime faciat iſthæc baſis mihi cariſſima, adjiciam, ut legas, quæ parvo mox commentario illuſtrabitur: & dabo, cur hac in urbe, & quo in loco Ægyptiorum numina colerentur.

Ι Σ Ι Δ Ι
ΑΠΟΛΛΩΝΑ · ΩΡΟΝ
ΑΡΠΟΚΡΑΤΗΝ
Μ · ΟΨΙΟΣ · ΝΑΟΥΙΟΣ
Ο · ΑΝΝΙΑΝΟΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ · ΕΠΑΡΧΟΣ
ΣΕΙΤΟΥ · ΔΟΣΕΩΣ · ΔΟΓΜΑΤΙ
ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ · ΡΩΜΑΙΩΝ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΣ · ΤΑΜΙΑΣ · ΠΟΝ
ΤΟΥ · ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ · ΧΕΙΛΙΑΡ · ΛΕΓ · Ε
ΜΑΚΕΔΟΝΙΚ · ΑΡΞΑΣ · Ι · ΑΝΔΡΩΝ
ΑΡΧΗΝ · ΕΠΙ · ΡΩΝΗΣ

Nec mihi obliviſcenda bina fragmenta nuperrime etiam in lucem emiſſa, quorum unum ſat exiguum, ſed grandibus & elegantibus characteribus ſcalptum, quod laudatiſſimus idem Petronius mihi oſtendit, ſervatque in ſat divite ſuo cimeliarchio:

XIE-

Digitized by Google

Χ Ι Ε Ρ Ε Ι.
Ι · Τ Ο Γ̄ Π
Ι Π

Alterum multo maximum, & litteris præter inſignem magnitudinem politiſſimis repertum in S.Joannis majoris inter rudera: eſtque lapis quadratus ab ſceleſtiſſimis marmorum ſectoribus pro ornamento columnæ capitulo olim impoſitus: cumque una ex columnis ex eo templo ablata ſit, hoc fragmentum reciperatum eſt, reliqua procul dubio ejuſdem menſuræ ſunt, & in ceterarum vertice eidem uſui addicta, quæ ſi extrahi quirent, omnem longiſſimam, & urbi noſtræ honeſtiſſimam epigraphen nanciſceremur:

Ρ Χ Η Σ Α Σ Γ
Ο Τ Σ Σ Ο Ζ Ω Μ
Σ Α Π Ο Κ Α Τ Α Σ

Hæc duo detrita ſaxa certo ſcimus publicis ingentibus ædificiis affixa, atque in memoriam Auguſtorum, queis urbem noſtram inviſere, & gymnaſticis muneribus præeſſe pluries placuit; nam vides in primo *ἀρχιερεῖ*, cui appoſitum erat *μεγίςῳ*, *pontifici maximo*, qui imperatorum titulus erat, & ab *τῷ* Γ, *tertium*, noſcitas, uti ex epigraphe Titi Veſpaſiani ſuperne pag. 412. illuſtrata, quoties iiſdem ludis interfuere: ex ſecundo fragmento, uti in Titi lapide, bina verba habes *γυμνασιαρχήσας*, & *ἀποκαταςήσας*. Utinam ſtructorum barbaries hiſce ſanctæ antiquitatis patriis reliquiis peperciſſet, præter Titum reliquos binos Cæſares Neapolim celebraſſe gratularemur. Ceterum ex his magnorum lapidum fragminibus, tanquam ex paucis infractis membris coloſſum conjectas: cogitas & urbis noſtræ ſpecies ædificiorum magnificentiſſimas, Græcanicam *διαγωγήν*, ut ait Strabo pag.378.to.1. & Auguſtorum hoſpitum frequentiam; quare ſecundum fragmentum horum omnium teſtem locupletiſſimum ejus templi curatores patenti parieti affigi juſſere. Reliquos cippos, in ſeq. cap. apponam, cum *fratriarum* noſtrarum nominibus inſignes ſint.

VIII. Ac nunc primum advertere te jubeo adeo Græce victitaſſe Neapolitanos, ut vel longinquiores ſui juris inſulas eadem *διαλέκτῳ*, ac moribus imbuerint; quare Capreas binorum impp. receſſu famoſas Græcanici oris fuiſſe, niſi pertinax, & ſerus lectionis veterum Scriptorum perneget. Porro nulluſdum ignorat teſte Dione pag.*694*. edit. Reimari Capreas inſulam, ut taceam Strabonem pag.380.to.1. & Suetonium cap.*92*. Auguſtum ab Neapolitanis Ænariæ permutatione ſibi quæſiviſſe: ut Maronem taceam, qui Æn.7. v.734. canit vel ab ævo *μυθικῷ* Neapolitanos cum hujus inſulæ accolis ſocietatem, ac nuptias celebraſſe: adſcribam Dionis verba,

ut

ut in ea, ac in Reimari Græce doctiſſimi interpretamentum quædam adnotem: Τὴν Καπρέαν παρὰ τῶν Νεαπολιτῶν, ὧνπερ τὸ ἀρχαῖον ἦν, ἀντιδώσει χώρας ἠλλάξατο· κεῖται δὲ οὐ πόῤῥω τῆς κατὰ Συῤῥεντὸν ἠπείρου, χρηστὸν μὲν οὐδὲν, ὄνομα δὲ καὶ νῦν ἔτι διὰ τὴν Τιβερίου ἐνοίκησιν ἔχουσα, *Capreas a Neapolitanis, quorum antiquitus erant, permutatione alius regionis redemit: ſita eſt hæc inſula haud procul a Surrentana continente, ad nullam quidem rem utilis; nomen tamen adhuc hodie, propterea, quod ibi habitavit Tiberius, obtinens.* Porro longe conquerendum mihi eſt de Dione, qui nomen inſulæ, quod Strabo, Plinius, Tacitus, Suetonius, & poetæ ipſi Virgilius, Statius noſtras, (quem illud ſciviſſe oportuit,) Silius, &c. dixere Κάπρεαι, corrupit Καπρέα· Dione multo deterius Stephanus fecit Καπρεαίνη, a quibus abhorreas rogo. Haud ſcio præterea, cur Dio ea de inſula dicat, χρηστὸν μὲν οὐδὲν ἔχουσα, & ſat acerbe reſudit Reimarus, *ad nullam quidem rem utilis*, verterem potius, cum χρηστός vox ſit γενικωτάτη, *nil quidem ſpecioſius præſeferens*, cum Silius *ſaxoſam* vocet, & revera eſt, ut ait Suet. in Tib. c. 40. *ſepta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo mari.*

Ceterum νησίδιον hoc tot adverſarum urbium, atque Campani littoris proſpectu, piſcatu ſelectiſſimo, omne genus avium uberrima venatione, olei, vinique meracis elegantia, quorumvis pomorum ſuavitate commendatiſſimum eſt, ut merito a Statio ſalutentur Silv. 3. carm. 1. v. 128. *dites Capreæ*. Quid ſi addas hilare cælum ac vivaciſſimum, ut viridia filicernia ubique inſulæ feſtinis ſimillima incedentia volupe ſit intueri. Si autem habitantium mores ſpectes etiam ante Auguſtum, quaſi eoſdem ac Neapolitanorum, ſanequam cultiſſimos reperies; etenim teſtatum reliquit Suetonius cap. 98. hunc principem adoleſcentes inibi variis exercitationum generibus *deditos in ephebiis inveniſſe*, quæ Neapoli etiam viguiſſe habes ex Strabone pag. 377. Adde eos bonas quoque artes apprime calluiſſe, nam paullo inferne tum verbis politiſſimum epigramma apponam, tum arte, & ſententia nulli poſthabendum. Si de religione inquiras, docet ibid. Suetonius eoſdem Caprearum accolas, & qui in proximam inſulam commigrabant, Apragopolin, ante Auguſtum Taurubulas nomine, adeo pietatis plenos, ut ſuorum manes, ac memoriam frequentiſſimo cœtu, ac multis luminibus honeſtarent: quodnam ſit hoc alterum νησίδιον, mox dabo. Injuria igitur Dio ſcripſit, hanc inſulam οὐδὲν χρηστὸν ἔχουσαν elegiſſe ſibi animi cauſa Auguſtum. Optaſſem etiam, ut Germaniæ decus Reimarus τὸ ὄνομα, vertiſſet *nominis celebritatem*, nam vox dumtaxat *nomen* parum ambiguitatis præſefert, Plinio ajente l. 3. c. 6. *Tiberii principis arce nobiles Capreæ*, quæ verba æque ſunt, ac ὄνομα ἔχουσαι διὰ τὴν Τιβερίου ἐνοίκησιν. Hæc ſatis, licet non tanti ſint, de Dionis κειμένῳ· atque e ſemita in viam.

IX. Intereſt enim mea, ut præſtem Caprearum cives, utpote Neapolitanorum veluti coloniam, Græcanici oris fuiſſe, cujus rei teſtes locupletes habeo Tranquillum ipſum, & litterata ſaxa: inquit enim ille ibid.

Au-

Auguſtum, ut *nullo hilaritatis genere* abſtineret, quos ſecum comportarat, Romanos, Græco *pallio*, & Græcos Caprearum incolas Latiali *toga* impenſa ſua veſtiri juſſiſſe, *lege etiam propoſita, ut Græci Romano habitu, & ſermone, Romani Græco uterentur*; tenes profectò ex Suet. inſulæ indigetes veſtis, & oris Helleniſmum coluiſſe. Verum litteratos lapides, quæ mea nunc cura eſt, adeamus; adeo verum dicas eos inſulanos Græce locutos, ut marmora ſcripta, quæ ætas profert, hac lingua decorentur: inter reliqua non multis ante annis elegans, & pietatis plenum θαυμάσιμον epigramma, ac longiuſculum ab ea inſula Neapolim advectum eſt:

ΟΙΣΤΥΓΙΟΝΧΩΡΟΝΥΠΟΜΑΙΕΤΕΔ
ΜΟΝΕΣΘΩΟΙ
ΔΕΞΑΣΘΕΙΣΑΙΔΗΝΚΜΕΤΟΝΟΙΚΤΡΟΤΑΤΟΝ
ΟΥΚΡΙΣΕΙΕΓΜΟΙΡΩΝΗΡΠΑΣΜΕΝΟΝΑΛ
ΑΒΙΑΙΩΙ
ΑΙΦΝΙΔΙΩΙΘΑΝΑΤΩΙΜΗΝΙΟCΕΞΑΔΙΚΟΥ
ΑΡΤΙΜΟΥΕΝΠΡΟΚΟΠΗΣΤΑΞΕΙΠΑΡΑΔΕΣΠΟ
ΘΗΟΝΤΙ
ΑΡΤΙΔΕΚ ΓΟΝΕΩΝΕΛΠΙΔΕΜΗΝΣΤΕΡΕ-
ΣΑΣ
ΟΥΔΕΚΑ ΝΘΕΤΕΩΝΟΥΔΕΙΚΟΣΙΤΕΡΜΕΝΙΑΥ
ΤΩΝ
ΕΚΤΕΛΕΣ ΣΓΟΕΡΟΣΟΥΚΕΣΟΡΩΤΟΦΑΟΣ
ΤΟΥΝΟΜΑΜΟΙΥΠΑΤΟΣΟΛΙΤΟΜΑΙΔΕΤΙΤΟΝ
ΣΥΝΟΜΑΙΜΟΝ
ΤΟΥΣΤΕΓΟΝΕΙΣΚΛΑΙΕΙΝΜΗΚΕΤΙΤΟΥΣΤ-
ΑΛΑΝΑΣ

Et clariſs. συμπολίτῃ Matthæo Ægyptio vertendum obtulere; inde vir de patria benemerentiſſimus, ne tanti pretii gazæ deperirent, cum non paucis a ſe collectis illud bibliothecæ etiam ſelectiſſimorum librorum vi clariſſimæ, quæ ſacerdotum eſt, quos *Philippinos* vocant, addixit: atque ipſe ad ſaxi fidem exſcribere diu adlaboravi, nam litterarum veſtigia, (quas nullis interjectis ſpatiis, aut στιγμαῖς disjunctas vides,) tum ob tenuem ſcalpturam, tum ob ævitatem niſi vi oculorum valentibus ſe produnt.

Adſcribam titulum majoribus characteribus, deterſis marmorarii erroribus, atque

atque ſpatioſis appoſitis, quo facilius legas; inde minoribus characteribus, & ϛιγμαῖς diſtinctum; meumque interpretamentum metrice, & fere κατὰ λέξιν· demum poſt aliquot adnotationes illud clariſſimi Ægyptii, qui primus Latina civitate donavit.

ΟΙ ΣΤΥΓΙΟΝ ΧΩΡΟΝ ΥΠΟΝΑΙΕΤΕ ΔΑΙΜΟΝΕΣ ΕΣΘΛΟΙ
ΔΕΞΑΣΘ ΕΙΣ ΑΙΔΗΝ ΚΑΙ ΜΕ ΤΟΝ ΟΙΚΤΡΟΤΑΤΟΝ
ΟΥ ΚΡΙΣΕΙ ΕΚ ΜΟΙΡΩΝ ΗΡΠΑΣΜΕΝΟΝ ΑΛΛΑ ΒΙΑΙΩΙ
ΑΙΦΝΙΔΙΩΙ ΘΑΝΑΤΩΙ ΜΗΝΙΟΣ ΕΞ ΑΔΙΚΟΥ
ΑΡΤΙ ΜΟΥ ΕΝ ΠΡΟΚΟΠΗΣ ΤΑΞΕΙ ΠΑΡΑ ΔΕΣΠΟΤΕΟΝΤΙ
ΑΡΤΙ ΔΕ ΚΑΙ ΓΟΝΕΩΝ ΕΛΠΙΔ ΕΜΗΝ ΣΤΕΡΕΣΑΣ
ΟΥ ΔΕΚΑ ΠΕΝΤ ΕΤΕΩΝ ΟΥΔ ΕΙΚΟΣΙ ΤΕΡΜ ΕΝΙΑΥΤΩΝ
ΕΚΤΕΛΕΣΑΣ ΓΟΕΡΟΣ ΟΥΚ ΕΣΟΡΩ ΤΟ ΦΑΟΣ
ΤΟΥΝΟΜΑ ΜΟΙ ΥΠΑΤΟΣ ΛΙΤΟΜΑΙ Δ ΕΤΙ ΤΟΝ ΣΥΝΟΜΑΙΜΟΝ
ΤΟΥΣΔΕ ΓΟΝΕΙΣ ΚΛΑΙΕΙΝ ΜΗΚΕΤΙ ΤΟΥΣ ΤΑΛΑΝΑΣ

Οἳ Στύγιον χῶρον ὑποναίετε, Δαίμονες ἐσθλοὶ,
Δέξασθ' εἰς Ἀΐδην ϗ μὲ τὸν οἰκτρότατον,
Οὐ κρίσει ἐκ μοιρῶν ἡρπασμένον, ἀλλὰ βιαίῳ
Αἰφνιδίῳ θανάτῳ μήνιος ἐξ ἀδίκου·
Ἄρτι μου ἐν προκοπῆς τάξει παρὰ δεσποτέοντι,
Ἄρτι δὲ ϗ γονέων ἐλπίδ' ἐμὴν ϛερέσας·
Οὐ δέκα πέντ' ἐτέων, οὐδ' εἴκοσι τέρμ' ἐνιαυτῶν
Ἐκτελέσας γοερὸς οὐκ ἐσορῶ τὸ φάος·
Τοὔνομά μοι Ὕπατος, λίτομαι δ' ἔτι τὸν συνομαίμον,
Τούσδε γονεῖς κλαίειν μήκετι τοὺς τάλανας.

Qui Stygiam incolitis regionem, Dæmones almi,
Excipite intra Orcum me quoque ter miſerum,
Parcarum haud fato raptum me, ſed violenta
Morte improviſa ex vi ſuperum haud merita:
Jam cumulabat ſat multo me munere Cæſar,
Cum patres a ſpe, & me quoque reppulerit;
Et non quindenus, non ſe vicenus & annus
Volverat, infelix haud jubar intueor:
Nomen mi eſt Hypatus, ſed & illud adhuc rogo fratrem,
Patreſque ingemere haud ulterius miſeros.

Indulgendi ſane quidam nævi, qui ceteroqui non tanti ſunt, characterum ſcalptori, qui ſyllabam repetitam ΕΣ in vocibus ΔΑΙΜΟΝΕΣ ΕΣΘΛΟΙ

poſt-

Digitized by Google

poſthabuit , quod peccatum ſollemne eſt amanuenſium etiam ſollertiſſimis ; vide quæ multa a me dicta ſunt eo de proclivi librariorum σφάλματι ſuperne lib.1. c.*6.* pag.125. 1*26.* ubi Paulli legem reſtitui antehac cæca nocte obſitam , & mihi alias adverſantiſſimam . Præterea ob ſoni H,& E vicinitatem incidit ΔΕΣΠΟΤΗΟΝΤΙ pro ΔΕΣΠΟΤΕΟΝΤΙ , & K in medio verſ. 2. pro KAI, veluti per compendium, & ΠΕΝΘ pro ΠΕΝΤ. Neſcio, cur ſculpſerit O ſuperfluum poſt Ὕπατος v.*9.* in reliquis ὀρθογραφώτατον fuiſſe gratulor. Ne te pigeat, ſi iterum minutis στοιχείοις, quæ ſæculi inficetioris barbaries invexit, illevi, quo lectu planiorem redderem epigraphen meo interpretis labore veluti fultam, utinam ingenitam Græcæ δεινότητος vim, quæ Latinitatis caritas eſt, adſequi quiviſſem.

x. Relinquo civibus meis, qui etiam Græcis ſtudiis, & liberiori præ me otio florent , ut longiori commentario hoc marmor honeſtent : pauca mihi ſedent adnotare ; vide quam appoſite in ver. 5. dictum eſt mortem rapuiſſe Hypatum adoleſcentem , *dum eſſet* ἐν προκοπῆς τάξει , ideſt *ad ſummos honoris, & gratiæ gradus in ſpe progrediendi* παρὰ Δεσποτέοντι, *inter Auguſti domeſticos:* vox προκοπὴ inſignis eſt in novo Teſtamento, ſatis ſit ep. 1. ad Tim. c. 4. p. 15. Ταῦτα μελέτα , ἐν τούτοις ἴσθι, ἵνα σοῦ ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν, *hæc meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit in omnibus* ; ſi plura cupias de ipſo verbo προκόπτω in eadem indole, ac προκοπή, adeas Joannem Alberti in obſervat. philolog. ad Paulli ep. ad Rom.13. 12. & Philippum D'Orvillium in Chariton. pag. 174. ut tot antiquiores taceam. Sed fors belle arriſit, ut hanc vocem προκοπή in Cic. ad Att. lib. 15. ep. 1*6.* repererim non ſolummodo in eadem , quam in hoc epigr. vides, notione, verum etiam , tanquam eſſet adoleſcentulorum propria, Tullius adhibuerit commendans Ciceronis filii ingenii bonitatem, & præcipitem ſcribendi progreſſionem : *Tandem a Cicerone* (puero) *tabellarius, & mehercule litteræ* πεπινωμένως (perpolite) *ſcriptæ , quod ipſum* προκοπήν *aliquam ſignificaret :* verum elegantius ſe habuit auctor epigrammatis, qui uſus eſt ἐν προκοπῆς τάξει, ut norunt, quotquot aures tritas habent his Græcis deliciis dignoſcendis. Verſus 7. dicit periiſſe Hypatum intra annos quindecim & viginti, quare ad plures abiit ætate florentiſſima, annorum ſcilicet circiter duodeviginti ; hæc etenim περίφρασις poetarum vivax gratia eſt. Ne te fugiat σύνταξις nova & elegans lexicis addenda, ſcil. στερέτας μοῦ ἐλπίδα pro μὲ ἐλπίδος · hinc lux eſt epiſt. Jacobi 5. 4. ubi eſt μισθὸς ἀπεστερημένος, *merces ablata*, quod non adnotarunt interpretes.

Nodus eſt, quinam fuerit is Auguſtus, Octavianusne, an Tiberius, cui carus vixerat Hypatus, cum uterque, uti ſcis , Capreis commoratus ſit; ſed major conjectandi ratio urget non Tiberium fuiſſe , qui *exoletorum* ſolummodo *greges* ſibi *conquiſiverat*, ut ait Suet. cap.43. ſed Auguſtum, de quo habes cap. 98. non unos *dilectos* adoleſcentes coluiſſe : *Nullo denique genere hilaritatis abſtinuit : vicinam Capreis inſulam* Ἀπραγόπολιν *appellabat a deſidia ſecedentium illuc e comitatu ſuo : ſed ex dile-*

ctis

ctis unum Maſgaban nomine, quaſi conditorem inſulæ, Κτιστὴν *vocare conſueverat. Hujus Maſgabæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet magna turba, multiſque luminibus frequentari, verſum compoſitum ex tempore clare pronuntiavit:* Κτιστοῦ δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον, *&c.* Itaque ex dilectis cum Maſgaba, non falleris, ſi Hypatum jungas, eritque Auguſtus Δεσποτίων ille, quem meminit epigramma.

Ut autem hic parum reſiſtas rogo, quo veſtigem, quænam fuerit iſthæc inſula Ἀπραγόπολις, & quod nomen ante Auguſtum ei inditum. Porro ex Suetonii perquam doctis interpretibus nihil lucis habes: imo tot ἀσύστατα ſunt vel in Burmanni editione, ut ſi legas, teras otium; adeundus D'Orvillius in Chariton. pag. *76.* vir de Neapolitano nomine benemerentiſſimus, qui in animum induxit inſulam Apragopolin fuiſſe Capreas ipſas, atque Auguſtum e continenti Surrentini agri ſpectaſſe tumulum Maſgabæ in littore locatum; hinc in Suetonio legere optaret cum ſcholiaſte Juvenalis, *vicinam Capreas inſulam*, non vero *Capreis*. Verum piget me, adverſus tantum virum paucis differendum eſſe: nunquam ſiquidem legimus Auguſtum Surrentina littora adiiſſe, neque ſi unquam adierit, ab hac continenti terra turbam hominum ingentem Capreis tumulum Maſgabæ honeſtantem intueri quiviſſet ob longiorem octo millium paſſuum intercapedinem, uti nunc tot etiam enumeres, totidemque metitus eſt Plinius lib. 3. cap. *6. A Surrento octo millibus paſſuum diſtantes Tiberii principis arce nobiles Capreæ*. Quare Apragopolis alia prorſus a Capreis eſt, licet proxime hanc inſulam inquirenda. Porro, niſi ſtudio contendendi abripiaris, quo facile plerique omnes urgentur, me ejus parvæ inſulæ nomen divinaſſe, & ante Auguſtum *Taurubulas* audiviſſe haud neges; idque a Statio didici Silv. lib. 3. carm. 1. v. 128. dum canit, templum in Herculis honorem conſtruente Pollio in Surrentino ſuo, cum ſaxa e rupibus exſcinderentur, binas vicinas inſulas fragore reſultaſſe:

. . . . Dites Capreæ, grideſque reſultant
Taurubulæ, & terris ingens redit æquoris echo.

Vides igitur Taurubulas Capreis proximas, & adjunctum illud *virides* præſeferre ipſius Apragopolis amœnitatem; hinc plures ex Auguſti comitatu deſidis animi cauſa eo ſe recepiſſe jure dicit Suetonius, & Auguſtum magnam hominum turbam intueri potuiſſe annuas exſequias Maſgabæ celebrantem. Nollem autem, ut quis obtendat Taurubulas dictas ternos ſqualentes ſcopulos prope Minervæ promontorium ſitos; namque adeo breves ſunt, ut incolis deſertiſſimos videas; atque ita nobis deſcribit Strabo pag. *379.* eiſque nomen *Sirenes* impertitur: Κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν νησῖδες εἰσὶν ἔρημοι, πετρώδεις, ἃς καλοῦσι Σειρῆνας, *ubi promontorium* (Minervæ) *circumflexeris exiguæ inſulæ deſertæ, & ſaxoſæ exſtant, quas Sirenas vocant:* contra, quæ Taurubulæ vocitabantur, ingenti indigetum cœtu celebrabantur. Si vero me incuſes in præſenti prope Capreas neque volam, neque veſtigium hujus inſulæ exſtare, reponam lubens fieri po-

Digitized by Google

tuiſſe; ut, niſi Suetonium mendacem traducas, terræ motu deſederint: quod facilius eveniſſe putes, quam eadem vi oppida renaſci, id quidem de Statinis in noſtra Campania canit Statius Silv.3. carm.4. v.104.

Ænariæque lacus medicos, Statinaſque renatas,
Mille tibi noſtræ referam telluris amores.

Haud indulgendum doctis Papinii interpretibus, qui Taurubulas fecere *viam Herculeam* ſat notam prope Lucrinum lacum perquam inficetum etymon ſectantes, nil ſolliciti eſſe ἀδύνατον, ut rupium fragor pro Herculis templo erigendo Surrenti exciſarum in tanta locorum diſtantia exaudiretur.

XI. Haud dubitem, quin Auguſtus Maſgabæ nomen inverterit in Κτιστὴν ad dilecti adoleſcentuli ſui decus, tanquam fuiſſet ejus νησιδὶς Taurubularum *conditor*, eo quod viderit tum ejus ſepulcrum tot facibus, tum cineres, veluti loci tutelare numen, populi frequentia condecorari. Si id nomen *Maſgaba* turpiter hirtum ac barbarum audis, (hinc jure ab Auguſto in Græcanicum converſum Κτιστὴς,) haud mirum, dicas porro reliquias eſſe vocum, quæ enatæ ſunt, *Teleboum Capreas cum regna teneret Telon*, Virg.7.Æn.735. nam poſtea temporis a Neapolitanis exculti ejuſdem inſulæ accolæ nomina emollivere, & pura putaque ἑλληνικὰ ſibi impoſuere, uti in noſtro epigrammate ille adoleſcens Ὕπατος ſalutatur. Si autem potius ames nomen Maſgabæ eſſe Afrum, nam tale fuerat filio Maſaniſſæ Liv. lib.45.c.13. vel Syrum ἀμέστως ab משגב, *excellens*, ὕψιστος, haud refrager, nam ſcimus a Suetonio cap. 83. Auguſtum *animi laxandi cauſa modo piſcabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibuſque ludebat cum pueris minutis, quos facie, & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue MAUROS, & SYROS*; quod a doctiſſimis viris in ἐκδόσει Tranquilli Burmanniana accepi, quos conſulas, rogaris. Interea gratulor, quod Capreæ, quæ tanquam Neapolitanorum tunc Græci oris colonia audiebant, poetas colerent, qui id genus politiſſima carmina confingerent, quale eſt in hujus Hypati ſepulcro ſcalptum, cujus & verba ſelectiora ſunt, & ſententia ab ſummo ad imum uſque ſtabilis, & concinnitatis plena. Quid ſi metrice longiora, & quoad bonam partem a Neapolitanis ipſis cuſa epigrammata tempus minime invidiſſet? nemo unus inficiabitur & ſapientiora fuiſſe, & venuſtiora, cum Capreis, parvo ſibi ſubjecto νησιδίῳ, iſthæc tanti pretii inveniantur, quæ in Anthologia primas agere neceſſe ſit.

Si quæ de nomine Κτιστοῦ, quod Auguſtus Maſgabæ impoſuit, dicta ſunt, tibi arriſerint, parum hæc mihi ſatisfeciſſe ſcias; quare ſat ab his aliena accipies: nullus ſane concoquat Auguſtum multæ ſagacitatis principem adoleſcentulo, dum viveret, & ſibi dilecto, appoſuiſſe nomen Κτιστὴς, *conditor*, quod nil venuſtatis ac decoris, præſertim in eo, qui parvæ ætatis eſt, præſefert: ita enim ait Suetonius: *Ex dilectis unum Maſgaban nomine, quaſi conditorem inſulæ*, Κτιστὴν *vocare conſueverat:* igitur quid reconditæ notionis in hac voce ineſſe ratus ſum, quod & Maſgabæ de-

co-

cori eſſet & gratiæ: quis unquam ad leporem adoleſcentem ſalutaret *γεννικῷ conditoris* nomine? Fortaſſe Strabone duce rem me divinaſſe haud abneges, qui lib. 7. pag. 454. ubi Thraciæ gentes deſcribit, hæc illevit; Εἶναι δέ τινας τῶν Θρᾳκῶν, οἱ χωρὶς γυναικὸς ζῶσιν, ὃυς ΚΤΙΣΤΑΣ καλεῖσθαι, ἀνιερῶσθαί τε διὰ τιμὴν, καὶ μετὰ ἀδείας ζῆν, *eſſe etiam quoſdam Thraces, qui longe a mulieribus vivant, eoſque CTISTAS vocari, & ſacros honoris gratia haberi, immuneſquè vivere:* inde addit eos Homerum appellaſſe ἀβίυς, ὅτι χωρὶς γυναικός. Porro vides Thraces vocaſſe mulierum oſores Κτιστάς, quare barbara vox eſt, & longe gentium Græcarum nata, quæ quidem in hac διαλέκτῳ audit ἄβιος, Strabone teſte divite; igitur cum Auguſtus Maſgabæ nomen Κτιστοῦ addixerit, eo ſane intendit, ut peregrino, honeſtoque vocabulo ſalutaret, quem noverat, præter ceteras corporis, animique dotes, etiam eſſe ἄβιον & τ χωρὶς γυναικῶν· ac ipſe princeps ſe proderet Thraciæ linguæ haud ignarum. Neque dubitandum, quin hoc Thracium nomen honeſtatis plenum rati ſint Græci, nam Hom. Od. ο. v. 362. Ulyſſis ſorori tribuit, & in muliebrem formam inflectens Κτιμένην efformavit, quam *caſtam* facile interpreteris, nam ſi vertas, *quæ condit*, aut *quæ conditur*, verba ſat deridicula, & nullius ſententiæ reddes.

Scio quemque mihi ſtatim reſtiturum edicentem Suetonium ipſum notionem vocis Κτιστὴς dediſſe, dum ait, Κτιστὴς, *quaſi inſulæ conditor;* attamen promptus reponam quemlibet ex his, quæ animadverti, facile fore, ut credat ab ſcholiaſte margini illud interpretamentum Latiare adjectum, inde ſueta libidine librariorum in contextum immiſſum; nam ſcimus nunquam Suetonium, qui ſat verborum Græcorum, & plurimos poetarum verſus indicat, eos in Latinum ſermonem transfudiſſe; qui fieri poteſt, ut nunc Tranquillus importune privam voculam Κτιστὴς verterit ῥωμαϊστί; potius dicendum hujus hiſtorici tempeſtate pleriſque omnibus διάγνωσιν ejus vocabuli tritam fuiſſe, deinde annis volventibus tenebricoſam evaſiſſe, quæ & nobis etiam latuiſſet, niſi Strabo ſervaſſet. Ne autem ea de re dubites, ſundum do Lambinum in ep. 24. lib. 9. Cic. ad ſamil. qui ad hujus oratoris verba: *Ut ſapientius noſtri, quam Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concœnationes: nos convivia, quod tum maxime ſimul vivitur*, hæc adnotavit: *Hoc totum, id eſt, compotationes, aut concœnationes, delendum puto, ut foris profectum, & alienum, minimeque Ciceronis:* quod jure dictum ab Lambino, nam nuſquam voluminum ſuorum Tullius, uti veteres Scriptores reliqui, Græca Latine invertit. Et quis mecum non demirabitur tot primi ſubſellii Suetonii interpretes in hac eleganti, & peregrina voce Κτιστὴς nihil vidiſſe, & veluti communem ac planam inſpexiſſe? Ipſum Caſaubonum in locum Strabonis adeo turbatum advertes, ut hæc adſcripſerit, quæ haud digna tanto viro rear: *Quoſnam Græci appellent* Κτιστάς, *nemo eſt, qui ignoret; eſtque id vel ex Suet. Octavio c. 98. clarum: ſed ea hujus vocis notio nihil pertinet ad hunc locum:* at contra vides opportuniſſimam.

De-

Digitized by Google

Demum apponam ſolutum interpretamentum clariſſimi, atque eruditiſſimi viri Matthæi Ægyptii, cui ob principem locum, quem inter φιλελλήνας cives obtinebat, oblatum eſt marmor, non quo ei invidiam creem, ſed ut quiſque, quod ſibi arriſerit, facile optet. Hæc igitur reperies in pag.25. decad.2. vol.2. ſymbolarum a Gorio τῷ πάνυ collectarum: & Græca quidem poſthabeo, utpote inquinatiſſime exſcripta:

Qui Stygiam regionem habitantes, Genii fortes
Excipite in Orcum me quoque miſerrimum.
Non ego decreto fatorum, [*] *quæ me rapuerint,* [*interii,*] *ſed acuta*
Improviſa morte propter iram injuſtam.
Artimi [*quæ*] *digno in loco eum conſtituet* [**] *apud Dominantem:*
Nuper vero parentes [*meos*] *ſpe de me concepta orbavit.*
Cum neque decem, neque viginti terminum annorum
Impleviſſem vetulus [***] *non aſpicio lucem.*
Nomen mihi Hypatus, qui precor Titum conſanguineum,
Et miſeros parentes non amplius fleant.

Hæc adnotavit doctiſſimus Ægyptius: [*] *Interempti perire dicebantur ante diem, & non fato*, recitatque notos Virg. verſus. [**] *Ideſt Artimus interemptor meus dignas pœnas luet apud Plutonem. Ἐν προκοπῇ ſignificare poteſt, in loco prærupto.* [***] *Nam ſenex eſt quicumque moritur.* An iſthæc dicat epigramma, atque an in eo nomina ſint *Plutonis*, *Artimi*, & *Titi*, non aſſecutus ſum: neque vocabula *decem*, & *vetulus*, &c. inſunt; fortaſſe vir litteratiſſimus fugientes, & partim detritos ſaxi characteres ob ætatem jam vergentem minime oculis hauſit.

XII. Hæc pauca ab aliis non occupata ſatis ſunto pro re nata de Capreis, inſula olim binorum impp. maximi nominis longiori hoſpitio, tot Scriptorum Græcis, & Latinis monumentis, & antiquitatis ruderibus περιβοήτῳ. Reliqua bene multa hic haud opportuna, quæ inter ſchedas ſitum jam obduxere, poſthabui: plurima enim ea de inſula mihi cariſſima collegi, tum quia ſæpe hanc adiiſſe ſumma animi voluptate contigit, tum quia Seraphinam de Deo de parentibus meis optime meritam in ea ſepultam, virginem morum innocentia, & duobus παρθενείοις a fundamentis ibi erectis nobilem gratulor: & in illo, quod in ſuprema inſulæ parte eſt, paucis abhinc annis Helena de Vivo Neapolitana matris meæ germana ſoror functa Antiſtitæ munere, vehementi ſui deſiderio relicto, denata eſt. Præterea ad hanc inſulam illuſtrandam impulit auctoritas, & ardor rerum antiquarum amantiſſimi Comitis Firmiani Imperatoris Aug. ejuſque Aug. Conjugis apud Regem noſtrum legati munere fungentis, & penitiorum litterarum cultu, peræque & vetuſtiſſima εὐγενείᾳ nobiliſſimi, qui ſe trium locorum illuſtrationis ſtudio ardere, Veſuvii, Puteolorum, & Caprearum ſentit; & de tot Neapolitanorum, qui in hac rep. florent doctiſſimi, ſilentio mecum conqueſtus eſt: attamen egregium virum exhilaravi, cum ſynopſin Puteolanæ chorographiæ me enarrantem, ac brevi typis edendam inaudiit, pro-

ba-

Digitized by Google

bavitque humaniſſime pauca hæc, quæ nunc de Capreis, deque Veſuvio ſuperne dicta ſunt; qua de animi ſignificatione gratias habeo immortales. Ad hujus eruditiſſimi viri oblectamentum, quo Caprearum inſulæ originem dedicem, proferam etiam etymon, ut conſtet ante Teleboas etiam Phœnices hoc *νησίδιον* adamaſſe ob ſoli ubertatem, cælique amœnitatem. Vel Hebræi adoleſcentes a teneris didicere כפרים eſſe *pagos*, *vicos*, *urbeculas*, idque vel a lexicis tenes, exſtatque ea ῥῆσις ubique ſacrorum voluminum; itaque cum Phœnices binas urbes parvas ea in inſula vel repererint, vel ipſi condiderint, unam ſcil. in ſuperna ac hilariori parte, alteram in parte inſerna, uti nunc etiam vides, δυικῶς appellavere כפרים, quaſi δυόπολις· neque id novum, nam in geographis reperire facile eſt urbes nomine τρίπολις, τετράπολις, πεντάπολις, κ. τ. λ. Neque hariolationibus abducor, prædem habeo Strabonem pag. 380. edicentem aperte: *Capreas babuiſſe olim duas urbeculas*, *inde* (Auguſti ævo) *unam evaſiſſe*, *undique ædificiis exſtructis*: Αἱ δὲ Κάπρεαι δύο πολίχνας εἶχον τὸ παλαιόν, ὕστερον δὲ μίαν. Νεαπολῖται δὲ καὶ ταύτην κατέσχον, πολέμῳ δὲ ἀποβαλόντες τὰς Πιθηκούσας, ἀπέλαβον πάλιν, δόντος αὐτοῖς Καίσαρος Σεβαστοῦ, τὰς δὲ Καπρέας ἴδιον ποιησαμένου κτίσμα, καὶ κατοικοδομήσαντος. Atque nunc ſcimus quare tam Græce, quam Latine plurativo numero enuncietur hæc parva inſula, cum ita ſe habeat in origine, atque jure Dionem incuſavi pag. 477. qui Καπρέα, & Stephanum, qui Καπριανὴν vocitavit. Hoç etymon ſincerum dicas, eadem te vidente στοιχεῖα, & numerum in כפרים, ac in Κάπρεαι.

In hæc amœniſſima littora Phœnices appuliſſe ne dubites, atque nomina urbibus, inſulis, fluviis, lacubus, montibus, &c. dediſſe teſtatiſſimum eſt, & quiſque ignoti nominis grammaticus libris illevit *Surrentum* a *Sirenibus canoris* dictum, & שירים eſſe *cantilenas*. Ipſe etiam in Puteolanæ regionis deſcriptione præſtare adnitar adeo certum eſſe Phœnices ad has oras advectos, ut omnibus his locis, (ab Cajeta initium capiam littora omnia concurſans ad Minervæ promontorium uſque,) nomina ipſi impoſuerint; quod dabo nil prorſus characteres invertendo, vel deturbando, ut moris eſt quorundam; hinc fit, ut ſtudii plenum laborem, ac magnorum virorum uſu celebratum plerique irrideant ac fugillent. Atque hæc ad ubertatem & copiam uſque, ut clariſſimo Mazochio obſiſterem, qui laudato loco illeverat Statium noſtratem Græca ignoraſſe, & Neapoli unas Latinas epigraphes in luminis auras educi; contra oſtenſum eſt paucis abhinc annis privas Græcanicas, & bene multas ex ruderibus extractas, & Papinium fuiſſe ἑλληνικώτατον, ita ut, quod oblitus eram advertere, ejus carmina undique Græciſmis ſcateant ac diffluant; idque jam antea adnotavit Barthius in Silv. 5. 3. v. 135. ubi quamplurima exempla profert: & quidem quæ ingenita ſunt, etiam nobis invitis, ſe produnt. Porro cum Neapolitana tellus, veluti mater providentiſſima veterum, civium ſuorum, ac liberorum avitam, ac Græcanicam honeſtatem magnos viros imminutum iviſſe, atque inter barbaros adcenſere adaiſos eſſe jam ſenſerit, quos ſinu intimo fovebat ac ge-

Digitized by Google

geſtabat Græcos titulos, emiſit, iiſque diſcincta eſt paucis abhinc annis, quo teſtatiſſimum faceret Latinos privignos ac νοθεία infames, unos Græcos ſibi eſſe γνησίους ac naturales fœtus. Me non paucos collegiſſe juvit, quorum partem hic appoſui, reliquos in ſeq. cap. de Fratriis adſcribam. Ceterum Veſtam hanc Deam, quæ, ut ait Cicero I. de nat. Deor. c. 27. rerum cuſtos intimarum eſt, omni precatione, ac ſacrificatione ſollicitamus, ut in dies divitem id genus ἑλληνικὴν prolem, etiamſi ob ævitatem deformis ſit ac mutila, in lucem efferat, eſt enim qui medicas artes adhibeat, & in priſcum nitorem reſtituat.

P A R S V.

Argumenta doctiſs. viri contra poſterioris ævi Neapolitanum Helleniſmum elevantur, præſertim illud a Philoſtrato petitum, quod e contrario enixe firmat Neapolitanos fuiſſe Ἑλληνικωτάτους. *Lapides proferuntur, queis urbem noſtram ad ſeptimum circiter ſæculum Græcanicam perduraſſe oſtenditur.*

I. ARGUMENTA *Mazochii contra Neap. Helleniſmum inferioris ævi ſtrictim percenſentur, & elevantur.* II. *Philoſtrati* πολυβόητον *locum, quem contra objicit, opportuniſſimum pro Neap. Helleniſmo eſſe longiori commentario patefit, & omne interpretamentum Olearii, & Mazochii reficitur.* III. Ἀγὼν *quid in Sophiſta, non* declamatorius, *uti vult Mazochius, ſed* gymnicus; *quod Dionis Chryſoſt. auctoritate firmatur; huic Scriptori medela, in quo* ἴξω *pro* ἔξ. *Patris Statii laudes.* IV. *Vox* ᾤκισται *ob errorem in Philoſtrato pro* οἰκεῖται, *quod ex ſententia Perizonii, & multa exemplorum vi probatur: ignota antehac hujus verbi ſignificatio aſſeritur, præſertim ab Strabone, & Æliano.* V. *Dum hic Sophiſta vocat Neapolitanos* Ἕλληνας, *&* Ἀστυκούς, *non interpretandum* Græcos, *&* exculros, *uti vides in Oleario, & Mazochio, ſed* Atticos, *&* Athenienſes; *& vox* Ἄστυ *ab Phœnicio* עשת*: hinc Suetonio lux.* Ἑλληνίζειν *non eſt* Græciſſare, *ſed* Atticiſſare, *quod proprium Neapolitanorum erat: hæc notio bene multis documentis fulcitur; quæ quidem non fugit Salmaſium, licet Menagium latuerit.* VI. *Atticiſmus Neap. ex Strabone, & Statio, qui ideo* Actæam *vocat Cererem: atque ex nominibus menſium, ac potiſſimum ex litteratis ſaxis firmatur. In reliquis magnæ Græciæ urbibus Doriſmus viguit; hujus dialecti marmor Lucanum Oedipo dignum expenditur, & ſanatur: quid in eo* Jupiter Comnarus, *vox peregrina ab* חם נור. *Diſtichon Gregorii Meſſerii Doricum exagitatur.* VII. *Quid* φοιτᾶν *in Philoſtrato, hujus verbi* διάγνωσις *fugit Olearium, & Mazochium: eſt ad* ludum litterarium itare, *quod exemplis ſanequam multis præſtatur, & præſertim ex Polluce: Galeni patrocinium contra Mazochium.* VIII. Ἐπίδειξις *non eſt* declamatio *in Philoſtrato uti vertit Mazochius, ſed* ſpecimen, argumentum, *teſtibus antiquis Scriptoribus bene multis, nec non Perizonio, & D'Orvillio: ea in re etiam Reineſio reſiſtitur, licet marmor omnium difficillimum producat; tanti viri laudes. Etiam* ξυνυσιμένοι *in eodem Sophiſta male verſum. Urbis Neapolitanæ Græcanicæ præconia,*

quam

quam veluti depinxit Philoſtratus. IX. *Etiam multis poſt hujus Sophiſtæ ſæculis Helleniſmum Neapoli egregie floruiſſe, non unis noſtratibus marmoribus exhibitis, in aperto fit. Bina præclariſſima epigrammata nominibus coſſ. illuſtria proferuntur; quæ neſcio, cur tacuerit Mazochius.* X. *Marmor alterum etiam conſule ſignatum fortaſſe quarti ſæc. ſed Mazochius ſub Hadriano ſcalptum credit, & ΤΩΝ ΙΑΙΩΝ idem vir ſummus in interpretamento præteriit: quæ vox de* Sardis *intelligenda: Reineſius confingit importune* ΤΟΝ ΙΔΙΟΝ. *Quinam ſit hic conſul* Proculi *nomine non unis rationibus divinatur, & quarto ſæculo figitur.* XI. *Certus lapis inferioris ævi profertur metrice ſcriptus, teſte etiam Tillemontio, qui* διὰ βραχέων *illuſtratur: cui addendus alter quarto ſæculo ſat poſterior; & cur in eo verba Homerica. Demum inficetiſſima Chriſtiana epigraphe agmen claudit, quæ ſcalpta eſt ſeptimo circiter ſæculo: totius hujus partis* ἀνακεφαλαίωσις.

I. AGE videamus, qua eruditionis apparatione hoſtem Neapolitani Helleniſmi tertii, & quarti ſæculi, ac deinceps ſe præſtat Mazochius: porro ait adeo Græcas litteras hac in urbe defeciſſe, ut vix aliquot interdum lapides privata, nondum publica auctoritate inſcriptos reperias. Præterea ex præclaro loco Philoſtrati, vide in ima cera col. 2. p. 103. colligit Neapolitanos jam hujus Sophiſtæ ævo, ſcilicet medio ſæc. tertio Latinos factos, & vix in ludo grammatico, & declamatorio, uti nunc Europæi pueri in ſcholis Latine erudiuntur, græciſaſſe. Demum concludit Ambroſium, & Symmachum ad Neapolitanos Epiſcopos, & amicos ſcriptitantes non Grajo, ſed Latino eloquio uſos; quare ait hac in urbe radicitus evanuiſſe Græcanicum ſtudium. Hæc vir eruditiſſimus, ſed paullo longioribus verbis. Verum pro poſterioris ævi Helleniſmo tuendo fortaſſe cito me expediam: nam rem certam teneo, quippe firmis monumentis, uti ſunt marmora, res agetur; & nihil mihi optatius accidit, quam quod Mazochius ad longiorem Philoſtrati locum provocaverit, quem per partes ſumma hilaritate, utpote Neapolitanis honeſtiſſimum, expendere aggredior. Atque initio appono

Γ·ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΣ
ΦΗΛΙΞ
ΤΑΧΡΕΙΣΜΑΤΑ·ΚΑΙΤΗΝ·ΟΡΟ
ΦΗΝ·ΚΑΙΤΑ·ΕΞΩ·ΙΟΥ·ΑΓΟΡΕΥΤΗΡΙΟΥ
ΤΗ ΙΔΙΑ·ΔΑΠΑΝΗ·ΦΡΗΤΟΡCΙ·ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ

hunc elegantem ſilicem publica auctoritate erectum, & grandi fide a me

Digitized by Google

exſcriptum, nuperrime prope Divi Petri in Vinculis effoſſum, eumque eſſe plus minus quinti ſæculi opus ex ſatis deformi charactere, etiam luſcitioſo conſtat; quem inferne, cum ſermo erit de Panclidarum Fratria reviſam, præclaramque ſane ſententiam ad patriæ decus extundam. Vides porro niſi publica auctoritate hunc lapidem agoreuterio, quod refecerat Calpurnius Felix, adfigi minime potuiſſe, (quid loci ſit ἀγορευτήριον ibidem dicam.) Præterea quoniam nil eſt tam publici juris, quam flare ac ferire numiſmata, ſervavit Capacius in hiſt. Neap. plures noſtrates nummos Græcos univerſos tum bonæ, tum mediæ, denique etiam inferioris ætatis, quos inter unum expreſſit p. 185. quem ob elementa nil elegantia cuſum dicas ultima Helleniſmi Neapolitani tempeſtate. Advertas duplex elementum ν, ut de ω ſileam, in voce νεοπολιτων præferre extimum Helleniſmi noſtri ævum, & auctores omnes Græcæ palæographiæ in hoc conjurant. Atque ex his ſexcentis id genus numiſmatis variæ ætatis luculenter eruitur tum perdiu Neapolim in reip. ſtatu, & Græcanicis inſtitutis ac ritu floruiſſe, nec unquam Romanas leges ſubiiſſe, atque linguam Athenienſem niſi multis ab Auguſto ſæculis permutaſſe. Si autem urbium, regionum, & provinciarum ſermo dignoſcendus ſit ex epiſtolarum lingua, quacum ſcriptæ ad eas miſſitabantur, omnem Græciam, & Conſtantinopolim, tunc temporis urbem principem Latini oris exſtitiſſe dicendum eſſet, cum Symmachus, & Ambroſius, ut reliquos taceam, & Romani ipſi Pontifices, ex Italia unas Latiales litteras ad orientis incolas darent; ſatis ſit privum exemplum, ut in re certa brevis ſim, ex Symmacho ipſo, quem nobis objicit Mazochius, collectum; hic porro multum epiſtolarum Eutropio, (quem famoſum illum Græculum eunuchum eſſe nemo neget maximorum virorum tum amicitiis, tum odio clariſſimum, ſcripſit,) omneſque Latinas circa medium lib. 3. vides, atque tertiam & quinquageſimam in Aſiam miſſas aperte legere eſt; ut taceam ſexcentenas ad DD. Theodoſium, & Arcadium ſemper Augg. lib. 10. ab eodem Symmacho exaratas, quas non vidiſſe Mazochium is unus negaverit, qui ignorat, quantæ lectionis ſit vir magnus. Hinc quippe dicendum, quam epiſtolam Ambroſius Baſilio miſerat, vid. Tillemontium, in S. Baſil. artic. 127. ſi exſtaret, eam Latiali etiam exemplo fuiſſe, quo Italorum mos ſcribendi Græcanici oris civitatibus ſervaretur. Nihil igitur mirum, ſi ab Ambroſio, ac Symmacho, (ignoro, cur Caſſiodorum lib. *6.* form. 24. & 25. non adjecerit Mazochius,) Græce loquentes Neapolitani ῥωμαϊστὶ ſcriptas litteras acceperint.



II. Porro ſi unquam miratus ſum artem Mazochii viri Græce doctiſſimi, nunquam certe ſatis, quam cum Philoſtrati locum init. Iconum contra Helleniſmum Neapolitanum mire ac erudite confingit, ac contorquet: cum Sophiſtæ hujus verba eundem ævo ſuo Attice floruiſſe apprime commendent,

qui

qui Strabonis ætate vigebat : quin ipſe ajo, ſi nullum præterea monumentum ſervatum eſſet Græci eloquii fuiſſe Neapolim etiam tertio poſt Auguſtum ſæculo, id unum Philoſtrati ampliſſimum fore, & ſatis ſuperque: ſicuti olim cecinerat Statius noſter Silv. 5. carm. 3. v. 109. unum patrem ſuum Græce eloquentiſſimum præſtare potuiſſe Neapolim Græci oris eſſe, atque a Graja gente natam, etſi hunc Helleniſmum tot documenta minime teſtatiſſimum facerent:

Si tu ſtirpe vetus, famæque obſcura jaceres
Nil gentile tenens, illo te cive probares
Grajam, atque Euboico majorum ſanguine duci.

Verum unde inceptem, quo ſummo viro reſpondeam, vix reperire ſatis ſum, prolixum enim, nonnihil turbatum, & celeriorem, quam par erat, in Philoſtrati verba allevit commentarium. Ut autem ordo dicendis ſit, apponam principio omne *κείμενον* Sophiſtæ, inde non pauca in Olearii, & Mazochii interpretamento Græcæ fidei reddam, demum colligam ab Philoſtrati verbis Neap. Helleniſmum enixe ſæculo tertio firmari : Ἀφορμαὶ δὲ ἐμοὶ τουτωνὶ τῶν λόγων αἵδε ἐγένοντο· ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγὼν· ἡδὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισται, γένος Ἕλληνες, καὶ ἀστικοὶ, ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι. Βουλομένῳ δέ μοι τὰς μελέτας μὴ ἐν τῷ φανερῷ ποιεῖσθαι, παρεῖχεν ὄχλον τὰ μειράκια φοιτῶντα ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ ξένου. Κατέλυον δὲ ἔξω τοῦ τείχους ἐν προαστείῳ τετραμμένῳ πρὸς θάλασσαν, ἐν ᾧ στοά τις ἐξῳκοδόμητο κατὰ ζέφυρον ἄνεμον, ἐπὶ τεττάρων, οἶμαι, ἢ καὶ πέντε ὀρόφων, ἀφορῶσα εἰς τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος· ἔστραπτο μὲν οὖν καὶ λίθοις, ὁπόσους ἐπαινεῖ τρυφὴ, μάλιστα δὲ ἤνθει γραφαῖς, ἐνηρμοσμένων αὐτῇ πινάκων, οὓς, ἐμοὶ δοκεῖν, οὐκ ἀπαθῶς τις συνελέξατο, σοφία γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐδηλοῦτο πλειόνων ζωγράφων. Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ ᾤμην δεῖν ἐπαινεῖν τὰς γραφάς. Ἦν δὲ ἄρα υἱὸς τῷ ξένῳ κομιδὴ νέος, εἰς ἔτος δέκατον ἤδη, φιλήκοος, καὶ χαίρων τῷ μανθάνειν, ὃς ἐπεφύλαττέ με ἐπιόντα αὐτὰς, καὶ ἐδεῖτό μου ἑρμηνεύειν· ἵν᾽ οὖν μὴ σκαιόν με ἡγοῖτο, ἔσται ταῦτα, ἔφην, καὶ ἐπίδειξιν αὐτὰ ποιησώμεθα, ἐπειδὴ ἥκῃ τὰ μειράκια. Ἀφικομένων οὖν, ὁ μὲν παῖς, ἔφην, προβεβλήσθω, καὶ ἀνακείσθω τούτῳ ἡ σπουδὴ τοῦ λόγου· ὑμεῖς δὲ ἕπεσθε, μὴ ξυντιθέμενοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐρωτῶντες, εἴ τι μὴ σαφῶς φράζοιμεν.

ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ.

Ἔγνως οὖν, ὦ παῖ, ταῦτα Ὁμήρου ὄντα, ἢ οὐ πώποτε ἔγνωκας; δηλαδὴ θαῦμα ἡγούμενος, ὁπωσδήποτε ἔζη τὸ πῦρ ἐν τῷ ὕδατι· συμβάλλωμεν οὖν ὅ, τι νοεῖς· σὺ δὲ ἀπόβλεψον αὐτῶν, ὅσον ἐκεῖνα ἰδεῖν, ἀφ᾽ ὧν ἡ γραφή. Οἶσθά που τῆς Ἰλιάδος τὴν γνώμην, κ. τ. λ. Quæ ita vertit vir maximus Olearius : *Hujuſce autem ſermonis occaſio mihi iſta exſtitit: ſollemne apud Neapolitanos agebatur certamen; civitas vero illa in Italia eſt, ſuntque illi origine Græci, atque probe exculti, unde & dicendi ſtudiis graciſſant. Mihi igitur cum publice declamare minime propoſitum eſſet, adoleſcentes hoſpitis domum frequentantes, quotidie moleſti fuere. Extra mœnia autem diverſabar, in ſuburbio ad mare vergente, in quo porticus quæ-*

 dam

Digitized by Google

dam favonio vento obverſa exædificata erat, quatuor, ut puto, vel quinque contignationibus, Tyrrhenum reſpiciens mare: refulgebatque ea lapidibus, quoſcumque luxus commendat: maxime vero picturis ſplendebat, ſuſpenſis in ea tabulis, quas, ut mihi videtur, non ſine ſtudio collegerat aliquis, plurimorum enim pictorum in ipſis conſpicua ars fuit. Ego autem & ipſe picturas oratione commendare conſtitueram: eratque præterea hoſpiti filius admodum juvenis, qui decimum jam annum attigiſſet, audiendique & diſcendi eſſet percupidus, qui ipſas luſtrantem me obſervabat, utque interpretarer, rogabat. Ut ne itaque lævam mihi eſſe mentem arbitraretur, eſto, dixi, faciamque iſta argumentum dicendi, cum primum juvenes venerint. Quare cum veniſſent, puer, inquiebam, proponat, dedicatumque ei eſto ſtudium in oratione nunc ponendum. Vos vero ſequimini, non modo approbaturi, verum, & ſi quid minus luculenter explicaverimus, percuntaturi.

S C A M A N D E R.

Noſti igitur, o puer, Homerica eſſe iſta, an forte non noveras antea? nam miraris haud obſcure, quomodo ignis in aqua vivere poſſit. Conferamus itaque, quæ noſti. Tu autem ab iſtis oculum averte tantiſper, donec illa conſideraverimus, ex quibus expreſſa pictura fuit. Noſti, quæ habet Ilias, &c. Inde Philoſtratus multis verbis confert miram illam tabulam depictam cum Homeri Iliade 21. oſtenditque puellis apprime Homero congruentem.

III. Verum niſi etiam cum Græcis Latina verba conſpirent, ut tabula cum Homero conjurabat, Mazochio affatim facere haud ſperem; quare eadem per partes penſitemus. Ἦν μὲν ὁ παρὰ τοῖς Νεαπολίταις ἀγών, *ſollemne apud Neapolitanos agebatur certamen;* probat hoc interpretamentum Mazochius, & vox *ſollemne*, quæ Græce non eſt, ait vidiſſe Olearium in articulo ὁ, edicitque contra Laſenam *non fuiſſe neque muſicum, neque gymnicum*, ſed *declamatorium:* at in mentem non veniſſe miror longiſſimæ lectionis viro τὸν ἀγῶνα fuiſſe illum ipſum, quem bis de noſtra urbe jam famæ plenum Strabo lib. 5. p. 377. atque oraculi monitu in Parthenopes Sirenis honorem celebratum prædicat: Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο, ὅτι δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς, Παρθενόπη, καὶ ἀγὼν συντελεῖται γυμνικὸς κατὰ μαντείαν, ita enim locum ſanavimus affectiſſimum pag. 444. *Neapolis vocata eſt propterea quod inibi monſtratur monumentum unius ex Sirenibus, Parthenope, & certamen gymnicum oraculi juſſu celebratur.* Poſt pauca idem geographus nomen etiam certaminis nos docet, ſcil. πενταετηρικόν, *quinquennale:* Νυνὶ δὲ πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ᾽ αὐτοῖς, μουσικός τε, καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα· vocat autem ἱερός, etenim κατὰ μαντείαν inſtitutum erat. Straboni adſtipulatur Statius noſtras, qui epiced. in patr. Silv. 5. 3. in verſibus 133. & ſeqq. parum obſcuris de hoc duplici agone muſico, & gymnico eadem cecinit:

Atque

Digitized by Google

Atque ibi (Neapoli) *dum profers annos, vitamque ſalutas,*
Protinus ad patrii raperis certamina luſtri
Vix implenda viris, laudum feſtinus, & audax
Ingenii: ſtupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa, & natis te monſtravere parentes.
Inde frequens pugnæ, nulloque ingloria ſacro
Vox tua: non toties victorem Caſtora gyro,
Non fratrem cæſtu virides plauſere Terapnæ:
Sit pronum viciſſe domi; quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantæa protectum tempora pinu?
Cum toties laſſata, tamen nuſquam avia frondes
Abſtulit, aut alium tetigit victoria crinem.

In breve ſic cogas tot verſus: Vix Neapolim appulit Statii pater, & in quinquennali muſico primo certamine periculum omnium admiratione fecit, & idipſum cum ſæpius iteraſſet, nunquam inglorius ab eo diſceſſit. Inde patris felicitatem præ ea Caſtoris, & Pollucis majorem dicit, & videtur gymnici certaminis meminiſſe, quod domeſticum, i. e. Neapolitanum magnificentius extollit præ Nemeæis, Iſthmicis, &c. quorum pretia laurus, apium, pinus. Demum licet victoriis veluti feſſus, tamen ἀνταγωνισταῖς ne privam quidem coronam reliquit. Hic etiam advertas Statium binum hoc certamen quinquennale appellare *ſacrum*, dum canit, *nulloque ingloria ſacro vox tua*, nim. *carmina tua*, uti Strabo, πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγών· Quod cum etiam ſub Domitiano eſſet ἐπιφανέστατον, inter maxima Neapolis decora illud certamen enumerat Statius Sil. 3. car. 5. v. 92. ad uxorem: *Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris:* & ſat præclarum Neapolitanum ſaxum iſthæc noſtratia certamina æquiparat ipſis Olympicis, vocatque ΙΣΟΛΥΜΠΙΑ, quod ſeq. capite dabo. Haud ſcio, cur Petr. Faber in Agoniſt. de ἀγῶνι πενταετηρικῷ nihil commentatus ſit: & Vandalius cum ejuſdem meminerit in Diſſertat. pag. 325. hæc Strabonis loca, & Statii eum aufugerint. Non igitur Philoſtratus de declamatorio certamine loquitur, ut edicit Mazochius, quod nullius famæ erat, ſed hoc ſacrum, & quinquennale omnium Græcorum ἐπιφανέστατον, & proximum Capitolinis ludis: atque ad illud viſendum confertim etiam Romanorum principes viros adcurriſſe legimus.

Porro adeo verum eſt τὸν ἀγῶνα Neapolitanorum, cujus viſendi gratia in eorum urbem advenerat Philoſtratus, non fuiſſe declamatorium, ſed gymnicum, ut teſtatiſſimum id longiori oratione 28. pag. 288. reliquerit Dio Chryſoſtomus, quem locum tu attente ut legas imperaris, egregie enim veterum noſtrorum civium Græcanice viventium præclara ſtudia virtutemque commendat: cujus verba ſi meminiſſet Mazochius vir, cui pauca latent, *declamatores* non vocitaſſet Neapolitanos, atque in ea arte ludentes: Ἀνάβαντες ἀπὸ τοῦ λιμένος εὐθὺς ἐβαδίζομεν ὀψόμενοι τοὺς ἀθλητάς,

Digitized by Google

τὰς, ὡς ἂν τὴν ὅλην ἐπιδημίαν πεποιημένοι κατὰ θέαν τοῦ ΑΓΩ̃ΝΟΣ. Ἐπεὶ δὲ πρὸς τῷ γυμνασίῳ ἦμεν, τοὺς μὲν τίνας ἑωρῶμεν ἐν τῷ ϛαδίῳ ἔξω τρέχοντας . . . τοὺς δὲ ϗ ἄλλως γυμναζομένους· τούτοις μὲν οὖν οὐκ ἐδόκει προσέχειν· ὅπου δὲ πλεῖϛον ὄχλον ἴδοιμεν, ἐκεῖ ἐβαδίζομεν· ὁρῶμεν οὖν πάνυ πολλοὺς ἑϛηκότας πρὸς τῇ Ἐξέδρᾳ τοῦ Ἡρακλέους . . . ϗ μόλις ἑωρῶμεν τοῦ γυμναζομένου τὴν κεφαλὴν, ϗ τὰς χεῖρας ἀναπεπτακότος, κ. τ. λ. quæ ita vertunt : *Cum aſcendiſſemus a portu, confeſtim ibamus viſuri athletas, ut qui totam peregrinationem ſuſcepiſsemus ob certaminum* (corrige *certaminis*) *ſpectacula. Cum autem ad gymnaſium veniſſemus, quoſdam quidem videbamus extra in ſtadio currentes . . . . quoſdam autem aliter ſe exercentes : bis quidem ut attenderemus nobis viſum non eſt ; ubi autem maxima eſſet turba, illuc ibamus: videmus igitur oppido multos conſiſtentes* (corr. *ſtantes*) *ad Herculis Exedram . . . . & vix videbamus ejus, qui exercebatur, caput, manuſque extenſas*. Vides igitur ex longiori Dionis κειμένῳ hunc Sophiſtam cum amicis Roma Neapolim velis remiſque accurriſſe κατὰ θέαν τοῦ ΑΓΩ̃ΝΟΣ, inde eum multiplicem deſcribit, & ſolos γυμναζομένους legere eſt ; ἀγῶνα autem *declamatorium* nullum commeminit Dio; imo κατ᾽ ἐξοχὴν duntaxat, qui athleticus eſt, vocat ἀγῶνα.

Hic autem ut parum perſiſtas te rogatum volo, quo advertas laudata Sophiſtæ verba : τοὺς μὲν τίνας ἑωρῶμεν ἐν τῷ ϛαδίῳ ἔξω τρέχοντας, *quoſdam videbamus in ſtadio extra currentes*, nam hæc verba, quam enunciant ſententiam, ſtatim evertunt ; ſcilicet, *vidiſſe quoſdam currentes intra ſtadium*, atque mox legis, ἔξω, *extra ſtadium*, colludere videtur legentibus Dio, cum certum ſit in ſtadio, non vero extra, curſus agitaſſe veteres ; quare ut res, & dicta conſtent, confinge ἔξω in ἕξ, *ſex*, atque mens Dionis bona patebit: *videbamus quoſdam in ſtadio ſex numero currentes ;* præſertim cum cernam in præclara hujus Sophiſtæ editione Pariſien. regiis typis concinnata vocem ἕξω eſſe δασεῖαν, hinc facile conjicias illam exiiſſe librariorum incuria ab ἕξ, *ſex*, cum contra ἔξω, *extra*, δασύτητι careat. Præterea qui hunc locum Latine verterunt, τὸ ἔξω loco ſuo dimoverunt, & quod non dixerat Dio, appoſuere, ſcil. *quoſdam quidem videbamus extra in ſtadio currentes*, tanquam ſi advenæ eſſent extra ſtadium, & currentes in ſtadio intuerentur, oboluerant igitur difficultatem hi doctiſſimi interpretes, ſed verba turbantes aufugerunt : verum hoc eſt fucum ſolummodo facere Græce parum ſapientibus ; optaſſem, ut hunc locum Iſaacus Caſaubonus luce ſua donaſſet; quem ſane miror non advertiſſe in ſuis oppido ſelectis adnotationibus ; attamen hi ſummi viri ex ingenti eruditionis ſuæ meſſe parvos quoſdam manipulos colligendos alicubi nobis reliquerunt. Interea jam ratum dicas ἀγῶνα Neapolitanum gymnicum fuiſſe, & ſæpe etiam muſicum, non vero declamatorium. Haud ſcio, cur Mazochius, ut oſtenderet exſtitiſſe eloquentiæ certamina ad ea, quæ Lugduni pro Auguſti, & in Cariam

riam

Digitized by Google

riam pro Mauſoli Artemiſiæ viri laudibus celebrabantur, confugerit; cum longe ante me noverat Domitianum, ut narrat Suet. c. 4. in Albano *oratorum*, *&* *poetarum certamina* celebraſſe, inter quorum poetarum chorum primas tuliſſe noſtratem Statium ſupra adnotavi pag. 469. Neque aufugiam Gellium 10. 18. vocaſſe, ut adnotant Mazochius, & interpretes Suetonii, ἀγῶνα, certamen illud, quod *dicundis mariti laudibus* Artemiſia inſtituit; tamen nemo intercedat, quin is ἀγὼν *muſicus* eſſe quiverit, nam γενικωτέρως ſe habet Gellius: *Id monumentum Artemiſia cum Diis manibus ſacrum* (al. *ſacris*) *Mauſoli dicavit*, ἀγῶνα, *id eſt certamen*, *laudibus ejus dicundis facit*, *ponitque præmia pecuniæ*, *aliarum rerum bonarum ampliſſima*. Iratos paterer cives meos, ſi hic præterirem, neque exteris communicarem Statii patrem, uti alterum Pindarum noſtros quinquennales ἀγῶνας *gymnicum*, & *muſicum* quovis luſtro celebratos carminibus commendaſſe, aſſecutum vim eloquii tum Neſtoris, tum Ulyſſis, atque utramque horum heroum dicendi ſpeciem imitantem decus immortale ſibi peperiſſe, in epiced. patr. lib. 5. ſylv. car. 3. v. 104.

Exſere ſemirutos ſubito de pulvere vultus,
Parthenope, crinemque afflato (al. *afflatum*) *monte ſepulti*
Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni,
Quo non Munichiæ quidquam præſtantius arces,
Doctaque Cyrene, Sparteve animoſa creavit:
Si tu ſtirpe vetus famæque obſcura jaceres
Nil gentile tenens, illo te cive probares
Grajam, atque Euboico majorum ſanguine duci.
Ille tuis toties perſtrinxit tempora ſertis,
Cum ſtata laudato CANERET *quinquennia verſu*
Ora ſupergreſſus Pylii ſenis, oraque regis
Dulichii, ſpecieque comam ſubnexus utraque.

Necnon laudat filius patrem Athenienſes, Lacedæmonios, ac Cyrenenſes, qua in urbe Callimachus floruit, deviciſſe; utinam tantam Neapolitanæ Græcæ poeſeωs jacturam minime feciſſemus; quot heroum nomina urbis noſtræ in his certaminibus victorum, quotque reipublicæ decora noſcitaremus, neque Neapolis Thebis rotundi oris Pindarum invideret! Scio alio ſententiam horum carminum Statii interpretes detorſiſſe, ſed haud otium conſumam, quo eos illam haud aſſecutos eſſe firmem; etenim ſi hic ſermo eſſet de victoria in his ἀγῶσι parta, uſus eſſet Statius vocibus, *implevit certamina*; & *vicit domi*, uti legere eſt in verſibus ſuperne allatis pag. 490.

IV. Ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισται, Olearius, *civitas illa in Italia eſt*, Mazochius, *ſita eſt:* verum ſecundum inditam verbo οἰκίζειν vim redderem, *ædificata eſt:* ſane inficetior rure eſt Philoſtratus, cum tam large Neapolis ſitum definit, appoſite dixiſſet ἐν Καμπανίᾳ· quare ponderis, & laudis plurimum ineſt in hac voce, ſi pro ᾤκισται, confingas οἰκεῖται, & ver-

vertes: *inter Italiæ urbes Neapolis incolis frequentiſſima eſt:* hinc οἰκουμένη, *terra omnis*, & οἰκουμενικός, *frequentiſſimus*. Neque me audacem traducas bina vadimonia hujus mutationis accipientem a Perizonio in Ælian. V. H. l. 8. c. 5. p. 532. ajente de vocibus οἴκησαν & οἴκισαν, *Ut adeo ſatis liqueat librarios ſæpe confudiſſe hæc vocabula propter convenientiam litterarum ſimul, & ſignificationis, aliquantulum tamen diverſæ: neque id mirum, cum in indice ſuo etiam Schefferus illa confuderit, & utrumque ad unum* οἰκίζω *retulerit*. Et lib. 3. c. 42. p. 920. *Unde etiam liquebit, quam ſæpe hæc* (οἰκῆσαι, *&* οἰκίσαι) *confuſa ſint a librariis*. Porro imperaris, ut binas laudatas Perizonii æternas adnotationes legas, advertes etenim, quantum peccarunt interpretes, eo quod librariorum erroribus hoc duplex verbum ad arbitrium permutantium minime occurrerint. Me autem opportune permutaſſe ᾤκισαι in οἰκεῖται etiam ex dicendis luculentius patebit. Ut autem hæc fortaſſe ignota antehac ejus verbi notio firmetur, quoniam a lexicographis nil teneo, neque ab ipſo Perizonio, qui plurima de hoc ῥήματι commentatus eſt, præſto eſt mihi ſat opportunus Thucidides pag. 109. edit. Dukeri: (Ἀθηναῖοι) μέχρι τοῦδε τοῦ πολέμου πανοικησίᾳ γενόμενοί τε, καὶ οἰκήσαντες, οὐ ῥᾳδίως τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο, κ. τ. λ. quæ ita verſa legis: (*Athenienſes*) *ad hoc uſque bellum cum tota familia in agris fuerant, & habitarant, non facile migrabant, &c.* vides profecto Thucidideam βραχυλογίαν converſam in ταυτολογίαν, & περιττολογίαν, videlicet, *in agris fuerant, & habitarant:* quare ut ſummo hiſtorico laus ſit, redde, *in agris cum tota familia fuerant, & frequentiſſimi evaſerant, hinc non faciles eiſdem erant migrationes*.

Hinc lux eſt etiam Diodoro Sic. lib. 14. pag. 688. edit. Weſſeling. ubi ſermo eſt de Dionyſio omnia ἐπιμελέστατα in Sicilia diſponente, interque cetera, Ἔπειτε δὲ καὶ τοὺς τὴν Κατάνην οἰκοῦντας Καμπανοὺς εἰς τὴν νῦν καλουμένην Αἴτνην μεταστῆναι, διὰ τὸ λίαν εἶναι τὸ φρούριον ὀχυρόν, quod ita vertas: *perſuaſit etiam Campanis, qui Catanæ frequentiſſimi evaſerant*, (non ut vulgo, *incolebant*,) *ut in urbem Ætnæ nomine commigrarent, utpote ſatis firmum oppidum*. Sed ad geographos hac in re provocandum, ut teſtes habeam locupletiores, Strabo lib. 6. pag. 415. Τὸ συνοικούμενον τὸ πρὸς τῇ νήσῳ τῇ Ὀρτυγίᾳ μέρος (Σέβαστος Καῖσαρ) ᾠήθη δεῖν οἰκῆσαι βέλτιον, ἀξιόλογον πόλεως ἔχον περίμετρον, evites vetus interpretamentum, cujus ſententia ſat elumbis eſt, & vertas: *eam partem ad inſulam Ortygiæ, quæ frequens erat*, (Auguſtus Cæſar) *ratus eſt majori colonorum copia frequentandam, cum æqualem urbi ambitum includeret*. Sed ut hanc parum notam verbi οἰκεῖσθαι, *frequentari*, notionem omnino ſiſtam, addam exempla ab eodem Strabone, quæ mihi pronum fuit veſtigare, ſimillima loco Philoſtrati, de quo cum Mazochio diſputamus: inquit autem geographus pag. 411. Οἰκεῖται δὲ (Μεσσήνη) ἱκανῶς ἡ πόλις, μᾶλλον δ' ἡ Κατάνη, καὶ γὰρ οἰκήτορας δέδεκται Ῥωμαίους, ἧττον δ' ἀμφοῖν τὸ Ταυρομήνιον, quæ verba piget me inviſere in præclara Strabonis ἐκδόσει contra fidem

Digitized by Google

dem verſa: (*Meſſana*) *urbs mediocriter frequens eſt*, *Catanæ tamen cedit*, *quæ colonos accepit Romanos : utraque minus frequentatur Tauromenium ;* neque me turbant magna nomina doctiſſimorum Strabonis interpretum, nam mecum conſpirat Cluverius in Sicil. antiq. pag. 119. verſ. 31. *Meſſana ſatis frequens*, *frequentior tamen eſt Catana*, *quæ colonos accepit Romanos*, *minus utraque frequentatur Tauromenium*. Quis igitur poſthac transfundat verba Philoſtrati, Νεάπολις ἐν Ἰταλίᾳ οἰκεῖται, *Neapolis in Italia eſt*, vel, ut vult Mazochius, *ſita eſt*, non vero, *eſt frequentiſſima?*

Hic pro re nata prompta paratur medela Straboni, quam non fecere interpretes pag. 418. ubi de monte Eryce ſermo eſt: Οἰκεῖται δὲ καὶ ὁ Ἔρυξ, λόφος ὑψηλὸς, ἱερὸν ἔχων Ἀφροδίτης τιμώμενον διαφερόντως, ἱεροδούλων γυναικῶν πλῆρες τὸ παλαιὸν, ἃς ἀνέθεσαν κατ᾽ εὐχὴν οἵ τ᾽ ἐκ τῆς Σικελίας, καὶ ἔξωθεν πολλοί· νυνὶ δ᾽ ὥσπερ αὐτὴ ἡ κατοικία λειπανδρεῖ, καὶ τὸ ἱερὸν, καὶ τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος · Cluverio ſubiraſcor, qui veluti ſui oblitus τὸ οἰκεῖται pag. 242. in Sic. ant. reddidit, *habitatur*, cum magnis interpretibus: *Habitatur etiam adhuc Eryx*, *collis ſublimis*, *fanum habens Veneris*, *quod inſigni religione colitur*, *antiquitus refertum mulieribus rei ſacræ addictis*, *quas ex voto dedicabant cum Siculi*, *tum alii multi exteri: nunc ut oppidum id virorum*, *ita templum quoque ſacerdotum laborat penuria*, *multitudine ſacrorum corporum ſublata:* ſi autem hoc commune interpretamentum ſecteris, oppoſita adſtruere videtur Strabo, nimirum ſimul habitari Erycem montem, ſimulque hominibus, & ſacerdotibus deſeri: quare, ut ſibi conſtet geographus, una litterula immutata, pro οἰκεῖται legas ᾤκητο, i.e. *frequentiſſimus fuerat*, inde αὐτὴ ἡ κατοικία λειπανδρεῖ, *ea frequentia ceſſavit*. Hinc ſpongiæ ſubjicias voculam *adhuc*, quam appoſuere interpretes, nam Græce non exſtat, & τὸ *colitur* vertas *colebatur*. Si præclara hujus montis decora noſſe cupias, adeas Cluverii volumen de veteri Sicilia.

Reliquos Strabonis locos, ubi ineſt illud οἰκεῖσθαι in notione *frequentari*, tutemet quæras, proſtant enim ubique ſuorum librorum. Ut autem nil dubiam reddam tum mutationem in Philoſtrato adhibitam, tum ſignificationem antehac fortaſſe ignotam, adjiciam Æliani in V. H. pag. 604. locum, quaſi ſi ipſe mihi confinxiſſem : loquitur hic hiſtoricus de ſoli, cælique Italiæ amœnitate, & habitatorum frequentia : Ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν οἰκητόρων ἥμερον καὶ πρᾶον ἐπῆρε πολλοὺς εἰς τὴν μετοίκησιν· καὶ ὅτι πόλεις ᾤκησαν τὴν Ἰταλίαν πάλαι ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα καὶ ἑκατὸν πρὸς ταῖς χιλίαις, quæ ita verſa ſunt in præclara edit. Perizonii: *ſed & incolarum manſuetum & mite ingenium impulit multos*, *ut in eam demigrarent: & incoluerunt olim Italiam ſeptem & nonaginta ac centum ſupra mille civitates:* ſane duriuſculum erit auribus religioſis illud, *civitates incoluere Italiam;* quare ſi reddas, *& olim Italia mille*, *&c. urbibus frequentiſſima fuerat*, res erit integerrima, atque Ælianus ceteris Scriptoribus,

ribus, & Philoſtrato apprime conjurabit. Scio hic te mecum longe demirari, cur pro luce hujus Sophiſtæ iſthæc Æliani verba Olearium, & Mazochium latere potuerint! Ceterum optarem, ut adnotes ternas voces οἰκητόρων, μετοίκησιν, & οἴκησαι, quo magis tibi ſedeat me ſine periculo in Philoſtrato abſterſiſſe τὸ ᾤκισαι. Porro ne me credas audacem, quod hanc minimam mutationem in hoc Philoſtrati verbum induxerim, innixus enim ſum auctoritate incomparabilis viri D'Orvillii in Chariton. pag. 501. 502. me docentis librarios ῥήματα fere ejuſdem ſoni confudiſſe, qui his iraſcitur, propterea quod ſæpe hæc tria verba στερεῖν, στέργειν, & στέγειν pro libidine nil eorum ſanequam diverſam notionem curantes adhibuerint: & terna iſthæc verba in bene multis Scriptorum locis ſecundum διάγνωσιν propriam reficit: inde edicit: *Manu exarati libri magnæ ſunt auctoritatis, ſed non tantæ, ut contra uſum linguæ, quid valeant.* Ut autem noſcas loquendi veterum ἀκρίβειαν, opus eſt te advertere eos, cum urbium ſitum definiunt, intra brevioris provinciæ has circumſcribere, ipſas vero provincias inter ſpatia ampliſſima; ita Stephanus Byzant. Παρθενόπη πόλις ἐν Ὀπικοῖς τῆς Ἰταλίας, ita ut belle diſtinctum ſit inquiens Parthenopen in Opica regione eſſe, hanc ipſam regionem in Italia: inſcite igitur Philoſtratus dixiſſet Neapolim eſſe in Italia, cum ſit in Opicis, vel in Campania; quare in voce οἰκεῖται aliud mente concoxit Sophiſta, nempe, *frequentiſſima eſt in Italia urbs Neapolis;* decora ergo urbis noſtræ Philoſtratum, non ſitum reſpexiſſe dicendum eſt.

Neapolim autem fuiſſe tum enormi αὐτοχθόνων, tum advenarum numero florentiſſimam, ne amplius a me quæras, ut præſtem, vide ſæpe laudatum Strabonis locum pag. 378. qui aperte ait celebraſſe noſtram urbem ἐπιδημούντων πλῆθος ἀνδρῶν, *multitudinem virorum exterorum*; lubens ceteros Scriptores poſthabeo, cum συμπολίτην Papinium teneam canentem Silv. 3. carm. 5. v. 78.

Noſtra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite ſolum, &c. inde v. 89.
Quid nunc magnificas ſpecies, cultuſque locorum,
Templaque, & innumeris ſpatia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi, tectique theatri,
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris?
Quid laudem riſus, libertatemque Menandri,
Quam Romanus honos, & Graja licentia miſcent? &c.

Vides igitur, quanta gentium vis requirebatur ad implenda bina theatra, ut in immenſis cuneis ſederent, & longiſſimis porticibus deambularent, ac celebrarent iſthæc quinquennia, tanta profecto, quantam legimus Capitolinis ludis affuiſſe; & volupe erat intueri tot Romanorum proceres, ſenatores, viroſque conſulares gravitate ſpectabiles mixtos cum Neapolitanis ob Græcam hilaritatem, atque otia notiſſimis ridere, dum Menandri comici poemata apparatiſſime exhiberentur. Et parum abfuit,

quin

Digitized by Google

quin Ciceronem ipſum incolam habuiſſemus, qui, Neapoli ut ſibi domum emeret, Pæto ſcripſerat, hic autem auctor fuit, ut Romæ potius degeret, qua de re longe conqueri videtur Tullius lib. 9. ep. 15. ad Famil. idipſum concupiverat Atticus, ſed locus epiſtolarum me fugit. Noſtræ civilitatis Ἑλληνικὴ, & plena hilaritatis διαγωγὴ, & *tot molles urbis ritus, atque hoſpita Muſis otia* traxerunt magnæ dignitatis & famæ Silium Italicum, vid. Plin. ep. 7. l. 3. neque unum theatrum noſtrum, & circus, atque athletæ, verum philoſophiæ magiſtri optimi Metronactis fama Roma Neapolim adduxere Senecam jam ſenem, ut diſceret; ita ipſo confitente epiſt. 76. circ. init. *In theatrum* (Neapolitanum) *ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit: ad philoſophum ire erubeſcam? &c.* & vid. ep. 93. ubi Lucilium ſuum ſolatur de morte hujus Metronactis, cujus auditorem hunc adoleſcentem deſtinarat. Et haud ſcio an quid grandius de veterum Neapolitanorum ſtudiis & fama prædicari poſſit; huc revoces, quæ de Statii patris διδασκαλείῳ pag. 467. adnotata ſunt. Jure etiam fatearis Dionem Chryſoſtomum, cum animi cauſa Neapolim appuliſſet, ternam immanem ſpectatorum turbam in totidem ludis obſtupuiſſe, ita ut in noſtram Herculis Exedram accedere, quo Melancomæ athletæ ſocium admiraretur, haud facile ei fuerit, vid. ſuperne pag. 492. Quis poſthac neget mentem Philoſtrati in verbis, ἡ δὲ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ οἰκεῖται, non eſſe, *Neapolis inter Italiæ urbes civium, & advenarum multitudine florentiſſima?*

Ceterum adeo bona alite hanc Philoſtrati vocem divinavi, ut tandem nactus ſim ἴδιον Neapolitanæ urbis fuiſſe προσθετόν τὸ *frequentiſſima:* etenim Caſſiodorus in Variar. lib. 6. form. 23. p. 102. edit. Ven. bis *frequentem* eam ſalutat, & *multitudine civium abundantem* præter reliqua præconia, queis eandem mactat, cujus verba te perlegere haud pœnitebit: quare de Philoſtrati mente niſi vecors & ſtipes contenderit. *Urbs ornata multitudine civium, abundans marinis, terreniſque deliciis, ut dulciſſimam vitam te ibidem inveniſſe dijudices, ſi nullis amaritudinibus miſcearis. Prætoria tua officia replent, militum turba cuſtodit: conſidis gemmatum tribunal, ſed tot teſtes pateris, quot te agmina circumdare cognoſcis. Præterea littora uſque ad præfinitum locum data juſſione cuſtodis: tuæ voluntati parent peregrina commercia. Præſtas ementibus de pretio ſuo: & gratiæ tuæ proficis, quod avidus mercator acquirit. Sed inter hæc præclara faſtigia optimum eſſe judicem decet, quando ſe non poteſt occulere, qui inter FREQUENTES populos cognoſcitur habitare. Factum tuum erit ſermo civitatis, dum per ora fertur populi, quod a judice contigerit actitari. Habet ultionem ſuam hominum FREQUENTIA, ſi loquantur adverſa, & de judice judicium eſſe creditur, quod multis adſtipulationibus perſonatur. Contra quid melius, quam illum populum gratum reſpicere, cui cognoſceris præſidere? Quale eſt perfrui favore multorum, & illas voces accipere, quas & clementes domi-*

nos delectat audire? &c. Ideo longius hoc Caſſiodori præconium appoſui, ut advertas, ſi ſæculo ineleganti eo uſque floruit urbs noſtra, quanto magis ævo feliciori reſplenduiſſe oportuit? Ex hac innumerabili Neapolitanorum vi nunc ſatis ſumus intelligere, quo pacto Nero, Suet. 20. *præter equeſtris ordinis adoleſcentulos quinque & amplius millia e plebe robuſtiſſimæ juventutis undique ſeligere* valuerit, *qui diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent, (bombos, & imbrices, & teſtas vocabat,) operamque navarent cantanti ſibi inſignes pinguiſſima coma, & excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine annulo lævis; quorum duces quadragena millia HS merebant*. Quis Neap. puerorum numerum ſupputet, ſi belle comatorum cenſus quinque millia excederet? Et ſcias, cum fortaſſe hanc elegantem adoleſcentulorum multitudinem Romæ ſeligere Nero haud potis eſſet, qui ſibi canenti plauderent, quinque millia militum ad id munus adegiſſe, vid. Dionem pag. 1000. edit. Reim. Ἠ῀ν μὲν γάρ τι ϗ ἴδιον αὐτῷ σύστημα ἐς πεντακισχιλίους στρατιώτας παρεσκευασμένον Αὐγούστειοί τε ὠνομάζοντο, ϗ ἐξῆρχον τῶν ἐπαίνων, *nam & peculiare quoddam militum ad quinque millia corpus* (Romæ) *inſtituerat, qui Auguſtani nominati, incipiebant cum laudibus extollere*. Vid. etiam Tacitum lib. 14. cap. 15. & lib. 16. c. 4. & 5. Milites etiam in Græcia induxiſſe, ut ſibi tragœdias agenti ſupploderent, idem Dio. narrat pag. 1031.

V. Γένος Ἕλληνες, ϗ ἀστυκοί, ὅθεν ϗ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι, Olearius, & Mazochius vertunt: *ſuntque illi origine Græci, ac probe exculti, unde & dicendi ſtudiis græciſſant:* ſi ſapis, vides non ſibi conſtitiſſe Sophiſtam, ſi dixiſſet Neapolitanos *probe excultos eſſe*, mox *græciſſare*, ideſt *Græca vix callere:* reſtitue porro ſine periculo mecum: *origine Athenienſes, quare & in dicendi ſtudio Athenienſes ſunt, & Attica dialecto utuntur*. Vocem ἀστυκοί, *exculti* vel a lexico habes; verum tirones norunt Ἄστυ eſſe *Athenas* plerumque, ſicuti Πόλιν *Alexandriam*; & Kuſterus in adnot. in Heſych. edit. Alberti ait: *Athenas quidem* κατ' ἐξοχὴν *nomine* Ἄστεως *olim deſignatas eſſe quis neſcit?* Miror Albertum nihil in Heſychium ſuum adnotaſſe in voce ἄστυ. Vide etiam adnotationes longiores in Pollucem lib. 9. ſegm. 17. Atque Ἀστός, & Ἀστή *vir*, & *mulier Athenienſis:* hinc Demoſth. in Eubulidem pag. 542. in fin. Πατὴρ αὐτὸς ζῶν ὀμόσας τὸν νομιμὸν τοῖς φράτορσιν ὅρκον εἰσήγαγέ με Ἀστὸν ἐξ Ἀστῆς ἐγγυητῆς αὐτῷ γεγεννημένον εἰδώς, *pater, dum vixit, legitimo jurejurando dato fratoribus, me civem Athenienſem declaravit, cum ex Athenienſi deſponſa ſibi natum ſciret*, uti vertit Wolffius: lis enim erat de Athenienſi civitate. Et Plutarchus in vitis, vide exempli ergo init. Alcibiad. fere ſemper utitur dictione Ἀστός in ſignificantia *Athenienſis*. Nunc ſane rectius novimus Suetonii Tranquilli animi mentem, cum bis commeminerit *ludos Aſtycos*, quod vocabulum doctiſſimos tantum torſit interpretes, quare inverterunt in *Attiacos*, *Haſticos*, *Atticos*, etiam *Attonicos*, vide editionem Burman. mecumque conjurat *criticorum Homerus*,

Digitized by Google

merus, uti a quibuſdam ſalutatur, Joſ. Scaliger, & Caſaubonus in Suet. Tiber. cap. 6. *Præſedit & Aſtycis ludis, & Trojanis circenſibus ductor turmæ puerorum majorum:* atque in Calig. c. 20. *Edidit & peregre ſpectacula, in Sicilia, Syracuſis Aſtycos ludos*, ideſt *Athenienſium inſtar.* Si vero a me quæras, unde ortum ſuum trahat vox ἄστυ, reponam Græcos oboluiſſe Phœniciam dictionem iiſdem litterulis conſtantem עשת, *ſplendeſcere*, & *excultum eſſe;* hinc Athenis, urbi totius Græciæ principi, & elegantiſſimæ privam hanc vocem deſtinarunt, inde etiam Neapoli, ubi, ut ait Strabo, πλεῖστα ἴχνη inſtitutorum Athenienſium σώζεται, tributam legimus a Philoſtrato, quæ fuit veluti filia materni haud degener oris. Heſychius, utpote Græculus, vult vocem ἄστυ dictam ἀπὸ τοῦ εἰς ὕψος ἀνίστασθαι. Demum ut hujus Sophiſtæ vocis Ἀστυκοὺς notionem prorſus firmem, adſcribam Stephani Byzant. verba, licet perquam celebrata, in dictione Ἀλεξάνδρεια, quam adeas rogitaris: Ἐλέγετο ΠΟ'ΛΙΣ, καὶ ΠΟΛΙΤΑΙ ἐξ αὐτῆς, ὡς Α'ΣΤΥ αἱ Ἀθῆναι, καὶ Α'ΣΤΟΙ', καὶ ΑΣΤΥ'ΚΟΙ' οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ΟΥ'ΡΨ, *dicebatur* (Alexandria) *per excellentiam* Πόλις, *& ejus incolæ* πολῖται, *ut Athenæ quoque dicebantur* Ἄστυ, *& Athenienſes* Ἀστοὶ *&* Ἀστυκοί, *quemadmodum & Roma dicitur Urbs;* vide hic longiores adnotationes.

Conquieſcendum nunc mihi eſt, veluti in deliciis, in voce Ἑλληνικοί, quam Neapolitanis κυριωτάτως tribuit Philoſtratus, quo ἐπιθετῷ nihil fingi poteſt optabilius; & ſicuti huic Sophiſtæ gratiam habeo, ita de Oleario, & Mazochio, qui transfuderunt *græciſſant*, queribundus ſatis diu vivam; ipſe inverti, *Attica dialecto utuntur*, cujus de interpretamenti veritate tantis circumfluo documentis, ut verear, ne te obruam. Et ſane Strabo hac in re jam Philoſtrato præceſſerat; ait enim geographus laud. lib. 5. p. 377. Πλεῖστα δὲ ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα (ἐν Νεαπόλει) σώζεται, γυμνάσιά τε, καὶ ἐφήβεια, καὶ φρατρίαι, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ, καίπερ ὄντων (vel potius περιόντων, vid. p. 447.) Ῥωμαίων, *plurima veſtigia Athenienſis inſtituti hic* (Neapoli) *perſeverant*, ſcil. *gymnaſia*, *ephebea*, *& fratriæ*, *& voces Atticæ*, *quamvis Romanorum maxima multitudo degat;* quis aliquando ignoravit gymnaſia, ephebea, & fratrias eſſe Athenis nata, & perquam raro alibi reperiri, præſertim fratrias, ut in ſeq. cap. multis patefaciam? idque certo dicit Strabo, nam paucis ante verbis monuerat ultimos colonos, qui Neapolim appulere, fuiſſe Athenienſes, hinc jure horum ἀγωγῆς πλεῖστα ἴχνη σώζεται· verba geographi, ut ſanavi pag. 444. adſcribam, ut onere inviſendi te levem: Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις· πρῶτον Κυμαῖοι, ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο, ὅπου δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς, Παρθενόπη, vides extremos noſtræ urbis advenas Athenienſes, horum igitur inſtituta ſervari oportuit; & adverte, niſi ſi Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς reddas, *Athenienſis inſtitutionis*, ſententiam Strabonis errantem eſſe & vagam. Neque hæreas, ſi verterim contra omnes interpretes, ὀνόματα Ἑλ-

Ἑλληνικά, *vocabula Attica*, (ceteri transfudere, *nomina propria Græcanica*, quod ne cogitavit quidem Strabo;) nam ſuperne jam dictum eſt ὀνόματα plerumque valere *vocabula*; hinc pueris notum eſt Pollucem opus ſuum inſcripſiſſe Ὀνομαστικόν. Si vero ὀνόματα non adnotent quid γενικόν, eſt opus, ut quid addatur, quod peculiarem notionem firmet, veluti ὀνόματα δημάρχων, ἀνδρῶν, γυναικῶν, πόλεων, κ. τ. λ. Nunc etiam lux eſt major Straboni, qui paullo ante ſcripſerat: Neapolitanos Athenienſes eſſe *oſtendunt nomina magiſtratuum Attica*, *quorum honeſtiſſima ſibi tribuunt*, *infima Campanis colonis imponunt*: Μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ᾽ ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά· nomina magiſtratuum Neapoli paria iis, quæ Athenis fuerant, in ſeq. cap. de Fratriis non una habebis. Conſulas rogo, quæ plurima aggeſſi ſuperior. pag. 445. de binis vocibus τὰ πρῶτα, & τὰ ὕστερα, quæ hic ſunt pro τὰ πρωτεῖα, *honeſta*, & τὰ ὑστεραῖα, *inferiora*, quæ interpretes verterunt *olim*, & *deinde*: notum enim eſt geographum, cum tempora diſcriminat, ubique uſurpare πρότερον, vel πρῶτον μὲν, & δεύτερον, vel ὕστερον δέ, neque vim articuli τό præponit, addas exemplis loco ſuo allatis ex Strabone hoc ſatis opportunum pag. 410. (Μεσσήνη) Ζάγκλη πρότερον καλουμένη διὰ τ̃ σκολιότητα τ̃ τόπων. . Ναξίων ὖσα πρότερον κτίσμα τ̃ πρὸς Κατάνῃ· ἐπῴκισαν δ᾽ ὕστερον, (corr. ἐπῴκησαν, quæ ſollemnis eſt librariorum noxa,) Μαμερτῖνοι Καμπανῶν τι φῦλον, vides hic bis πρότερον, & ſemel δεύτερον voces τῷ ἄρθρῳ deſertas, contra τὸ ἄρθρον præpoſitum in πρῶτα, & ὕστερα. Perquam rogatum te opto, ut hæc conferas cum iis, quæ pag. 445. in hunc antehac σκοτεινότατον Strabonis locum longiuſcule adnotavi, ut omnigenam, & tandem veram lucem indiſpiſcatur. Quantum iſthæc geographi verba ſollicitavit noſter Laſena, atque afflixit, tutemet conſulas pag. 71. de Gymn. Neap.

Adde id etiam ſummum Salmaſium aperte edicere in fun. ling. Helleniſt. pag. 131. dum interpretatur, quod de Philone dicebatur, ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, inquit enim: *Qui ſunt illi Helleniſtæ, qui admirabantur Philonem . . . primi præcipuique linguæ Græcæ ſectatores, idemque fere cum Atticiſtis: nam cum Atticiſmus inter Græciæ dialectos excelleret, idcirco & τὸ Ἑλληνίζειν κατ᾽ ἐξοχὴν idem, quod* Ἀττικίζειν, *& ſic* Ἀττικιστής *idem*, *qui &* Ἑλληνιστής· atque idipſum ubique ejus voluminis omnigena eruditione præſcatentis ſæpe inculcat; ſed adeo mixta & conferta ſunt omnia, ut deſperarim mihi ſumere, quantum neceſse nunc eſt, de voce Ἑλληνικός, quam ſummus vir ſurſum deorſum in unaquaque pagina verſat agitatque; ſi tibi pectus patiens lectionis eſt, librum adeas, & veluti ex copiæ cornu plurimum eruditionis fructum colliges; mihi affatim ſit magnum virum etiam docuiſſe æque eſſe Ἑλληνίζειν, ac Ἀττικίζειν.

Sed potius veteres Scriptores conſulamus, qui longe clarius oſtendunt Ἑλληνισμόν juxta eſſe, ac Ἀττικισμόν, licet a doctiſſimis viris Græca

ca importune converſa ſint. Hæc habes a Diog. Laertio in Zenone lib.7.ſegm. 59. p.400. Ἀρεταὶ δὲ λόγου εἰσὶ πέντε, Ἑλληνισμὸς, σαφήνεια, συντομία, πρέπον, κατασκευή. Ἑλληνισμὸς μὲν οὖν ἐστὶ φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ, καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ· σαφήνεια δὲ, κ. τ. λ. *virtutes orationis quinque ſunt, Græciſmus, evidentia, brevitas, decorum, elaboratio. Eſt igitur Græciſmus, emendata ſecundum artem locutio non vulgari conſuetudine; evidentia eſt, &c.* vel ut vertit Aldobrandinus: *Græca quidem erit, quæ dictione utetur ab omni vitio remota, uſu artificioſo, ac minime vulgari*. Quis ferat veteres Græcos philoſophos tam inepte definire orationis characteres, ſcilicet: *prima virtus Græci ſermonis eſt Græcus ſermo?* quare ſi vocem Ἑλληνισμός refundas in *Atticiſmus*, & eradas *Græciſmus*, omnibus abſoluta numeris verba Laertii evadent. Igitur re in tam plana mecum miraberis Menagium, & quotquot eam vocem interpretati ſunt, tranſverſos adeo abiiſſe, & notionem ῥήτεως non tam arduæ latuiſſe! In eundem lapidem incidiſſe mihi videtur Salmaſius, qui recitat generatim Græcos rhetores, oblitus hunc Laertii locum: nam eodem lib. pag. 17. inquit: *Inter virtutes orationis a Græcis rhetoribus recenſentur, & ſecundo quidem loco ὁ Ἑλληνισμός, niſi Græce loquatur Græcus orator, nihili ſit: hinc omnia vocabula exotica, peregrina, & barbara, quæ Græca non ſunt, nec Græcis optima, ac pure loquentibus uſu recepta* ἀνελλήνιστα *ea vocare ſolent Græci critici, quibus opponuntur* τὰ Ἑλληνικά. Verum magno Salmaſio ſi in mentem veniſſet, quod deinde pag. 131. illevit, nimirum, τὸ Ἑλληνίζειν κατ' ἐξοχὴν *idem, quod* Ἀττικίζειν, *& ſic* Ἀττικιστὴς *idem, qui* Ἑλληνιστὴς, inter orationis virtutes ſtatim appoſuiſſet *Atticiſmum:* non enim omnis Græcia caſte loquebatur, ſed uni Athenienſes; & ſicuti hodiedum quædam oppido paucæ magnarum provinciarum urbes ſermonis ſui ſanctitatem colunt, ſic olim eundem morem ſervatum novimus; atque inter Græcos ab gente longe lateque diffuſa Attice loqui ambitum eſt: hinc jure Maximus Tyrius ſcripſit vulgo requiſita fuiſſe ῥήματα Ἀττικὰ pag.369. edit. Londini 1740. Idipſum habeo a Latinis, ut cum his aliquando etiam verſemur; Plautus quidem longe diſcernit Græcos ab Atticis, aitque comicos hanc dialectum perdite amaſſe, quare fingebant, quas narrabant fabellas, Athenis natas, quo melius populum allicerent, in Menæch. prol. v.5.

Nunc argumentum accipite, atque animum advortite:
Atque hoc poetæ faciunt in comœdiis:
Omnis res geſtas eſſe Athenis autumant,
Quo illud vobis Græcum videatur magis.
Ego nuſquam dicam, niſi ubi factum dicitur,
Atque adeo hoc argumentum Græciſſat, tamen
Non Atticiſſat, verum Siciliciſſitat.

Et inique iraſcitur Juvenalis ſat. *6.* v.187. quod etiam Sulmonenſes puellas ἀττικιζούσας videret:

De

Digitized by Google

De Sulmonenſi mera Cecropis: omnia Græce,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.

VI. His animadverſis, ad Philoſtratum ſermo redeat, ut unde diſceſſerat, recte collineet; ſi hic Sophiſta vocat Neapolitanos γένος Ἕλληνας, καὶ Ἀστικοὺς, ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσί, nonniſi qui pertinaciſſimus, vel qui tot veteribus, ac præclariſſimis Neapolitani nominis ornamentis invideat, inficiabitur Philoſtratum non adſeruiſſe hos *genere Athenienſes fuiſſe; hinc ſe non mirari, ſi etiam Atticum loquendi ſtudium enixe colerent.* Imo linguam Athenienſem floruiſſe Neapoli jam antea etiam adnotaſſe Strabonem de urbe noſtra benemerentiſſimum dictum eſt, dum ait, *hic exſtitiſſe gymnaſia, ephebea, fratrias*, καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ, καὶ πλεόνων Ῥωμαϊκὸν, vid. ſup. pag. 498. *& vocabula Attici oris, quamvis ſecum degeret magna Romanorum vis;* ita ut facile fuiſſet diſcriminare Romanos non tam culte Græce loquentes ab Neapolitanis Ἀστικοῖς, & Ἑλληνικοῖς τὰς σπουδὰς τῶν λόγων. Hanc Attice dicendi difficultatem, vel in iis, qui Roma Athenas abibant, etiamſi diu inibi vixiſſent, imo & conſenuiſſent, jam omnibus notam ſcio; & vetulæ Athenienſes ipſæ Romanos Atticum os affectantes dignoſcebant, irridebantque, teſte Cicerone, qui & Atticorum aures ſæpe vocat teretes & religioſas.

Et nunc primum novimus, cur canat Papinius noſter Neapolitanos primam omnium Deorum patriorum poſt Apollinem, Caſtoras, &c. coluiſſe Cererem *Atticam*, quam ipſe vetuſtiore nomine vocat *Actæam*, ut tirones ſciunt, Silv. 4. carm. 8. v. 50.

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampade myſtæ.

Et de ſe canit ib. lib. 5. carm. 3. v. 125.

Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes,
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te ſub teſte tuli: vide adnotationes.

Etenim Athenienſes coloni cum vivaci ſermonis gratia etiam Deorum ſuorum cultum Neapolim invexere, imo & ritus ſacros, ut inferne cap. ult. oſtendam, & præclarum ſaxum Cominiæ, quæ Plutogeniæ hujus Deæ ſacerdotis filia fuerat, proferam, qua de epigraphe lis mihi eſt cum Reineſio, qui quædam adnotavit circa finem ep. 35. de Cerere religioſe a Neapolitanis culta. Adeo verum dicas Neapolitanos Attico more & inſtitutis vixiſſe, ut etiam menſium nomina Athenienſium inſtar cuderint & inflexerint, ac dierum enumerandi ordinem Atticum ſectati ſint, quod quemque cordatum virum urgeret, ut credat jure Philoſtratum eos appellitaſſe Ἀστικούς. Ipſi enim habuere menſem Πανθεῶνα, & ternam diviſionem illius in ἱσταμένου, μεσοῦντος, & φθίνοντος, ut ipſe ex longiſſimo ψηφίσματι pro binis noſtratibus fratriis in marmore ſcalpto patefaciam; quod nobis Gruterus p. 125. omne ſervavit, nec adhuc quis legere, ne dicam interpretari ſatis fuit, ipſe ἄνευ βασκανίας totum utpote patrium Latinitate donavi,

navi,

navi, abſterſa, qua ſqualet, multiplici labe, quod cap. ſequ. ubi ſermo erit de Fratria *Ariſtæorum*, dabo: verba decreti, quæ nunc pro re nata urgent, ſunt, τῇ ἐν ἑβδόμῃ τοῦ Πυωθεῶνος ἱϛαμένου. Hinc opportune cecinit Statius Sil. 3. 5. v. 87. ſecundum lectionem Tiliobrogæ: *Nulla foro rabies, aut ſcita Lycurgica, leges Morum jura viris, ſolum, & ſine faſcibus æquum;* nim. ait Neapolitanos ab Lycurgi Spartani ῥήτραις abhorruiſſe, utpote ſeveritatis plenis; ἄξονας Solonis Attici amaſſe, quippe qui ad urbanitatem, & morum elegantiam natura, & ſoli amœnitate cerei ac proni.

Præterea nihil potius ac potentius Neapolitanum Atticiſmum ſiſtit, quam litteratorum marmorum pondera, quæ millena enumeres vel affixa per urbem, vel in ſcripta volumina a noſtratibus ἀρχαιολόγοις collecta, & quæ ipſe etiam paucis abhinc annis eruta p. 470. &c. adſcribenda curavi; hæc, inquam, ſaxa Ἑλληνικά ſunt, ſive *Attice ſcripta*, uti quivis parum grammatice doctus ſtatim advertit, & ne privum quidem vel Doricæ dialecti, vel alterius oris in lucem prodiit. Contra vero in reliquis Majoris Græciæ urbibus, quæ fere univerſæ ἐδώριζον, ſi qui lapides eruuntur, Dorica lingua ſcalptos legere eſt: teſtes do jam περιθρυλλήτους gemellas ex ære tabulas Heracleotidas repertas menſe Febr. 1732. quas perpetuis, & ad miraculum doctis commentariis honeſtat vir magni nominis Mazochius, ita ut tum varias Magnæ Græciæ vices, veteres incolas, ſive aborigines, & tot Græcas colonias ſcrutetur; tum ejus urbium chronologicam, ac geographicam, veriloquio locorum plerumque ex divitiis, quibus ipſe abunde floret, Phœniciæ linguæ educto, hiſtoriam intexat, cui excellentem gratiam habebimus; præſertim cum etiam bene multa antehac ignota de Pythagoricæ ſcholæ fortuna, nec non ſelecta quædam de novo Doriſmo in lucem proferat; ſed, vereor ne inter cenſum civitatium, quæ ἐδώριζον, etiam Neapolitanos adſcribat. Ipſe autem quaſdam ſchedas rudes, nec adhuc incudi redditas ſervo, queis non poſthabenda inſunt argumenta contra Doriſmi a vulgo inductam vetuſtatem; nam longe poſt Homerum natum oſtendam: atque ſimul adventum Pythagoræ in Italiam ſat incertum definiam, quanquam hic ſcholam Pythagoricam, ejuſque σόφου ſectatores floruiſſe haud negem; quas ſchedas, ſi urgeor, exaſciatas proferam.

Præter has binas Græciæ exoticæ æneas tabulas, ſingulare eſt lapidis non exigui monumentum in vico prope Montempeluſium Urbem, qui vulgo *Graſſano* dicitur tribus abhinc annis reperti, & Dorice ſcripti, cujus exemplar Zavarronius cum doctiſſimis Epiſcopis comparandus mihi mittendum curavit, ſed adeo inſcitiſſimi exſcriptoris erroribus horridum, mancum & acciſum, ut harioli potius partes impleam, quam interpretis; ceterum fortaſſe non tam longe a ſententia me abiiſſe advertes, quæ ſane non vulgaris eſt, &, ſi tibi cordi futura ſit, inter ſelectiorum epigrammatum cenſum illud adſcribes; itaque incidi a me curatum eſt, uti tranſmiſerunt, quo ab aliis etiam melius fortaſſe interpretamentum exſpectem:

ΛΛΙΙ ΥΣ
ΑΡΑΥ ΙΑΓΥΝΑ
ΑΥΤΟΥΕΓΧΑΝΑΠΕ
ΔΩΚΕ ΤΩΙ ΔΙΙΚΩΜΝΑ
ΡΩΙΙ ΑΙΔΙΙΕΛΕΥΟΕΥΙΩΙ
ΥΠΕΡΑΥΤ ΟΥ ΚΑΙΠΟΛΙ
ΤΩΝΙΡΤΙΝΩ ΝΥΓΙΑΣ
ΤΑΥΤΑΠΑΝΤΑΠΕΦΥ

Quod ſic reſtituendum reor:

ΕΝΟΣΕΙ ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑ ΓΥΝΑ
ΑΥΤΟΥ ΕΥΧΑΝ ΑΠΕ-
ΔΩΚΕ ΤΩΙ ΔΙΙ ΚΩΜΝΑ-
ΡΩΙ ΚΑΙ ΔΙΙ ΕΛΕΥΘΕΡΙΩΙ
ΥΠΕΡ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΠΟΛΙ-
ΤΩΝ ΙΡΤΙΝΩΝ ΥΓΙΕΙΑΣ
ΤΑΥΤΑ ΠΑΝΤΑ ΠΕΦΥΚΟΤΙ

& ſic vertas:

ÆGROTABAT ACHILLES
ET AVRELIA CONIVX
IPSIVS VOTVM SOL-
VIT IOVI COMNA-
RO ET IOVI LIBERATORI
PRO IPSIVS ET CIVI-
VM HIRTINORVM SALVTE
HORVM OMNIVM AVCTORI

Veniam comprecor, ut elegantiſſimum monumentum paucis verbis ornem, dignum ceteroqui longioribus commentariis: *ῥῆμα* hoc *ἐνόσει* futurum eſt, ut tibi haud arrideat, cum ab litteratorum marmorum ſtilo longe ſit, copiam lubens do, ut hiatum hunc *κυριωτέρᾳ* voce oppleas. Ceterum in marmoribus litteratis quamlibet ſententiam reperire eſt, & quo-

quovis modo conceptam: ecce tibi, ne ad ſaxa, quæ jam edita ſunt, provocem, recentiſſimum, & querelarum plenum Barii repertum, cujus exemplar exſcriptum ſumma fide ad me miſit Cæſar Lambertus clariſſimæ urbis patricius, amœniorum litterarum cultor, & florenti ætate Neapoli ſtudiorum ſocius; illudque opportunus a ſtructorum barbarie ſtatim ſurripuit, domique ſervat:

CAEC·PHOEBE
VIXIT·ANNIS·XXXX
HIC·SITA·EST
FECIT·M·CAECILIVS
FELICIO·CONIVGI
DVLCISSIMAE·BENE
MERENTI·INIQVA
FATA·QVAE·NOS·TAM
CITO·DISIVNXERVNT

Vides inter affectus conjugum, & in proſa lapidum oratione, quod fortaſſe novum, maritum inclamantem, ac in fata iratiſſimum: nil mirum, ſi Græca hæc Lucana epigraphe veluti hiſtorice initium ſumat ab voce ἐνότει.

Nomen *Achilles* tritum erat poſteriori ævo, atque haud ſcio an aliud invenies, quod in extremo duplex λλ componat: in verſ. 2. τὸ P exſcriptoris error eſt, nam certo lapis habet I, & ante A deraſum eſt K, ut fiat KAI. Ne dubites de ATPHΛIA. In v. 3. ſuaviſſimum ſe præbuit, qui marmor legerat, dum Υ in voce ETXAN, *votum*, invertit in Latiare F. In verſu ult. reſeci ΠΕΦΥ mancam vocem πεφυκότι, componitur ſiquidem cum ΔII. Vides præterea, quæ ſcalptor vocabula diſtraxit, ſibi adnexa, & quæ male conſtipavit, apte diſtincta.

Argumentum marmoris vel tiro novit eſſe votum conjugis *Jovi ultori* primum, inde *liberatori* pro averruncata contagione ab Hirtinis. Porro Ζεὺς ἐλευθέριος præter tot ſaxa etiam a lexicis habes, & de Diis averruncis, &c. vid. Selden. de Diis Syr. ſyntagm. 2. cap. 16. hinc etiam tenes ab Pauſania pag. 514. Apollinem ſalutatum ἀκέσιον, & ἀλεξίκακον. Gentem Hirtinam in Lucania ab hoc ſaxo novimus, & gratulor, quod cum cultiores viros ejus regionis, ubi epigraphe eruta eſt, conſuluiſſem, an hujus nominis reliquiæ adhucdum vigeant, certiorem me, fide data, fecerunt in agro Montispeluſii urbis, ubi proxime repertus eſt lapis, ineſſe templum cognomento S. Mariæ *dell' Irſo*, ſcribique Latine *Hirſum* in quibuſdam antiquioribus membranis; quare vides adhuc Hirtinorum perdurare veſtigia, & vocem in ſilice recte ſervatam. Concluditur lapis veteris ſapientiæ plena ſententia, dum dicitur *calamitatum*, & *beneficiorum in mortales auctor Jupiter*, *ſupremum numen*. Verum nodus eſt

in

in dictione ΚΩΜΝΑΡΟΣ, quæ nova eſt, & peregrina, & verterem *ultor & vindex*, contagio enim Jupiter in Hirpinos animadverterat; marmor idcirco quantivis pretii eſt: & vocis origo cum Græca non ſit, ab Syris arceſſenda; hinc binæ ῥήσεις נור חם, *æſtuans ignis*, genuere Græcis vocem ΚΩΜΝΑΡΟΣ iiſdem ϛοιχείοις· & ſane ab incenſi capitis fervore olim peſtem ortum trahere rebantur, & veluti ignis genus habebatur: hujus rei teſtis eſt Thucyd. lib.2. frag.49. pag.128. Athenienſem peſtilentiam mire deſcribens: Πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, ϗ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, ϗ φλόγωσις ἐλάμβανε, *primum quidem capitis fervores acres, & oculorum rubores, & inflammatio corripiebat:* & Lucretius lib.6. v.1143. qui hanc Thucydideæ peſtis ὑποτύπωσιν Latiari carmine nobis dedit:

Principio, caput incenſum fervore gerebant;
Et dupliceis oculos ſuffuſa luce rubenteis, &c.

Jure igitur Jupiter peſtiferum hunc ardorem immittens Κώμναρος nomine ſalutatus eſt: & ne longius hac in re te detineam, conſulas laudatum Seldeni opus, ubi bene multas ejus generis Deorum a pœnis infligendis nomenclaturas aggeſſit. Saxa votorum publicorum ſexcentena vides in inſcriptionum σώματι, imo & quotidie e ruderibus extrahuntur, ac nuper ab Herculaneo erutus id genus lapis, quem appono, nam haud ſcio an cimeliarchii cuſtos eum curat, cum maxima quæque meditetur:

Q· LOLLIVS SCYLAX ET
CALIDIA ANTIOCHIS MATER
C· CALIDIVS NASTA IOVI
V· S· L· M

Præter hoc Lucanis honeſtiſſimum marmor, etiam ad Bruttiorum decus acquiſivi Rheginam hanc epigraphen quanto breviorem, eo mihi cariorem, utpote quæ vetuſtiſſimæ, ac leporis plenæ ætatis indolem patefacit, quam mihi ſuggeſſit Franciſcus Ferrantius illius urbis patricius, & Neapoli Apoſtolici fiſci patronus, vir politiori legum ſcientia, ac reliquo litterarum cultu ſpectatiſſimus; idque marmor, quippe exoticæ Græciæ eſt, Doricum etiam vides: atque affixum eſt parieti e regione templi Græcorum:

Ο ΔΑΜΟΣ
ΤΩΝ ΡΗΓΙΝΩΝ
ΝΙΚΑΝΔΡΟΝ ΝΙΚΩΝΟΣ
ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ

Cujus ſententia ſatis prona, *Rheginorum populus ſtatua honorat Nicandrum Niconis filium*; ſi τὸ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ultimo loco appoſitum ſit, nil novi in Græcis lapidibus, licet Latini Deorum nomina in loco principe

cipe

cipe ſcalperent, queis omnia dirigebant; reviſas diſſert.3. Vandalii p.265. ubi legere eſt πολύςοιχον dedicatorium epigramma, deſinitque ανεθηκεν Σχρατιδι, Ισιδι, Ανουβιδι, Αρποκρατει.

Pro re nata ſcias me bene iratum intueri diſtichon Dorice initio hujus ſæculi ab Regio Græcæ linguæ interprete concinnatum, atque pilæ in ſuburbio *Plagæ* ſcalptum, quod urbi noſtræ Attico ore locutæ importuniſſimum ajo: ſed parcas viro, tum quod in Majori Græcia natus, & longe a Neapoli, tum quod communi opinioni adſtipulatus eſt; nam antehac fortaſſe nullusdum Neapolim unam inter hujus Græciæ exoticæ urbes Α'ςυκῦ ςόματος fuiſſe adnotavit. Quare in Atticam linguam confingendum eſſet, quo avito patriæ decori conſuleretur: accipe Gregorii Meſſerii carmen grandibus litteris Græcis, Latiniſque inibi affixum:

ΚΛΗΤΑ ΠΑΛΑΙΠΟΛΕΩΣ ΑΠΟ ΖΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ ΑΚΤΑ
ΝΥΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΚΕΡΔΑ ΚΛΗΤΑ ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ.

AB IOVE OLYMPIACO QVAE DICTA PALAEPOLIS ORA
CERDA NEAPOLEOS NVNC TIBI DICTA NITET.

Miror virum Græce doctum plurimam libertatem ſibi ſumpſiſſe, quam non conceſſere columnæ, nec Theocritus, nec ceteri ejus dialecti vates, ut bis in voce κλητὰ correptum τὸ α voluerit; hinc ſyllabæ non ſtat verus honos: præterea Dores amabant Νεαπόλιος, & Παλαιπόλιος, contra Attici Νεαπόλεως & Παλαιπόλεως· atque haud ſcio an dictio κλητός in ea ſit, quam in diſticho notionem vides: id ſcio longe aliter adhibuiſſe paſſim Homerum, veluti Od. ρ verſ.386. Οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, nimirum, *invitati*, non vero *dicti*. Demum ſinceram vocem & priſcam ne credas Νεάπολις, ſed Νεόπολις, hinc in millenis elegantiſſimis noſtris nummis cuſum eſt Νεοπολιτων, etiam in iis, qui ſequioris ævi ſunt, vide ſuperne pag. 468. atque hæc eſt id genus vocum compoſitarum ἀναλογία, quod alibi etiam a me adverſum eſt; neque objectes ſcriptas membranas, atque libros pulcherrimis typis editos, de quorum fide ob librariorum oſcitantiam quiſque dubitet, quando tot nummos concordes æreos, argenteoſque oſtentamus: ſaltem ſcribendum Attice, & ſeparatim Νέας Πόλεως, ut in noſtrate ſaxo, vid. Capac. p.230. nunc exſtat in *Philippinorum* bibliotheca. Hinc diſplicet etiam Παλαίπολις, pro Παλαιόπολις, uti παλαιογραφία. Sane nil turpe magis, quam propriæ urbis nomen contra majorum ſcita exſcribere, imo & marmoribus ſcalpere.

At, unde parum divertimus, ſermo relabatur, vides ſilices in ceteris Græciæ Magnæ urbibus extrahi Dorice ſcriptos; e contrario, qui Neapoli effodiuntur, univerſos Atticos eſſe, ſive, ut ait Philoſtratus, Α'ςυκοὺς & Ε'λληνικοὺς· quam ſermonis Attici Neapolitanorum ſanctitatem, atque a ceteris finitimis populis diverſitatem jure ſimul cum Strabone Sophiſta admi-

admirati ſunt, ac poſteris commendarunt: meritoque ab hoc deterſum τὸ *Græciſſant*, quod ſummi viri Olearius, & Mazochius appoſuerant, atque veluti poſtliminio redux adſcriptum eſt τὸ *Atticiſſant*. Ne obſtrepes, ſi multum querelarum mihi ſit de Salmaſio τῷ πάνυ, qui cum fere omnium Scriptorum loca lectione improba in librum de funere ling. Helleniſt. ſacco, non manu invexerit, in quibus voces Ἑλληνίζειν, & Ἑλληνικός invenit, hoc πολυβόητον Philoſtrati ſibi opportuniſſimum oblitus eſt; & procul dubio mecum in interpretamento conjuraſſet, ſi in illud incidiſſet. Demum hæc te advertere jubeo; ſcias Neapolitanos angue pejus Doriſmum aufugiſſe; ita ut ſi ejus oris poetas imitandos ſuſcepiſſent aliquando, horum verba in Atticum eloquium permutaſſe repererim: porro laudatiſſimum diſtichon, quod Carminus Ventapanius nuper ex ruderibus extraxit a me adſcriptum p.472.

Μνῆμα φιλοφροσύνης Ἄστη τόδε Δάφνις ἔταξε,
Καὶ ζῶσαν στέρξας, καὶ φθιμένην ποθέων.

Hoc, inquam, diſtichon deſumptum reperi ex Anthologiæ omnium politiſſimo, ac tenerrimo epigr.22.l.3.c.12. Dorice conſcripto a Meleagro; verum poeta Neap. verba, quæ mutuatus eſt, Attice commutavit: ut te exhilerem, accipias hunc Meleagri floſculum converſum a me in Latinam egeſtatem, nam reliqua interpretamenta a Grajis divitiis perquam longiſſime ſunt.

Δάκρυά σοι καὶ νέρθεν ὑπὸ χθονός, Ἡλιοδώρα,
Δωροῦμαι, στοργᾶς λείψανον εἰς ἀΐδαν,
Δάκρυα δυσδάκρυτα πολυκλαύτῳ δ' ἐπὶ τύμβῳ
Σπένδω, μνᾶμα πόθων, μνᾶμα φιλοφροσύνας.
Οἰκτρὰ γάρ, οἰκτρὰ φίλαν σε καὶ ἐν φθιμένοις Μελέαγρος
Αἰάζω, κενεὰν εἰς Ἀχέροντα χάριν.
Αἶ, αἶ, ποῦ τὸ ποθεινὸν ἐμοὶ θάλος ἅρπασεν ᾅδας;
Ἅρπασεν· ἀκμαῖον δ' ἄνθος ἔφυρε κόνις.
Ἀλλά σε γουνοῦμαι, γᾶ παντρόφε, τὰν πανόδυρτον
Ἠρέμα σοῖς κόλποις, μᾶτερ, ἐναγκάλισαι.

Has lacrymas, terra es ſubter licet, Heliodora,
Fundo tibi, ardentis relliquias animi:
Inviſæ lacrymæ humectent deflebile buſtum,
Pectoris hæ pignus, pignus amicitiæ:
Heu, heu te caram & manes inter Meleagrus
Inclamo, Orco at nec gratia, nec pietas:
Heu, heu ſurripuit mors te mihi amabile pignus?
Surripuit: flos hic pulvere & inficitur.
Sed te oro ſupplex, tellus alma, hanc miſerandam
Amplexu molli, mater, ut excipias.

Vides, uti Meleager deflet denatam Heliodoram, ſic Daphnis Aſten: contra licet voces veluti ſurripuerit, μνῆμα, φιλοφροσύνης, στέρξας, φθιμένην, in patria dialecto, longe poſthabito Doriſmo, adhibuit. Jure igitur veteres

Digitized by Google

res cives meos Strabo ὀνόματα Ἑλληνικά amaſſe ait, & Philoſtratus addidit deinceps fuiſſe Ἀστικὸς. Ceterum iiſdem civibus gratulor, quod tanti pretii vates, uti Meleagrum, vide Bibl. Gr. Fabricii, imitandos ſuſceperint.

VII. Age reliqua Sophiſtæ hujus verba ad patriæ decus penſitemus, & contra interpretum ſententiam in clariorem lucem reſtituamus: Βουλομένῳ δέ μοι τὰς μελέτας μὴ ἐν τῷ φανερῷ ποιεῖσθαι, Olearius reponit, *mihi igitur cum publice declamare minime propoſitum eſſet:* Mazochius verba permutat, idemque vero dicit, *ac mihi quidem declamationes non in publico exhibere volenti:* verum μελετὰς ſine periculo verte *curas*, *lucubrationes:* quæ vera eſt ejus vocis notio; preter quam quod, ſi μελεταὶ hic eſſent *declamationes*, certe munus declamitandi nil decorum Sophiſta ſibi deferret: & ſi rem preſſius conſideres, μελεταὶ ſunt ipſæ harum *iconum* deſcriptiones, quas nobis reliquit Philoſtratus, & Neapolitanis pueris ſermone familiari, antequam Romæ ſcripſiſſet, communicaverat; quis autem Philoſtrati *Icones*, declamationes appellet?

Τὰ μειράκια φοιτῶντα ἐπὶ τὴν οἰκίαν ξένου, Olearius, & Mazochius, *adoleſcentes hoſpitis domum frequentantes*, μειράκια ſunt *pueruli*, non *adoleſcentes*, verum id leve: demiror maxime hos duoviros Græce ad miraculum doctos non advertiſſe φοιτῶντα eſſe *ad litterarium ludum itantes*, qui jam paucis poſt verſibus legerant ad eam στοὰν, quam publicas ſcholas fuiſſe nullus neget, complures adoleſcentulos conveniſſe, & ſecum libros comportaſſe; & noverant Lucianum volumina ſua hac voce dedicaſſe, vide initium Somnii, ejuſque interpretes: Ἄρτι μὲν ἐπεπαύμην εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶν· addam præterea bina exempla Xenophontis in Cyropæd. lib. 1. pag. 4. edit. Pariſ. 1625. Οἱ παῖδες εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶντες διάγουσι μανθάνοντες δικαιοσύνην· E lib. 2. p. 52. Καὶ φυλάττεσθαι ταῦτα πάντα (ζῶα,) ἀφ' ὧν μάλιστα δεῖ, καὶ ταῦτα εἰς οὐδενὸς διδασκάλου πώποτε φοιτήσαντα, *atque hæc omnia* (animalia) *cavere ſibi ab iis norunt, a quibus eſt cavendum, tametſi nullius unquam magiſtri ludum frequentarint*. Et Plutarchus in Camill. p. 133. edit. Pariſ. Τοὺς παῖδας αὐτῶν εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτᾷν. Plato ita de divitibus, eorumque filiis jure conqueritur in Protagora p. 292. edit. Ald. Πρωϊαίτατα εἰς διδασκάλων τῆς ἡλικίας ἀρξάμενοι φοιτᾷν ὀψιαίτατα ἀπαλλάττονται, *primo ætatis flore* (opulentiſſimi pueri) *magiſtros adeunt, poſtremi diſcedunt*. Dio etiam Caſſius edit. Reimari pag. 1177. de Marco Antonino imp. ait: Λέγεται γὰρ, καὶ αὐτοκράτωρ ὢν, μὴ αἰδεῖσθαι, μηδὲ ὀκνεῖν ἐς διδασκάλου φοιτᾷν, κ. τ. λ. *ferunt enim non erubuiſſe eum, cum jam eſſet imperator, nec piguiſſe magiſtros adire*, &c. Et ne Eccleſiaſticos Scriptores obliviſcar, ecce tibi Sozom. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 10. pag. 179. edit. Auguſt. Taurin. Παῖδες δὲ εἰς διδασκάλους φοιτῶντες παίγνιον ἐποιοῦντο τὸ πρᾶγμα. Si vero & Olearius, & Mazochius exempla expoſtulent, in queis φοιτᾷν etiam ſine voce διδάσκαλος, & διδασκαλεῖον uſurpetur in notione *ad ſcholas eundi*, præſto mihi eſt ipſe Dio pag. 285. Σκέψασθε δὲ ποῖος μὲν κόσμος . . . τῶν διδασκα-

δασκαλείων (γένοιτο) ἂν, οἱ φοιτῶντες τῶν παιδευτῶν ἀμελήτωσι; *intelligitis, quam probe conſtitutus ſit ludus litterarius, ubi diſcipuli magiſtros contemnant?* noſti, quam mihi opportunus Dio, qui παιδευταῖς opponit φοιτῶντας, *magiſtris* ſcilicet *diſcipulos*, & jure magnus Reimarus ita vertit. Verum hac in re omnino acquieſcendum Polluci, qui ideo *onomaſticon* ſcripſit, ut vocabulorum διάγνωσιν ac vim definiret: is igitur lib. 4. cap. 6. fragm. 44. tit. περὶ μαθητῶν ait: Τοὺς δὲ μαθητὰς ὀνομάσαις ἄν, καὶ φοιτητὰς, ἑταίρους . . . ἀκροατὰς, ἐπηκόους, κ. τ. λ. facit igitur συνωνύμους, & μαθητὰς, & φοιτητὰς, ἀκροατὰς, κ. τ. λ. Idipſum ſuccinit, cum verba ad idem θῆμα ſpectantia enumerat ibid. fragm. 55. Καὶ τὰ ῥήματα, μανθάνειν, φοιτᾶν, συμφοιτᾶν . . . ὑπακούειν, ἀκροᾶσθαι, κ. τ. λ. Igitur ad tantam exemplorum ſtruem, & lucem caveas poſthac, ne tantorum virorum Olearii, & Mazochii auctoritate abductus jures Philoſtrati verba μειράκια φοιτῶντα ἐπὶ τὴν οἰκίαν ξένου, valere *adoleſcentes domum hoſpitis frequentantes*; tunc acri animi moleſtia neſciremus, cujus rei gratia tot Neapolitani puelli extra ſuburbium in στοὰν adventarent; ſed lætiſſimi ſumus, quando eos legimus in id loci erudiendi cauſa accurrere ſuetos.

Nil prorſus dubius ſum, quin in hoc ſignificatu τοῦ φοιτᾶν in Philoſtrati loco omnino acquieſcat Mazochius, propterea quod ad vehementem teſtem Pollucem provocaverim: etenim vir ὁ πάνυ in ep. de Aſcia p. 266. col. 2. ipſi Galeno, quem in notione vocis τέκτων adverſarium ſibi ægre habuit, antetulit, licet id adſtruat per σιώπησιν, quem τρόπον omnes norunt in oratione majorem vim præferre: *Heic ego nolo ea reſponſione uti, in vocum ſignificatu malle me grammaticis accuratioribus... quam medico, quantovis, credere;* quare lætiſſimus vivo, quod in διαγνώσει verbi τοῦ φοιτᾶν mecum conſpiret onomaſticographus. Ipſe autem nil optarem in ea, quam tutamur, dictionum indole adverſarium Galenum, quem novi in dignoſcendis vocabulis aures teretes & religioſas habuiſſe: conſulas pag. 418. ſuperne, ubi iratum vides hunc principem medicum in eos, qui vocem Βετοῦβις procuderunt, quam longe prohibendam edicit, jubetque antiquum Βετοῦβις vocabulum in honore habendum. Et pace magni viri Mazochii dicam Galenum ab divini Homeri mente de γενικῷ uſu vocabuli τέκτων minime diſceſſiſſe, ubi in laudata de Aſciæ epiſt. pag. 264. ipſe ſummus vir enixe conqueritur: Τέκτονα *Homericum ſic* γενικὸν *fuiſſe, ut omnem dumtaxat lignariæ artis propaginem ac familiam... ſuo ambitu complecteretur, non ut ad alia opificia, quæ in lignis non occupantur, pertineret:* ſed ut Galeni famæ decor ſit, præterquamquod jam pag. 219. oſtenſum a me eſt Homerum ῥητῶς hanc τέκτων accepiſſe pro *ſtructore*, τέκτονι δώματος: nunc addo adhibuiſſe etiam pro eo, qui cornua polit, atque affabre in quodvis opus fingit, nempe in arcus, &c. Il. δ verſ. 110. Καὶ τὰ μὲν ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων, *atque hic quidem elaborans, qui cornua polit, aptaverat faber:* & brevis Scholiaſtes, qui etiam grammaticus eſt, cum Galeno conjurat: Τέκτων] ὁ χαλκεύμενος τόξο-

Digitized by Google

τοξοποιός· ἢ κοινῶς, πᾶς τέκτων λέγεται, ἀπὸ τοῦ τεύχειν, ὅ ἐστι κατασκευάζειν τι, *vocatur etiam* τέκτων, *qui arcus facit, aut generatim quivis faber, ab* τεύχειν, *quod eſt aliquid conformare;* hunc divini vatis locum, & ſcholion ſi vidiſſet Mazochius, fortaſſe Galeno ea in re ſuccinuiſſet. Hæc pauca pro medicorum fama, quorum ope nimium indigemus, & quos ſemper præ reliquis Scriptoribus cultiores ſuſpexi, & adhucdum demiror. Ceterum, ſi in vocabulorum δεινότητι his doctiſſimis viris minime adhæreſcendum, ſed grammaticis, nullum eſt majus momentum, quo fidem oratoribus, philoſophis, poetis, &c. præſtemus. Sed ad Philoſtratum redeamus.

Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ἀφ' ἐμαυτοῦ ᾤμην δεῖν ἐπαινεῖν τὰς γραφάς, Olearius: *ego autem & ipſe picturas oratione commendare conſtitueram;* ne autem credas huic interpretamento, videntur enim Latiaria verba præſeferre Sophiſtam publico ſermone picturarum laudes ſuſcepturum; verum Græca, cum habeant ἀπ' ἐμαυτοῦ, admonent illum privatim, & ſcripto iconum noſtrarum laudes perſequi voluiſſe, atque ita feciſſe conſtat. Ἔστω ταῦτα, καὶ ἐπίδειξιν αὐτὰ ποιησόμεθα, ἐπειδὴ ἥκει τὰ μειράκια, Olearius: *eſto, faciamque iſta argumentum dicendi, cum primum juvenes venerint:* Mazochius longe aliter: *fiet: & iſta declamationis argumentum faciemus, poſtquam adoleſcentes confluxerint:* longe ſiquidem diſtant *argumentum dicendi*, ac *argumentum declamationis*, hoc enim quaſi publicæ orationis negotium eſt, illud privatæ, & neque ego, neque quis me oculatior videt hic belle quadrare verbum *declamare*, cum Philoſtratus pueris noſtratibus veluti clanculum iconas quaſdam interpretatus ſit. Quod autem ἐπίδειξις opportune vertatur *argumentum*, vide præter ceteros Pollucem in fragm. 97. lib. 4. ubi pares facit ἔνδειξιν, δήλωσιν, ἐπίδειξιν· ſi vero a me exempla quæras non a lexicis corraſa, præſto eſt Lucianus in Somn. circ. init. Ἀλλά μοι παιδιάν τινα οὐκ ἀτερπῆ ἐδόκει ἔχειν, καὶ πρὸς τοὺς ἡλικιώτας ἐπίδειξιν, εἰ φανοίμην Θεοὺς τε γλύφων, *ſed mihi luſum quendam non injucundum videbatur habere, & non inelegans argumentum apud coætaneos, ſi exiſtimarer Deorum icuncularum ſcalptor;* adjunctum hoc ἀτερπῆ tam cum παιδιὰν, quam cum ἐπίδειξιν adjiciendum. Idipſum habeo ex Thucydide lib. 6. p. 397. Ἐς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἐπίδειξιν μᾶλλον εἰκασθῆναι τῆς δυνάμεως, καὶ ἐξουσίας, ἢ ἐπὶ πολεμίους παρασκευήν, *apud ceteros Græcos potentiæ potius, ac divitiarum argumentum videretur, quam adverſus hoſtem apparatus:* verum quid te in re tam certa moror? Si meliora iis, quæ ego ex Scriptoribus collegi de voce ἐπίδειξις, optes, vide omnium, quot novi, ἑλληνικώτατον D'Orvillium in Chariton. pag. 594. etenim de vocibus ἐπιδείξατο, ἐπιδείξεις, & ἐπιδείγματα ad quamplures auctores provocat, inter ceteros recitat Ælian. V. H. IX. 16. verum hujus hiſtorici locus opportunior eſt lib. 13. cap. 11. ubi & Perizon. docta quædam etiam adnotat: ſed exempla fere omnia eo collineant, ut hæc vocabula ſint eorum, qui virtutis, vel artis ſpecimen edunt, ipſo D'Orvillio teſte; quare pro notione *declamationis* nunquam reperire eſt.

Hic pro re nata multa admiratione percellor, cur diligentiſſimæ lectionis Mazochius, qui in Reineſiano inſcript. ſyntagm. totus eſt, & Perizonius, ac D'Orvillius, qui triumviri ea de *ῥήτει* multa commentati ſunt, non viderint famoſum epigramma, quod tot præclara ingenia torſit, atque adhuc illius ſententia ab Œdipode exſpectatur; in quo inter ceteras σκοτεινοτάτας voces adnumeratur *epidixis*, quam etiam Reineſius edicit eſſe *declamationem:* adſcribam epigraphen, quæ illita eſt pag. 258. ut ab conſulendi negotio te liberem:

Q·MAGVRIVS·Q·F·FAB
FEROX
LVS·EPIDIXIB·ET·CETAES·I·II·III·IN
GREG·VETVRIANQVÆ·ET·IVNI
ORVM·A·A·DICAVIT·EVRAS·VIII
ET·PERTIC·VNCINOR·XII·N·CCL·IX

Magnus Reineſius ænigma hoc prægrandem eruditionis vim convectans, & ſexcentis lapidum, atque auctorum teſtimoniis fultus, ut licet felicitatem ſæpe miratus ſim, hoc tamen interpretamentum, & medelam tanto viro invidendam cenſeam, ita ſolvit: *Q. MAGVRIVS*, ſive Magullius *Q. FILIVS* e tribu *FABIA FEROX LVSVS*, ſive ſcholas *EPIDIXIBVS*, *ET ZETESESIN*, i. e. exercitio declamationum, & quæſtionum *GREGIS VENTVRIANÆ*, quæ *ET IVNIORVM* dicebatur, *AD AQVAS*, i. e. Aponas dicavit *HEDRAS*, i. e. ſedilia *VIII. ET PERTICAS VNCIARVM XII.* numero *CCLIX.* Itaque brevior ſententia ſit, *Ferocem hunc dedicaſſe ex fundo ſuo perticas CCLIX. quarum ſingulæ XII. unciis conſtabant, & addidiſſe ſedilia VIII. gymnaſio, quod erat ad aquas Aponi agri prope urbem Patavium, ut grex, ſive corpus Veturianum, quod & juniorum dicebatur, declamationibus, & quæſtionibus exerceretur*. Qua arte, & quanta πολυμαθίᾳ verba iſthæc muta, & informia loquacia reddiderit, ac veluti faber optimus exaſciaverit, tumet legas, duodenas enim longiores paginas implevit; inibique noſcere eſt non unos doctiſſimos viros, Licetum, Holſtenium, &c. Davos, atque Œdipum Reineſium.

His poſthabitis, agam quod inſtat, an nimirum in hoc lapide Patavino *epidixes* ſint *declamationes*, uti vult Reineſius in ima pag. 261. dum inquit, *Sophiſtarum, oratorumve μελέται, & declamationes erant ἐπιδείξεις, quod fierent cum quadam oſtentatione:* in cujus vocis vi & indole cum Mazochio conjurat: verum quas Scriptorum auctoritates profert, vel ſubleſtæ ſunt, vel meam fulciunt ſententiam; exempli ergo, quæ ab Jamblicho recitat verba, aperte præſtant ἐπιδείξεις non eſſe *declamationes*, ſed *ſpecimina & argumenta:* ait enim Jamblichus de vita Pythag. init. cap. 12. hunc ſenem Samium hominum in hanc vitam ingreſſum comparaſſe turbæ ad nundinas confluenti, in queis *ille lucrum*,

aut

aut pecuniam, *hic gloriam edito roboris ſpecimine quæret*, ὁ δὲ δόξης ἕνεκα ἐπιδειξόμενος ἥκει τὴν ῥώμην τοῦ σώματος· inde idipſum luculentius dicit, *genus. hominum ad nundinas* (πανηγύρεις) *accedere*, *ut contemplentur loci naturam*, *vel artificum meliorum manu elaborata*, *aut fortitudinis*, *aut eloquentiæ SPECIMINA in his nundinis oſtendi ſolita*, εἶδος (ἀνθρώπων) ἐλευθεριώτατον συναλιζόμενον τόπων θέας ἕνεκα, καὶ δημιουργημάτων καλῶν, καὶ ἀρετῆς ἔργων, καὶ λόγων, ὧν αἱ ΕΠΙΔΕΙΞΕΙΣ εἰώθεσαν ἐν ταῖς πανηγύρεσι γίνεσθαι· luce clarius eſt ex Jamblicho tam ἐπιδειξόμενος, quam ἐπίδειξις non valere *declamaturus*, & *declamatio*, id quod vides in interpretamento doctiſſimi Ulrici Obrechti, qui Jamblichum Latinum reddidit, probavitque Ludol. Kuſterus. Cum hoc Sophiſta conſpirat Pauſanias in Eliac. 2. cap. 24. p. 512. licet in ſuam trahat ſententiam Reineſius: Ἐν τούτῳ τῷ γυμνασίῳ καὶ βουλευτήριόν ἐστιν Ἠλείοις, καὶ ἐπιδείξεις ἐνταῦθα λόγων τε αὐτοσχεδίων, καὶ συγγραμμάτων ποιοῦνται παντοίων, quæ ita verſa tenes in Kuhnii ἐκδόσει, *in eodem hoc gymnaſio curiam ſuam habent Elei*, & *huc prodeunt*, *qui vel ſubitæ*, *vel meditatæ orationis cujuſvis generis copiam profitentur*, vel potius, *in cujuſcumque orationis generis ſpecimine ſe exercent*. Quin ſcias ipſum Reineſium veluti immemorem eorum, quæ paullo ante definiverat, vertiſſe ἐπίδειξιν, non *declamationem*, ſed *ſpecimen*, dum recitat locum Himerii apud Photium cod. 243. Ὅτι τὴν ἐπίδειξιν ἀξιούμενος ἀνεβάλλετο, Reineſius transfudit, *quod rogatus ſpecimen edere noluiſſet*. Bina autem reliqua teſtimonia, quæ producit eodem tendunt, & nonniſi vi, atque invitis Muſis ad *declamationis* notionem detorquet.

Itaque, ut ad lapidem Magurianum ſermo redeat, ſi in eo revera ſcalpta ſit vox *epidixibus*, quarum cauſa *luſum*, ſive gymnaſium, ſive βουλευτήριον dedicarat Magurius, profecto hunc locum ne dicas *declamationibus* addictum, ſed dumtaxat, ut juvenes eloquentia inſtituerentur, ac in αὐτοσχεδίοις λόγοις, vel συγγράμμασι exercerentur, atque hoc *ſpeciminum* genere ſæpius edito, inde in forum ad cauſarum negotia celebranda ſubacti progrederentur; quam ſententiam aperte tuentur verba GREGIS IVNIORVM, quæ in lapide vides; atque ſi hoc pacto hanc ῥῆσιν etiam in eo ſaxo accipias, probatiſſimæ doctiſſimorum interpretum opinioni acquieſces, licet ab Reineſio, & Mazochio, qui pro διαγνώσει *declamationis* dejerarunt, & fortaſſe uni inſurrexerunt, diſcedas. Interea vereor, ne mihi iratiſſimus ſis, quod pro veſtiganda dictionis ἐπιδείξεως notione, & Philoſtrati verborum luce, veluti declamationem paraverim.

Demum Ὑμεῖς δὲ ἕπεσθε μὴ ξυνθέμενοι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐρωτῶντες, εἴ τι μὴ σαφῶς φράζοιμεν, Olearius: *vos vero ſequimini*, *non modo approbaturi*, *verum* & *ſi quid minus luculenter explicaverimus*, *percuntaturi*: τὸ ξυνθέμενοι, converſum *approbaturi*, & a vi vocis, atque a mente Sophiſtæ longe abeſt; reponas *attenti*, ut centies in Hom. Iliad. τ. v. 84. ideſt ἐν θυμῷ συντιθέμενοι, vide hic Barneſium, quis enim unquam ſomniaverit magi-

 ſtros,

ſtros, ac ſophiſtas a diſcipulis, & pueris eorum, quæ docent, adſenſum exſpectare? vides jam interpretes vel doctiſſimos interdum adeo dormitare in Græcis Scriptoribus convertendis, ut rerum, ipſumque naturæ ordinem turbent ac permutent.

Hæc ſatis pro reſtituenda Græcæ fidei Iconum Philoſtrati procemii parte Latine affectiſſima, licet a doctiſſimis viris converſa: minores quædam αβλεψίαι nihil mihi curatæ ſunt: operæ pretium ratus ipſe, ut vetuſtiſſima monumenta, quæ ad ſummum patriæ decus malignitatem temporum vicerunt, ad Sophiſtæ mentem exacta circumferantur; ſane niſi patriæ amor me fallat, nihil eſſe poteſt optabilius ad Neapolitanæ urbis magnificentiam, & Græca civium ſtudia, cultumque commendandum hoc Philoſtrati vehementi teſtimonio. Vides Neapolim, uti nunc, ita olim convenarum, atque incolarum multitudine præ ceteris Italiæ urbibus frequentiſſimam: atque vel in ſuburbiis ſtoas quinque contignationibus ſuperbas, & peregrinis, ac cariſſimis marmoribus ſplendeſcentes, tabulis quæſitiſſimis a Neapolitanis ipſis forte depictis circumundique appenſis; quas dignas reputarit Philoſtratus æternitati ſcriptis ſuis commendare, & queis Romæ fortaſſe elegantiores non viderat, utpote ad noſtrates potius vivida orationis vi delineandas aggreſſus. Si has ædificiorum moles, & ornamenta ἔξω τῦ τείχυς exſtitiſſe legimus, quæ intra mœnia opera admiranda non fuiſſe prædicemus? jure igitur canit Statius Silv. 4. 4. v. 89.

Quid nunc magnificas ſpecies, cultuſque locorum,
Templaque, & innumeris ſpatia interſtincta columnis,
Et geminam molem nudi, tectique theatri,
Et Capitolinis quinquennia proxima luſtris.
Quid laudem riſus? &c.

Non minora decora reperire eſt, quam quæ in Sophiſta legimus, ſi reliqua Neapolitanorum ſtudia & rationem vitæ advertamus; apud eoſdem erant ἀγῶνες τοῖς ἐπιφανεςάτοις τ̃ κατὰ τὴν Ἑλλάδα ἀνάμιλλοι, *ludi Græcorum magnificentiſſimis æmuli*, ut ait Strabo, p. 377. & ἰσολύμπιοι ex vetere noſtro cippo, vid. p. 516. celebrabantur: origine *Attici*, Ἀςυκοί, & cultiſſimi eloquii ſanctitate *atticiſſabant*, non vero ἐδώριζον, ut reliquæ omnes majoris Græciæ urbes: elegantiorum artium amantiſſimi, quippe tabulas ὐκ ἀπαθῶς conquiſiverant plurimorum pictorum. Si plures picturas Zeuxidis, & id genus artificum, quæ Neapoli exſtabant etiam in aliis pinacothecis, optes, vide Petronii indicem edit. Burmann. Pro pueris docte inſtituendis ςοὰς Athenienſium more publicas ea magnificentia, quam in Philoſtrato legis, ædificarunt, eaſque forſitan Strabo ἐφηβεῖα vocat: ac pueri ipſi minime inertes ac deſidioſi, verum faceti, elegantes, ingenioſi, & φιλόλογοι, licet decennes; ita ut haud vererentur vel exteros Sophiſtas, quo aliquid docerentur, prehenſare importunius: tantaque indolis acie valuiſſe ac beatitate eos intueor, ut ingens Homeri opus jam menti ab ea uſque ætatula fixerint: etenim Philoſtratus ipſe Iliados puellulum illum decennem gnariſſimum

Digitized by Google

riſſimum prædicat, cum ait συμβάλλωμεν ὅν, ὅτι νοεῖς, *conferamus*, *quod noſti:* nunc o perditos mores, atque ſæculum iners ac obſoletum! vix ſciunt ſenes, quæ impubes olim jam didicerant! neque eos vides inſcitiſſimos verſaſſe libellos, ſed Homerum Scriptorum omnium patrem, ac numen. Hæc ſane teſtatiſſima de urbis noſtræ, ac civium inſtitutis poſteritati commendavit Philoſtratus: utinam quis, quot quot Strabo, Statius, Dio Chryſoſtomus, Petronius, ceterique veteres Scriptores, & frequentiſſimi lapides decora complectuntur, colligeret, ac oratione colluſtraret, haud ſcio, an cum Neapoli quamlibet majoris famæ urbem æquiparandam quis diceret.

Jam tandem ſermonis ordo, a quo haud pœnituit me paullulum deflexiſſe, urget, ut præſtem, quo pacto contra Neapolitanorum Helleniſmum hoc longiſſimo Philoſtrati loco uſus ſit Mazochius ὁ πάνυ; eo autem recidit omnis doctiſſimi viri ratio, ejuſque ſumma eſt, Sophiſtam dixiſſe *Neapolitanos ſolummodo originatione Græcos eſſe; inde eo quod* πολιτείᾳ *Romana donati ſunt, græciſſaſſe, atque* ἐκβεβαρβαρῶσθαι· *eamque fuiſſe Neapolitanæ urbis faciem medio tertio ſæculo, ut inſtitutis, ac Romana lingua imbuti cives in ſcholis tum grammaticam, tum rhetoricam artem Græce erudirentur, uti nunc ab Europæis pro Latiali lingua addiſcenda fieri novimus*, hæc Mazochius p. 103. de Philoſtrati ſententia. Verum quiſque noviſſe ſatis eſt tantum virum non ex animo hæc eruditiſſimo operi illeviſſe, ſed ratione cauſæ, cui favet; etenim explicatiſſime oppoſitum edicit Sophiſta, cum Neapolitanos & Ἀστικοὺς facit, atque περὶ σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικούς, *circa Græci eloquii ſtudium Attice excultos*; Romanæ linguæ, aut πολιτείας neque meminit, neque potuit meminiſſe, cum puram putamque Atticam dicendi vim, atque elegantiam in hac urbe expertus ſit. Præterea, ſi noſtri puelluli decennes *Mæonium ebibebant felici pectore fontem*, ut etiam ait Petronius, qui fieri potuit, ut tam cito duodequinquaginta libros tanti vatis addiſcerent, niſi eiſdem Helleniſmus paternus eſſet, atque ingenitus? Quare reor hoc extremum argumentum Mazochii ex Philoſtrato expromptum, & docto commentario oneratum præ ceteris imbecillius ſe prodere adverſus Neapolitanum Atticiſmum; imo nihil magis appoſitum pro antiqua urbis hilaritate, vivendique elegantia.

IX. Præſtitum jam eſt luculenter labore haud pœnitendo viros, atque, Philoſtrato teſte divite, etiam puellos politiſſima oratione Græce locutos adhuc tertio ab Chriſto nato ſæculo: acerrimi ſtudii mei nunc partes ſunt ultra progredi, atque oſtendere, adhuc procedentibus tempeſtatibus, Neapolitani Atticiſmi leporem, neque Latio oblitum, neque in urbem noſtram infuſam peregrinitatem, ſed multa poſt ſæculorum vertigine antiquam, & vernaculam feſtivitatem perduraſſe; nec niſi ſero, poſthabitis Homero, & Menandro, ceteriſque Græcis, quos Statius συμπολίτης in epiced. patris enumerat, immiſſos Granios, & Lucilios, & braccatis, ac transalpinis gentibus tandem aditum patuiſſe. Ut autem, hunc poſteriorem noſtræ civitatis Helleniſmum tutemur contra Mazochium, qui tunc omnino

Digitized by Google

mnino denatum vult, imo idipſum ſumma auctoritate, qua valet, edicit in diſſert. de Sanct. Epiſcop. Neap. pag.220. *Oſtenſum fuit IV. ſæculo nullum Neapoli populum Græci oris fuiſſe*, opus habeo proferre non exigui ponderis monumenta, & præſto mihi ſunt Græce ſcripta quædam marmora, queis vetus tempeſtas opportune pepercit: quare ea producam, ut vel a conſulibus, vel ab characterum forma, vel ab *ἰδιοτισμοῖς* ætatem Græcanicam perdiu viguiſſe quiſque colligat neceſſe ſit.

Parvum agmen duat elegantiſſimus cippus, & Neapolitani decoris plenus, in tribus faciebus ſcriptus, quem memini pag.463. & in ædibus Sacerdotum Cruciferorum nomine in Furcellenſi regione *ὡ πρεπόντως* ſervatur.

Τ·ΦΛΑΒΙΩΙΤΥΙΩΙ
ΕΥΑΝΘΗΙΝΙΚΗΣΑΝΤΙ
ΙΤΑLΙΚΑΡΩΜΑΙΑΣΕΒΑΣΤΑ
ΙΣΟΛΥΜΠΙΑΤΗΣΜ·Γ·
ΙΤΑΛΙΔΟΣ·ΠΑΙΔΩΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ·ΔΙΑΥΛΟΝ
ΑΝΑΘΕΝΤΙΕΝΤΗΙΦΡΗΤΡΙΑΙ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ·ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ
ΣΥΝ·Τ·ΦΛΑΒΙΩΙ·ΖΩΣΙΜΩΙ
ΑΔΕΛΦΩΙΤΩΙΑΥΤΩΙΑΓΩΝΙ
ΤΑΓΜΑΝΙΚΗΣΑΝΤΙΚΑΙ
ΒΡΑΒΙΟΝΛΑΒΟΝΤΙ
ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣΕΝΕΚΕΝ

ΣΕΟΥΗΡΩΙΚΑΙΕΡΕΝΝΙΑΝ·ΥΠΑΤ
ΠΡΟ ΙΙΙΙΕ·ΕΙΔΩΝΜΑΡΤΙΩΝ
Τ· ΦΛΑΒΙΟΣ ΖΩΣΙΜΟΣ ΚΑΙ
ΦΛΑΒΙΑ ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΑ ΓΟΝΕΙΣ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΙ ΛΥΧΝΙΑΣ ΜΕΤΑ
ΛΥΧΝΩΝ ΚΑΙ ΒΩΜΟΥΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡ
ΑΥΤΙΣ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ

Prima quidem epigraphe inſcripta eſt in adverſa ſaxi facie, alterum epigramma

gramma in dextro cippi latere; in ſiniſtro ſcalpta vides T. Flavii Evanthis, qui in tot certaminibus vicerat, præmia, coronam ſcil. & palmæ ramulum:





Et cernere eſt conſulum nomina Severi, & Herenniani, qui anno Chriſti 171. nlm. vergente jam ad exitum ſæculo altero, floruerunt; & licet perquiramus lapides tertii, & quarti ſæculi, quos mox dabo, ex his Flavianis epigraphis aperte eruis extremo ſecundo ſæculo Chriſti nati Neapolim ἑλληνικωτάτην adhuc vixiſſe, neque parum quid amiſiſſe illius omne genus elegantiæ, qua primorum Auguſtorum ævo circumfluebat: Advertas rogaris plenam characterum munditiem, nam ideo marmoris fidum exemplar exſculpendum curavi, præſertim τȣ̃ A elegantiam, in quo lineola tranſverſaria in angulum flectitur: reviſas, quæ in Titi Auguſti lapide adnotavimus pag.426. vides etiam τὸ I non omiſſum, ſed ubique adſcriptum more cultiorum civitatium; præterea quanquam iſthæc epigrammata operibus haud publicis addicta, quæ curate incidebantur, ſed ab hominibus non magni nominis conſanguineorum memoriæ exarata, ὀρθογραφωτάτως ſe habent, licet multis vocibus, & difficilioribus concepta ſint. Si ſententiam bini epigrammatis penſites, brevem, apertam, gravem lapidum ritu reperies; quare merito Philoſtratus ſæculo tertio Neapolitanorum σπουδὰς λόγων demiratus eſt. Ad hæc advertas tot certaminum, & ludentium nomina, imo & vocabula Fratriarum adhuc viguiſſe; in Caſtoras, eorumque templum, cujus binæ columnæ adhucdum ſtant, religionem; nec non abſolutam ſtatuariorum noſtratium artem; nam quoad bonam partem ſigna Dioſcurorum, quæ epigraphe meminit, propter binas eas columnas adhuc æterna noſtræ ætatis artificum admiratione inviſuntur: addas etiam hoc poſteriori ævo Auguſtos celebraſſe Neapolitanos ἀγῶνας, ideo enim ſcalptum vides ΣΕΒΑΣΤΑ. Verum de hoc præclariſſimo cippo longior ſermo cum interpretamento redibit in ſeq. cap. de Fratriis.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cum ita ſe habeant, & tot urbis noſtræ ſpecies magnificentiſſimas ludorum, templorum, & linguæ ſanctitatem altero Chriſti deficiente, atque hæc eadem tertio ſæculo exſtitiſſe, judice Philoſtrato, teſtatiſſimum ſit; qui fieri poterit, ut citiſſime omnia, & caſu tam præcipiti iverint peſſum quarto ſæculo, ut pervult ὁ πάνυ Mazochius, nec per gradus ac vices, quæ humanarum rerum conditio eſt, delapſa ſint? Id unum menti meæ haud ſedet, cur idem ſummus vir hunc honeſtiſſimum Neapolitanis cippum non meminerit, nam certe ſcio illum ipſi innotuiſſe, teſte locuplete Carolo Franco Patricio Aquilano, (viro, qui in noſtro περιθρυλλήτῳ foro jam omnium votis oratoris primas agit, nec parem exſpectes,) in diſſert. *Dell' origine, ſito, e territorio della Città di Napoli* pag. 15. porro negem Mazochium, poſtquam obboluerit binas haſce epigraphes nitidas, ac elegantiæ plenas, ſed ſententiæ ſuæ adverſantiſſimas, aufugiſſe, ſed dicam virum tot doctiſſimis operibus edendis implicitum facile oblitum, cujus oblivionis me pœnitet, fortaſſe non illeviſſet doctis chartis ſuis de Eccl. Neap. pag. 102. *Itaque vere hoc videor eſſe dicturus Strabonem ipſum, ſi quidem pluſculum advixiſſet, Neapolim inter illas urbes fuiſſe numeraturum, quas evaſiſſe barbaras, hoc eſt ad Romana inſtituta, & linguam tranſiviſſe conquerebatur; præſertim cum ipſo vivo ac vidente jam dilabi Græca Neapolitanorum inſtituta cœperint, ut ipſemet lib. V. fatetur:* ſed aliam prorſus Strabonis mentem fuiſſe luculenter præſtiti pag. 445. quod etiam ex hoc cippo eruitur, atque ex ſequentibus ſaxis.

Hic etiam addere poſſem pro noſtro tertii ſæculi Helleniſmo acta S. Niconis Neapolitani, quem dicunt Græcum fuiſſe, & a patre Græco natum, ac matre Chriſtiana, ἦν δὲ αὐτὸς Ἕλλην, μητρὸς μὲν Χριστιανῆς, πατρὸς δὲ Ἕλληνος, vid. Bolland. die 23. Mart. haud ignoro ex Hebræa ſacraque loquendi ratione Ἕλλην accipi pro *ethnico*; attamen niſi ſi eſſet quis ore Ἑλληνικῷ, dici ſane haud quiverat *Græcus* in notione *ethnici*; ſicuti nunquam Romanos, ac reliquas Italas gentes, quæ Græce non loquebantur, Ἕλληνας appellatos reperies pro ἐθνικοῖς apud Scriptores ſacros. Verum preſſius acta iſthæc mihi penſitanti occurrit Niconem hunc mart. potius Syracuſanæ Neapolεως civem fuiſſe; etenim actorum conditorem Chæromenum Syracuſanum vides, ac Niconis, ſociorumque mart. συμφοιτητήν, *condiſcipulum*; imo ſi hic athleta invictus noſter συμπολίτης audiiſſet, Chæromenus certe addidiſſet *Neapolis Campaniæ*, non autem, ut ipſe ait, ἐκ τῆς τῶν Νεαπολιτῶν χώρας ὁρμώμενος, quod vertas, *ex ea* Syracuſarum *regione ortus, quæ Neapolitanorum dicitur*; & nullusdum neſcit in quaternas urbes, ſive grandes regiones Syracuſas diſtractas fuiſſe, quarum princeps *Neapolis* cognomento erat, vid. ſup. pag. 454. Et miror non ſtatim id advertiſſe doctiſſimos viros, queis pro iis immenſis ac loborioſiſſimis voluminibus plurimum debet Chriſtianum nomen; & pro ingenti præconio, quo urbem noſtram iidem in prooemio actorum Niconis mactant, gratias referimus immortales. Interea nos, ne Syracuſanis veluti ſacri ἀνδραποδι-

ποδιτμῶ teneamur, tantum athletam Niconem ſibi reciperari, licet inviti & ægerrimi, ſinamus, templum tanto heroe dignum erigant, ejuſque patrocinio ac fide fruantur. Iratos haud patiar cives meos, ſi quem συμπολίτην diu rati ſunt, eos ſpoliarim; ſemper enim actione redhibitionis Syracuſanis ſe obnoxios futuros grave ſane & moleſtum negotium nemo inficiabitur. Ceterum ſi quis refractarius, atque opinioni doctiſſimorum Bollandi, ſociorumque devotus noſtræ Neapolis civem fuiſſe Niconem pervelit, pro Helleniſmo Neapolitano tertii ſæculi depugnabit, atque novum monumentum, licet dubii plenum, addere ſataget: verum mihi eſt extra numerum & pretium.

x. Alterum ſaxum habeo ab Capacio pag. 75. & ab Reineſio brevi adnotatione illuſtratum VI. 37. demum Mazochius in Eccl. Neap. p. 140. docta quædam adjecit: ita quidem nobis ſervavit Capacius:

Λ·ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ·ΠΡΟΚΛΟΝ
ΤΠΑΤΟΝ·ΑΝΤΙΠΑΤΟΝ·ΤΩΝ·ΙΛΙΩΝ
ΕΤΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ·ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ·ΧΑΡΙΝ

Quanquam hic lapis incerti admodum ſæculi ſit, Mazochius, quem pauca latent, ætati Hadriani ſubdubitans addicit: *Videtur mihi ſane Creperejus iſte Proculus ſub Hadriano, (a quo Conſulares Campaniæ inſtituti fuerunt,) Conſul ſuffectus, & Campaniæ Conſularis fuiſſe: qui Conſulares in Græcis marmoribus, & in libris* ἀνθύπατοι *ſæpe vocantur. At certe, quia nomen adminiſtratæ provinciæ non adſcribitur, Campania videtur intelligenda, quæ a Conſularibus adminiſtrabatur*. Tanti viri animi mentem quiſque dignoſcit, nam cum viderit Græcum lapidem, qui inferiorls ſæculi notas præfert, quanto quivit altius, ad Hadriani ſcilicet ævum, retroegit; ipſe enim, ut paucis ante verſibus dictum eſt, vix poſt Tiberium Neapolitanos *in Latinam linguam tranſiviſſe* edixerat. Et quis credat hunc Creperejum ſub ipſo Hadriano renuntiatum Campaniæ conſularem, nim. ſtatim ac id munus inſtitutum eſt, non vero ſub ſequentibus Auguſtis? Præterea credat quivis, non ego hunc Proculum fuiſſe *Campaniæ* conſularem, nam lapis minime illam reticuiſſet, ſicuti tum Græcæ, tum Latiares epigraphæ provinciæ nomen apponunt, vide vel indices Gruterianos, &c. in voce *conſulares*, & *correctores*, *&c.* Scio Mazochium, cujus libros lubentiſſime volvo, a queis pinguius eruditionis fœnus percipio, quam a multis, in diſſ. de Sanct. Ep. Neap. cultu pag. 292. novam epigraphen proferre, ubi ſcalptum eſt *corrector* ſine provinciæ nomine, quam interpretatur fuiſſe *Lucaniam*, quæ ita ſe habet: *Brettius Præſens v. c. co . . ector curavit*.

Inde inquit, *Ac mihi videtur hic Brettius Præſens vir clariſſimus*

Digitized by Google

non alterius provinciæ , quam Lucaniæ , in qua lapis eſt , fuiſſe CORRECTOR , *eaque de cauſa τὸ* LVCANIAE *omiſſum a lapicida fuiſſe ;* (miror, cur ſummus vir dicat *a lapicida*, non vero ab epigrammatis auctore:) verum reponam, ipſum Mazochium *recentioris ætatis* appellare lapidem, quando nempe obſolete omnia confiebant ; exemplo igitur eiſe haud poterit, cum lis ſit de Hadriani ævo, quo Crepereji Proculi ſaxum ſcalptum eſſe ipſe ſuſpicatur , quo ſapientiori ſæculo minime provinciæ nomen omiſſum legere eſt : & fortaſſe hunc Brettianum cippum rariſſimam avim ideo dicas, vadimonium mihi ipſo Mazochio præſtante, atque edicente , ibid. *ſexcentena prope reperiri marmora ubi ſcalpta inviſuntur*, CORR. LVCANIAE ET BRVTTIORVM : attamen ipſe licet non ſim longiſſimæ lectionis , privum lapidem in magnis inſcriptionum σώμασι ſcrutatus ſum , ubi vides *corr. Lucaniæ & Bruttiorum*, Gruter. p.1094. 3. & ternas Muratorius theſauro ſuo adſcripſit , pag. 261. 1.—483. 3.—1076. 3. quæ marmora conſulere optarem, nam ſcimus a quovis miſſas id genus gazas virum laborioſiſſimum ſtatim in theſauro ſuo recondidiſſe . Utinam hunc grandem numerum Lucanorum, & Bruttiorum lapidum haberemus, quem dicit Mazochius, quanta lucis incrementa binæ ingentes, & florentiſſimæ provinciæ indipiſcerentur, nunc ipſorum ſat paupere cenſu victitamus. Quid ſi in Proculano ſaxo nomen provinciæ inſit? & haud ſcio, cur Mazochius vir providentiſſimus non inſpexerit; quare illam in ſuo hoc interpretamento cernere non eſt : *L.Creperejo Proculo, conſuli, proconſuli de ſe optime merito Artemiſii ſodales grati animi gratia :* vides τὸ ΤΩΝ ΙΛΙΩΝ poſthabitum, veluti quid inſutum & inficetum. Contra Reineſius hanc vocem medelæ obnoxiam ratus aptavit τὸν ἴδιον εὐεργέτην, redditque, *benefactorem ſuum proprium & unicum*.

Verum nemo mihi eripiet ſaxum dicere Proculum fuiſſe Sardiniæ proconſulem, nam in hac inſula Ilienſes *celeberrimi* audiunt apud Plin. lib.3. cap.8. & quos Ciceronis ætate *rebellantes proprætor ſubegit* , de prov. conſul. cap.7. Mela vocat *antiquiſſimos populorum ;* ἀνθυπάτυς, ſive *proconſules* miſſos in Sardiniam habeo ex Dione pag.708. ubi hæc in adnot. 87. illevit magnus Reimarus: Ἀνθύπατοι, *Proconſules hoc loco vocat præfectos provinciarum , quas non ſibi Auguſtus regendas ſumſerat , ſed populo reliquerat: illos enim omnes, etiam qui Proprætore eſſent communi Proconſulum nomine venire dixit pag.* 504. Et revera Dio narrat pag. 704. *Sardiniam populo adſcriptam fuiſſe .* Quis igitur poſthac intercedet, quin in lapide provincia Proculi ἀνθυπάτω adſcripta ſit? inibi enim otioſum τὸ ΤΩΝ ΙΛΙΩΝ nullus dixerit, & illud ΤΟΝ ΙΔΙΟΝ confictum a Reineſio quiſque novit importunum, & omnino παρέλκειν. Nomen igitur provinciæ fateri cogeris, & ſi a Sardinia diſceſſeris, in orbe Romano haud aliud reperire eſt, cum Trojanum Ilium in pagum jam deſciverat. Id unum hic demiror, cum Cluverius, & Cellarius de Sardinia non pauca adnotaverint , Dionem penitus oblitos, qui ſæpe hanc grandem inſulam commeminit.

Hæc

Hæc quidem pro marmoris luce; mea vero intereſt, ſi haud arduum ſit, ſcrutari hujus Proculi coſs. ætatem; nam ſi poſteriori ævo addixero, diu Græcam floruiſſe Neapolim fatendum eſt. Porro inter coſs. Proculorum nomine non unos reperio, videl. *Cn. Acerronium Proculum* ann. poſt Chr. nat. 37. nam de iis Proculis, qui ante Auguſtum conſulatum geſſerunt cum Mazochio nil diſputamus; de hoc autem coſ. ſaxum non loqui certum dicas, qui Caligulæ ævo paucis menſibus eo magiſtratu functus eſt ex Dione p. 907. edit. Reim. & Mazochius lapidem Hadriani ætate ſcalptum credidit. Huic addas *Vettium Proculum* ſub Nerva, quem certo ſcimus fuiſſe coſ. deſignatum, vid. Plin. lib. 9. ep. 13. p. 455. edit. Lingol. & Tillemontium in Nerv. p. 227. edit. Brux. Non prætercam *Proculum Pontianum* an. 238. Neque oblivifcendus *Q. Aradius Rufinus Proculus* an. 316. Demum his accenſeas fere ejuſdem nominis *Q. Aradium Rufinum Valerium Proculum* an. 340. ſi ab his diſcedas, alium neminem Proculi nomine conſulum cenſui adſcriptum invenies. Verum cum horum nemo *Creperejus* audiat, inter has ambages quid conſilii capiendum ſit, quiſque ingenioſus ac ſollers hærebit: & quoniam unis παχυτέραις conjectationibus indulgendum, & e contrario certum conſulatum Κρεπερηΐυ Πρόκλυ inciſum cernimus, exputarem hunc fuiſſe *Q. Aradium Rufinum Proculum*, qui ann. 316. floruit, atque ita adſcriptus eſt faſtis conſularibus Almeloveenii pag. 159. at quintum ejus nomen ſcil. *Creperejus* ex Neap. lapide nunc primum didicimus; quem & Sardiniæ ſive Ilienſium proconſulem fuiſſe ex eodem ſaxo vides. Porro de ceteris laudatis *Proculis* coſſ. ſilicem noſtratem haud ſinam te interpretari; nam *Vettium* ſcimus fuiſſe ſolummodo deſignatum, & in lapidibus tam Latiaribus, quam Græcis vox *deſignatus* ſcalpebatur, tutemet conſulas Latinas epigraphes, & quando mihi ſermo eſt, de Græcis habes in Grut. pag. 425. 3. ὕπατον ἀποδεδειγμένον. Scio Almeloveenium ex Gruteriano ſaxo adnotaſſe p. 398. quendam *Proculum Vettium* coſ. ſuffectum, cui collega fuit *Julius Lupus*, qui *Lupus* ann. poſt Chr. nat. 232. vixit; ſi *Vettius Proculus* is eſt in Gruteriano ſaxo, uti certe reor, medio ſæc. tertio floruit, & ſi etiam huic Proculo conſuli ſuffecto marmor Neapolitanum addicas, longe ab Hadriani ævo ſcalptum eſt, quo ſub Principe illud erectum voluit Mazochius.

Præterea nollem, ut hunc *Creperejum Proculum* cum *Proculo Pontiano* confundas, etenim hic conſul vix ſemel aut iterum *Proculi* nomine ſalutatur, contra ſexcenties *Pontianus* audit, vide faſt. conſul. Relandi p. 180. Ceterum ſi huic Proculo Græcum noſtratem lapidem adſcribere optes, Neap. Helleniſmum etiam perdiu poſt Tiberium viguiſſe novimus. Neque demum ipſam epigraphen *Valerio Proculo* tribuas conſuli an. 340. tum quia quinis nominibus ornatum vides, tum quia innumerabiles magiſtratus, quos geſſit, enumerantur in longiſſimis octonis inſcriptionibus partim prorſæ, partim verſæ orationis in Grutero pag. 361. verum

Sardiniæ, ſive Ilienſibus præfuiſſe omnino reticetur. Reſtat igitur, ut firmiori conjectura dicamus Κρεπερήιον Πρόκλον fuiſſe conſulem *Proculum* anni 316. quando reliqui ex urgentibus difficultatibus poſthabendi ſunt, iſque etiam quinis nominibus, ut ſæculi mos erat, ſcatet, ſcil. *Q. Aradius Rufinus Creperejus Proculus*; atque ex noſtrate lapide ſcimus nomen *Crepereji*, & Sardiniam rexiſſe ἀντυπάτυ munere. Neque mihi intercedet in tot faſtis ex coſſ. *Proculis* neminem appellatum *Creperejum*, niſi is, qui ignorat, quo pacto viri ſummi eos faſtos coagmentarunt, & tot variis eundem conſulem nominibus locupletarunt, ſatis mihi ſint verba Relandi in præfat. faſt. conſul. primis circiter paginis, eam enim numeris minime diſtinxit, ajentis: *Præterea, cum ſæpe aliqua nomina omittantur ex tribus quatuorve, aut pluribus, quæ unus habuit, utile eſt omnia nomina illius conſulis indagare, ne quis diverſos putet, cum apud hunc Scriptorem legit unum, aut duo nomina alicujus conſulis, & apud illum nomen, aut nomina, quæ plane diverſa ſunt ab iſtis, quæ antea legit: idem eſſe vir, idem conſul poteſt, cui hæc & illa nomina conveniunt, &c.* Profecto ſi Relandus, & Almeloveenius hoc Neap. ſaxum inviſiſſent, unum ex Proculis coſſ. *Crepereji* nomine honeſtaſſent; ut ex ceteris marmoribus ab his duumviris factum in tot conſulibus vides. His antehac obſcuris in quandam lucem prolatis, quiſque demirabitur tam cito Mazochium virum, ceteroqui religioſum, edixiſſe hunc Creperejum conſulem fuiſſe ex ſuffectis, cum tot ſint Proculi coſſ. ordinarii; etiam Relando contra ajente in fine ejuſdem præfat. *Videmus faſtos veteres, in quibus nonniſi conſules ordinarii exſtant, & inſcriptiones veterum ſaxorum, in quibus rariſſime conſules ſuffecti leguntur.* Si igitur animo tuo ſedeat hunc Creperejum Proculum fuiſſe ὕπατον ann. 316. vides Helleniſmum Neapolitanum ſæculo quarto adhuc viguiſſe, neque ſub Tiberio intermotuum, ac paullo poſt ſpiritum egiſſe.

Hic haud obliviſcar gratiam Mazochio habere, qui ſqualorem vocis ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ a ſaxo noſtrate deterſit, reſtituitque ΚΡΕΠΕΡΗΙΟΝ; ſed acerrime ſe præſtat iratum in Reineſium, dum inquit: *De qua tamen gente* (Creperſia) *nuſquam audita miror, cur Reineſio* (*cujus criticæ licentiæ in nomina in lapidibus expreſſa, quamlibet alioqui ſana, nuſquam non graſſari licuit*) *nulla ſubierit ſuſpicio. Re enim vera Lucio iſti Creperejo* (*quæ gens ex nummis, & lapidibus notiſſima eſt*) *non Creperſio nomen fuit, ſed* ΚΡΕΠΕΡΗΙΟΝ *in marmore ſcriptum fuerat, ſed* Η *fugiens pro* Λ *acceptum fuit*. Verum quis dejeret in ſyntagm. Reineſii non erraſſe typographum, præſertim cum ipſe σφάλματα hoc grandiora inviſerim, quæ certo ab id genus artificum manu inducta ſunt, exempli ergo pag. 981. vides ὑποδιαόκνον monſtroſam vocem pro ὑποδιακόνυ. Ceterum dicerem Neapolitanos ſcalpſiſſe ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ cum ΑΙ non autem cum Η, etenim hinc facilius exiit ΚΡΕΠΕΡΛΙΟΝ ob exſcriptorum inſcitiam: atque hic parvus error Neapolitanorum oſtendit lapidem revera

vera

Digitized by Google

vera fuiſſe ſequioris ætatis, quando litteræ facile in aliarum ſonum invadebant: quare habes a Grutero *635. 1.* Φοντέιος pro Φοντήιος, & 1027.5. Μωνεῖος pro Μωνήιος. Porro perſto, obduro, perjuro denique vocem ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ in Reineſio typograghi noxam eſſe, cum hic vir ἀρχαιολόγων honos ac ſplendor bene noverat gentem *Creperejam*; imo Amantio Conſuli an. poſt Chr. n. 345. nomen *Crepereji* ex veteri ſaxo reſtituit; ita enim inquit ep. 35. ad Rupertum pag. 289. *Creperejus Amantius: conſul iſte ab omnibus faſtorum editoribus, & hiſtoricis ſolo cognomine adnotatus eſt: omiſſum ab omnibus familiæ nomen, quod ex unico hoc ſaxo diſcimus*; atque idipſum dicit iiſdem verbis in Syntagm. inſcript. cl. *6. 71.* atque ſaxum ipſum apponit: neque aliud ſcrutatus ſum, in quo Crepereja gens ſcalpta ſit, at Mazochius ait, *ex lapidibus notiſſima eſt*, & noſtrum nunc etiam addas: & vix privum reperire ſatis fuit Muratorius p.1157. 4. imo & numiſma unicum licet multiplex ejuſdem viri Q. Crepereji Roci, collegit Morellius, eademque bina numina in unoquoque in antica ac poſtica inſunt: vides notiſſimam fuiſſe Reineſio gentem *Creperejam*; adverte etiam non amandaſſe inter coſſ. ſuffectos Creperejum Amantium, licet hujus viri neque faſti, neque hiſtorici meminerint, ſed addidiſſe cognomini nomen repertum in ſaxo: cujus viri doctiſſimi veſtigia ipſe premens ex noſtrate lapide Creperejum Proculum ordinariis coſſ. adſcripſi: contra magnus Mazochius cito inter ſuffectos dejecit. Neque quis a me percontetur, cur Proculus hic conſul Neapoli degerit, & de noſtrate fratria benemeritus fuerit; nam ſæpius dictum eſt, in hanc urbem Romanos proceres ad delicias Græcanicas deguſtandas confugiſſe: atque humaniſſime exceptos beneficentiſſimos ſe præſtitiſſe; neque rarum, ut notum eſt, viris magnis in longe exteris nationibus ob merita lapides erectos, veluti quando Cretenſes Campaniæ noſtræ conſulari hunc elegantiſſimum dedicarunt, ſatis hic opportunum, ex Gruter. 1090. 20.

ΑΝΙΚΙΟΝ·ΒΑΣΣΟΝ·ΤΟΝ·ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ·ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ·ΔΟΓΜΑΤΙ
ΤΟΥ·ΚΟΙΝΟΥ·ΠΑΣΗΣ·ΤΗΣ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ·ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ·ΔΟΣΙΘΕΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ·Ο·ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ
ΥΠΑΘΗΚΟΣ·ΤΗΣ·ΚΡΗΤΩΝ
ΕΠΑΡΧΙΑΣ·ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

Hunc titulum profert etiam Mazochius in Amphit. pag.38. & docte more ſuo interpretatus eſt; inde lapidis ſyntaxim ſcrutatur, a qua facile ſe expediviſſet vir ἑλληνικώτατος, ſi ei in mentem veniſſet vox ſollemnis, quæ reticetur, τιμήσας, *honorans*, quæ rariſſime ſcalpebatur in Græcis lapidibus, ut in Grutero pag. 427. 8. η βουλη και ο δημος . . . ετιμησεν Κοκκηιον, κ. τ. λ.

Ne

XI. Ne mihi ſuccenſeas, ſi ſatis diu in Proculi ſaxo te detinuerim, res aliquantulum ardua, & ſuboſcura mihi ſe objecit, & ἐξοχωτάτοις viris Reineſio, & Mazochio reſiſtendum fuit. Nunc autem pro inferioris ætatis Helleniſmi Neapolitani cauſa, quam tutor, certum planumque lapidem proferam, in qua vides Philippum conſulem ſub Conſtantio Aug. ann. 348. Neapoli denatum, eique appoſitum non inelegans carmen, quod ipſe metrice do:

ΤΟΝ · ΠΑΣΗΣ · ΑΡΕ
ΤΗΣ · ΕΙΔΗΜΟΝΑ · ΦΩΤΑ
ΦΙΛΙΠΠΟΝ · ΠΡΕΣΒΥΝ · Κ · ΑΟ
ΝΙΗΣ · ΕΜΠΕΡΑΜΟΝ · ΣΟΦΙΗΣ
ΑΥΣΟΝΙΩΝ · ΥΠΑΤΟΝ · ΠΑΤΕΡΑ · ΚΛΥ
ΤΟΝ · ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ · ΤΡΕΨΕ · ΜΑΚΗ
ΔΟΝΙΗ · ΔΕΞΑΤΟ · Δ · ΕΙΤΑΛΙΗ

Τὸν πάσης ἀρετῆς εἰδήμονα φῶτα Φίλιππον,
Πρέσβυν κ' Ἀονίης ἐμπέραμον σοφίης,
Αὐσονίων ὕπατον, πατέρα κλυτὸν Ἀντιγόνοιο,
Τρέψε Μακηδονίη, δέξατο δ' Ἰταλίη.

Patrem conſcriptum, incoctum ad genus omne Philippum
Virtutum, doctrina inclytum & Aonia,
Conſulem & Auſoniæ, Antigoni illuſtremque parentem,
Nutrivit Macedo, nunc tenet Italia.

Hoc elogium adhuc exſtat in pavimento intra ædem M. Virgini, & Jo. Evangeliſtæ ſacram, quam eleganti opere conſtruendam curavit Neapolitanorum lumen τὸ τηλαυγὲς Jovianus Pontanus, de qua paucis ab hinc annis cecinit D'Orvillius ὁ πάνυ·

Hymmettio, Pontanus, os fragrans thymo,
Nec fabuloſis una de Sirenibus
Tuis, decorque primus, o Neapolis,
Pontanus ille Virgini puerperæ,
Viroque, quartus enthea qui pagina
Decantat humanæ incolam formæ Deum,
Ædem ſacrarat cælitum dignam pari,
Geniique teſtem & elegantis, & pii:
Atque hanc eandem ſempiternam legerat
In manſionem, ſibi, ſuorumque oſſibus
Requiem futuram jure manium ratus, &c.

Inde ſummus D'Orvillius multis, & ſelectiſſimis jambis excandeſcit, quod eos cineres, ædemque ſitu æterno ſqualere viderit; utinam jambos omnes hic illinendi locus eſſet; neque nos ob id ſcelus minori urgemur ira. Itaque

que inter ceteras, quas Neapoli collegerat, & pavimento affixerat epigraphes Jovianus, hanc Philippi coſ. habes: ipſam refert Gruterus pag. 1098. 8. ſed ſcripſit Αονιας pro Αονιης, & ſuperne appoſuit: *Neapoli littera perfecta, & vix antiqua*, nos quid doceant verba, *vix antiqua*, ignoro, cum ætas marmoris certa ſit ob conſulem, quem non advertiſſe tantum virum quiſque demirabitur. Curatius ſe geſſit Tillemontius, qui his verbis honeſtat hunc noſtratem titulum in Conſtantio Aug. art. XI. to. 4. p. 343. ed. Venetæ: *On voit à Naple l'epitaphe d'un Philippe conſul natif de Theſſalonique, & mort in Italie, pere d'un Antigone: il n'y eſt point dit, qu'il euſt eſtè Prefet*, nimis religioſum ſe prodit Tillemontius, qui in brevi metrico elogio θανασίμῳ præter binos titulos dignitatum πρέσβυν, & ὕπατον, *præfecturam* etiam requirit, ἔπαρχον ſcilicet: id autem notum eſt hunc unum Philippum coſ. fuiſſe Theſſalonicenſem, ſive ex Macedonia, quod non legimus de iis coſſ. ejuſdem nominis, qui præceſſerant. Igitur ſi quis neget hunc Theſſalonic. virum Neapoli denatum eſſe, ubi & lapis ἐπιτάφιος inviſitur, neque eumdem, qui anno 348. coſ. renuntiatus eſt, nil certi in hiſtoria reliquum dicas. Atque advertas vel hac non tam florenti ætate adhuc Neapoli quid leporis Græcanici viguiſſe, cum epigramma non parum nitoris etiam in elementis præfert, eſtque ὀρθογραφώτατον, & Homerica dialecto conceptum, tantum abeſt, ut vix poſt Tiberium hac in urbe Helleniſmus collabi cœperit. Utinam etiam hoc in Philippum carmen e diligentiſſimi Mazochii mente non excidiſſet. Ne te turbet vox Μακηδονίη pro Μακεδονίη ubi η pro ε vides, nam alias eam non excepiſſet verſus, id quod factum etiam in Ειταλίη, pro ι, affixum probe ει. Ceterum in memoriam revocandum adhuc ſæculo quarto ſenatores, & conſules, poſtquam defuncti laboribus, aut ob ſenectutem cupientes tranquillam vitam vivere Neapolim ſeceſſiſſe, quod de ætate ſua narrat Strabo pag. 378. ἄσμενοι φιλοχωροῦσι, καὶ ζῶσιν αὐτόθι.

Præterea eidem pavimento Pontani ſacelli hoc aliud perpolitum epigramma partim metricum, partim ſolutæ orationis affixum eſt:

ΕΝΘΑΔΕ·ΤΗΝ·ΙΕΡΑΝ·ΚΕΦΑ
ΛΗΝ·ΚΑΤΑ·ΓΑΙΑ·ΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΑΝΔΡΩΝ·ΗΡΩΩΝ·ΚΟΣΜΙΤΟΡΑ
ΘΕΙΟΝ·ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ
ΑΤΡΗΛ·ΑΤΑΛΑΝΤΗ
ΙΔΙΩ·ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣ·ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΗΣΕΝ sic

Si non alia de cauſa eſſet hoc marmor Neapolitanum, augurarer ab eo, quod


quod video Homerica ἡμιςίχια, voces, ac epitheta, & Neapoli parietes
ipſi ὁμηρικῶς ubique ſonabant: utinam tantum virum Alcibiaden noſtra-
in urbe denatum, quem lapis dicit θεῖον, ἱερὰν κεφαλήν, & ἡρώων κοσ-
μήτορα, καλῶς βεβιωκότα, a veteribus libris noſcitaremus; Neapolitanum
ne dicas, ſicuti neque Aureliam Atalantam libertam; oſtenſum enim eſt
cives meos Romanos mores non induiſſe, hinc nomina πατρώνος, & ἐπε-
λευθέρα peregrina eis fuiſſe, ſicuti Athenis ipſis, & niſi eos, qui ex Roma-
nis hic in repub. libera & Græcanica hoſpites eſſent, adhibuiſſe. Jubeo
te iterum advertère ἀκρίβειαν ſcribendi Neapolitanorum, qui primum jota
in Ἀλκιβιάδης, ut verſus hanc vocem exciperet, verterunt in ει, ſicuti fa-
ctum adnotavimus in ſuperno epigrammate in binis dictionibus Μακεδονίη,
& Ἰταλίη· nec non ſcias litterulam A inciſam cum lineola tranſverſa in
utroque hoc ſaxo in angulum inflexa, uti videre eſt fere in omnibus
Neapolitanis ſcriptis lapidibus; adiſis, quæ hac de re pag.426. protuli. Ad-
vertas opto metricæ epigraphes gratiam: primus verſus hexameter eſt, al-
ter pentameter ſed diverſæ ſpeciei, tertius ſat brevior, ita ut pedem da-
ctylum binæ ſyllabæ productæ amplectantur, quod novum & pulchrum
exigui carminis genus facile ipſe imitandum ſuſciperem.

Mea autem nunc refert ætatem hujus marmoris veſtigare, quo ſer-
monis ordo ſervetur & collineet, quam reor ſat inferiorem quarto ſæ-
culo poſt Auguſtum, cujus divinationis ſanequam certum ſignum teneo,
in voce κοσμίτορα, quæ ſcalpi debuiſſet κοσμήτορα, neque des fidem Gru-
tero, cujus exemplar hanc ſecundam vocem profert; ſi tibi quid dubii
ſubſit, adeas Pontani ædem. Porro ævo jam deficientis Græcanicæ elegan-
tiæ irrepere cœpit barbaries ſonum vocalium invertendi, præſertim τῦ ι pro
τῷ η, qui longe diſparili vocis varietate florenti ſæculo audiebatur, ut no-
vit, vel qui veteri Græcorum elementorum εὐφωνίᾳ parum ſtuduit: ſane
hanc Græci oris pravitatem ſaltem poſt Juſtinianum Aug. inductam dicas,
nim. cum braccatæ gentes, & tranſalpinæ in Italiam irrupere. Quare vi-
des etiam poſt quartum ſæculum Neapolitanos ἑλληνίζοντας, neque tam
cito ad Romanorum linguam dilapſos. Ad hanc eandem tempeſtatem
adducenda nuperrime inventa epigraphe Claudiæ Antoniæ, quam pag.
474. retulimus voce ΓΕΜΕΙΝΑΙC turpiter ſcripta horridam pro ΓΕΜΙ-
ΝΗC; nec non ſaxum Calpurnii Felicis ob characterum inſignem defor-
mitatem, quam appoſui pag. 487. minime obliviſcaris reviſere nummum
Neapolitanum pag.488. Neque mihi moleſtus ſis, atque objectes etiam Tra-
jani Aug. annis vocalium elementorum uſum immutatum, uti in Gru-
tero pag.425. 3. ςρατιγὸν αὐτοκράτορος Τραϊανῦ pro ςρατηγόν, etenim repo-
no neminem, qui vel parum novit fatum viceſque Græcanicæ εὐφωνίας,
turpia hæc errata feliciſſimo Trajani ſæculo haud refundet, ſed iis (in-
gens ſiquidem numerus eſt hominum maleferiatorum ἴτα, & θῖτα ſonan-
tium pro ἦτα, & θῆτα, quos Muſæ perduint), qui noſtro ævo fœde
crepant φωνήεντα Græcanica elementa, tribuat neceſſum eſt, & marmo-
ra

Digitized by Google

ra exſcribunt ad ſonum, cui a teneris barbare conſueverunt : hinc quotidie id genus peccatis inquinatiſſimas veteres Scriptorum membranas iratiſſimi volutamus.

Demum ut coronidem hujus capitis quintæ parti imponam, & præſtem etiam ſeptimo circiter ſæculo linguam Græcanicam non adhuc extinctam fuiſſe, licet ageret animam, ſollerti fide & arte, cui plurimum ſtudui, exſcriptum lapidem adjiciam Chriſtianum, qui proſtat affixus parietibus hypogæi templi ſanctiſs. Virginis Sanitatis in antiquis noſtræ urbis ſepulcris repertus:



Hunc etiam affert Capacius p. 433. Reineſius, cum cerneret tot erroribus marcidum, in ſuum ſyntagm. p. 981. contra fidem purgatiſſimum immiſit ratus a Capacio male expreſſum: & mancam vocem ANΠ reddidit ἀνεπαύη, quæ nihili eſt, recte ſe habet ἀνεπαύσατο, ut in altero Neapolitano etiam Chriſtiano, quem retuli p. 474. Nodus eſt in litteris ΥΠΟΔ, quas ſtatim confinxit, atque in marmor injecit magnus Reineſius, ſcil. ὑποδιακόνου· quidam ex amicis ſupplendum rati ſunt ὑποδιδασκάλου, quod officium ſat ignotum, nec memoria dignum: imo nunc memini Tullium ep. 18. lib. 9. ad fam. munus hypodidaſcali irridere, dum hæc Pæto ſcribit: *Potes mulo iſto, quem tibi reliquum dicis eſſe, cum cantherium comediſti, Romam pervehi; ſella tibi erit in ludo, tanquam hypodidaſcalo proxima, eam pulvinus ſequetur*. Miror ſane Italorum litteratorum lumen Eduardum Corſinium felicem Reineſii ὑποδιακόνου divinationem longe commendare, eandemque bino lapidum pondere fulcire: ita enim inquit de not. Græcorum p. 69. *Feliciter ille* (Reineſius) ὑποδιακόνου *ſupplendum eſſe jam viderat, quemadmodum prorſus in Latino marmore obſervavi apud Fleetvoodum pag. 346. num. 2. AVGVSTINVS SVBDIAC · CONIVGI DVLCISSIMAE CONVIXIT ANN · VII · M · III · D · XX · quemadmodum in alio apud Fleetvoodum ipſum pag. 347. num. 5. dicitur AVR · SATVRNINVS · DIAC · SIBI · ET AVRA · VENERIAE · DVLCISSIMAE · CONI · DE PROPRIO · SIBI · FECERVNT*. Et haud ſcio, cur oblitus ſit vir oppido ſollers marmoris Græce ſcalpti, quod &

 Chri-

Chriſtianum eſt, quo ternum hunc ſacrum ordinem compleret, conſulas laborioſum opus Boldetti lib. 2. p. 412. de Cœmeter. & inter cetera legere eſt: ΠΑΤΡΙϹ ΜΟΙ ΓΑΛΑΤΙΑΙϹ ΚΟΜΗ ΥΙΟϹ ΔΕ ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΥ ΑΛΥΠΙΟΥ, *patria mihi vicus Galatiæ*, *filius vero presbyteri Alypii*; male Boldettus: *patria mihi eſt Galatia oppidum*. Unum rogo, ut advertas aliter punctis diſtinctum in Fleetvoodi lapide SVBDIAC, ac intueris in Neapolitano, nim. ΥΠΟΔ. Quo autem te non longius detineam, extendas vocem ΥΠΟΔΕΚΤΟΥ, quis adeo hoſpes eſt in tot Scriptoribus ſacris, profaniſque, atque in juris σώματι, ut ignoret ſæculis poſterioribus, quinam fuerit ὑποδέκτης, ejuſque officium, quantæque honeſtatis? vide omnem tit. 70. Cod. de ſuſceptor. præpoſ. & arcar. conſule tot interpretes; quem tit. in Synopſ. Baſil. l. 56. t. 11. c. 7. habes, περὶ αἰρικριῶν, τῶν καὶ ὑποδεκτῶν καλουμένων, necnon tit. 6. lib. 12. Cod. Theod. & doctiſſimas adnot. Jac. Gothofredi, ut lexica juris taceam, & Ducangium, ac Suicerum. Quare haud importunum, pro honeſtate Paullæ puellæ, fuiſſe τοῦ ὑποδέκτου filiam; & in mentem revoces l. 14. Cod. eod. tit. non exiguum decoris præſeferre id munus, cum Honorius, & Theodoſius AA. edicant: *Suſceptorem itaque veſtium æquius eſt ab officio proconſulari, vel ab his, qui in eodem meruerunt, ſollemniter procurari*. Reor autem ſapientiori Latinitatis ævo eos dictos *legatos cenſibus accipiendis*, vide Reineſium cl. 2. 26. & quot lapides ibid. recitat; verum ſummus vir ignoro, cur *ſuſceptores* dejiciat inter horum legatorum *miniſtros*, vocetque *ducenarios*, & *adjutores*, videtur omnia perturbare, cum nomen *ſuſceptor*, & Græce ὑποδέκτης, inferioris ævi ſit.

Quo nil omnino hæſites in divinatione vocis ΥΠΟΔΕΚΤΟΥ, præſto mihi fuit ut ovum ovo ſimillimus Chriſtianus titulus, & fere ejuſdem ætatis, licet Latinus, nim. ſub Juſtino Aug. quem refert Boldettus ipſe eod. opere p. 86. to. I. ☩ HIC REQVIESCIT IN PACE IMPORTVNA. FILIA Q. DIVLIALI ARCARIS QVI VIXIT ANN. PLM. XVII DEPOSITA SVB. RIÆ VII. KAL IVNIAS IM̄P DN M̄ N̄ IVSTINO EODEM CON̄S P. INDICD. PI MA. iiſdem erroribus ſcalptoris adſcripſi, quos vel tiro reſtituet. Vides luculenter Importunam puellam filiam Dulcialis, (nam nomen *Diuliali* nihil eſt,) qui fuerat *arcarius*, & Græce audit ὑποδέκτης, & gratiæ plurimum habeo Boldetto, quod ſat opportunum titulum mihi ſervavit. Igitur hoc Neapolitanum marmor magni pretii dicas, utpote ſingulare; quin & certiores ſumus temporis ſequioris eſſe lapidem, quod mea maximi refert, ſcil. quando jam Neapolitana res ab impp. Conſtantinopolitanis regebatur, atque pro tributis teciperandis *ſuſceptores*, ſive ὑποδέκτας deſtinabant; reor autem hoc ὑποδέκτου vocabulum carum futurum doctis civibus meis, non enim parum lucis Neapolitanæ hiſtoriæ ejus ætatis ingerit; præſertim cum de illorum impp. poteſtate in Neapolitanos obſcura admodum, & pauca ſervata ſunt monumenta: & quiſque poſthac iratus vivet tot doctiſſimis rerum noſtrarum Scriptoribus, qui tanti pretii Græcum marmor, quod & propalam omni-

omnibus eſt, tanquam vile & inficetum ſaxum poſthabuerunt. Si Mazochius hanc epigraphen in diatr. de Neap. Helleniſmo occuluit, lubens indulgeo, utpote noverat ſententiæ ſuæ adverſantiſſimum, licet eruditione, qua floret maxima, hanc gazam longe præ ceteris locupletare valuiſſet. Mihi ſatis ſit marmor protuliſſe, ſeptimi circiter ſæculi fetum tum ob vocem *ὑποδέκτης*, tum ob characterum hirtam deformitatem, & errorum congeriem, queis undique ſqualet. Ut hunc noſtratem titulum citius legas, adſcribam bonis litteris, ſed ſuis erroribus turpem, inde omnibus *σφάλμασι* expertem:

ΕΝΘΑ ΚΙΤΗ ΠΑΤΛΑ ΠΑΤΛΟΤ ΤΠΟΔ·
ΘΤΓΑΤΗΡ ΖΗΣΑΣ ΗΝ ΕΙΡΕΝΗ ΗΤΗ Δ
ΜΕΝΑΣ Β ΑΝΠ· ΠΡΟ Ζ ΚΑΛ· ΙΟΤΝ·


Quem ſic nitori ſuo reddes:

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΠΑΤΛΑ ΠΑΤΛΟΤ ΤΠΟΔ·
ΘΤΓΑΤΗΡ ΖΗΣΑΣΑ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΕΤΗ Δ
ΜΗΝΑΣ Β ΑΝΕΠ· ΠΡΟ Ζ ΚΑΛ· ΙΟΤΝ·

Vix una, aut altera vox labe caret, reliquæ affectiſſimæ ſunt, adeo urbis noſtræ Helleniſmus laborabat; quare, niſi ſaltem ſeptimo Chriſti ſæculo epigraphen addicas, cauſam tot *σφαλμάτων* haud veſtiges, neque cur officium *τῦ ὑποδέκτυ* hac in urbe reperiatur. Non igitur Strabonis ætate in barbariem Neapolitani Græce victitantes, ſed multis poſt ſæculis abiere.

Age inſpiciamus, an firmioris notæ documentum in hac urbe proſtet, quo octavi ſæculi Græcitatem Neapolitanam adhuc duraſſe oſtentem, licet ultimam animam traheret: porro in templo Virgini Mariæ erecto vulgo *Donna Romita*, ubi ſelectiſſimæ Virgines patriciæ ſancte *συμβιῦσιν*, extremi ſacelli parieti parte ſiniſtra ingredientium affixum eſt marmor cum longiori titulo Theodori, qui Neapoli fuit *ὕπατος ϗ δοῦξ* elementis grandibus, ac ſat deformibus, & bene multis erroribus ſqualidum, ætatemque certo præſtat, nim. Leonis Iſauri, & Conſtantini Copronymi AA. quos medio octavo ſæculo imperaſſe notum eſt: in hoc ſaxo inſunt litterarum nexus, & Latiares voces Græce ſcriptæ, quæ eſt certa indoles ejus tempeſtatis, peregrinitate jam ſenſim ſe infundente, bonis artibus infeſtæ. Epigraphen appono ſumma fide a me, & patientiſſime exſcriptam, cum ſexcentis voluminibus tum noſtrorum, tum exterorum Scriptorum corruptiſſime illitam pigeat me intueri, in quos omnes jure animadvertit vir doctiſſimus Aſſemanius, lapidemque ornat longiori, quæſitiſſimoque commentario, cui plurimum debet res Neapolitanorum publica, vid. tom. 3. de reb. Sic. & Neap. ab p. 14. ad 31. ſed & ipſe ſummus vir malis exemplaribus præſtitit fidem; & miror tot noſtros, & longe gentium eruditiſſimos

mos Scriptores plura verba ad libidinem, & contra archetypi ex utraque parte infracti veritatem addidiſſe.



Itaque penſitanti mihi hunc titulum adeo turpem in tot libris civium, atque exterorum inſcriptum per urbes volitare, labori haud parcendum fuit, ut evanidas & pæne fugientes litteras aucuparer: ſcio enim inferioris ævi hiſtoriæ ſaxum hoc non parum opis afferre; verum territabat me noviſſe tot viros ἀρχαιολόγυς idipſum tentaſſe, ſed incæptum mala avi proceſſiſſe, ne Montfauconium ipſum excipias; urgebat me præterea munus, quo fungor, & amicorum querelæ; quare poſt paucułas horas ad lucem meridianam & quietem reperi marmor ſolummodo ab ſtructore diris devovendo, eo quod ſpatio parietis aptandum erat, ſerra decurtatum, ut in σχήματι vides; ceterum quod defectum fuit, ſuppletu facillimum reperi, & omnium elementorum veſtigia luculentiſſima, licet quorundam vix tenuiſſimæ lineolæ, & quaſi jam evaneſcentes reliquæ ſint; ita ut mirari minime deſtiterim tot viros Græce doctos id monumentum longe diſpari cura exſcripſiſſe, quod tam aperte curioſius inſpectanti ſe prodit; quare ut tandem civium votis, & exterorum facerem ſatis, juratiſſimus, & non ſine pignore ajo, quæ vides, me in lapide repeririſſe, Græca fide, quippe parum graphices didici, delineata: fateor poſt ETI, licet pars annorum vitæ Theodori ducis deficiat, attamen me illius primi numeri ne apicem quidem inſpexiſſe; fortaſſe qui barbarus ſilicem ſeptenos ferme pedes longum diſſecuit, atque ad unguem quadravit, ejus faciem pumice etiam perpolivit; etenim leniſſimam vides, quare τὸ I, quæ decem valet, lineolam breviſſimam pumex deroſit. Itaque vertas: *Theodorus conſul, & dux, qui a fundamentis templum excitavit, & diaconiam ab inchoato perfecit indict. tertia ſub Leone, & Conſtantino piiſſimis imperatoribus, in fide, & boneſtate menſe ſeptembri* *parti-*

Digitized by Google

particeps eſt vitæ hic, (ideſt obiit), *poſtquam vixiſſet Chriſto annos . . . & quadraginta:* Græca ut citius legas adſcribam bonis characteribus, erroribus deterſis:

ΘΕΟΔΩΡΟC ΥΠΑΤΟC ΚΑΙ ΔΟΥΞ ΑΠΟ ΘΕΜΕΛΙΩΝ
ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΟΙΚΟΔΟΜΗCΑC ΚΑΙ ΤΗΝ ΔΙΑΚΟ
ΝΙΑΝ ΕΚ ΝΕΑC ΑΝΥCΑC ΕΝ ΙΝΔ· ΤΕΤΑΡΤΗ ΥΠΟ
ΛΕΟΝΤΟC ΚΑΙ ΚΟΝCΤΑΝΤΙΝΟΥ ΘΕΟΦΥΛΑΚΤΩΝ ΒΑCΙΛΕΩΝ
ΕΝ ΠΙCΤΕΙ ΚΑΙ ΤΡΟΠΩ CΕΠΤΕΜΒΡΙΟC ΜΕΤΕCΤΙ ΤΟΥ ΒΙΟΥ ΕΝΘΑΔΕ ΖΗCΑC ΧΡΙCΤΩ
ΕΤΗ . . . ΚΑΙ Μ

Vides privam vocem CΕΠΤΟC, quam tandiu vexarunt, qui epigramma excripſere, obſcuram eſſe, & neminem divinaſſe CΕΠΤΕΜΒΡΙΟC, uti revera eſt, cum ratum ſit Chriſtianos menſem fere ſemper ſaxis θανατίμοις appoſuiſſe. Hic autem, ut noſcas, quantum ab exſcribentium fide deſciverint etiam Græce ſapientiſſimi, (nam qui Helleniſmum nunquam ſalutarunt, & chartis ſuis allinere hunc Theodori titulum auſi ſunt, ne curemus, atque valere jubeamus:) Montfauconium, quem ſaxum Neapoli adiiſſe fatendum eſt, vid. diar. Ital. c.21. pag. 315. quis non mirabitur vix unam, aut alteram vocem binorum extremorum verſuum ſecundum πρωτότυπον operi ſuo inſcripſiſſe? *In Eccleſia S. Mariæ Donna Romita, ut vocant, eſt inſcriptio Græca, quam plerumque editam cum mendis bene multis, neque felicius explicatam, hic reſtituere viſum:* Θεοδωρος υπατος χαι δουξ απο θεμελιων τον ναον οικοδομητας κ, την διακονιαν εκ νεας ανυσας εν ινδ. τεταρτι της βασιλειας Λεοντος χαι Κωτταντινου των θεοφιλων χαι των βασιλεων σεμνως βιωσας εν π πιττι χαι τροπω εν τω μεντε οκτωβριου ενθαδε ζητας χριττω ετη ι. χαι μ. *Adſunt quædam vitia, & permutationes litterarum, labente linguæ Græcæ uſu, inductæ; ut autem videatur, quam neceſſe fuerit germanam his addere interpretationem, vide mihi qualem ediderint:* Theodorus conſul & dux a fundamentis templo ædificato, & Diaconia de novo perfecta in indict. quarta imperii Conſtantini pii imperatoris, præclarus & fide & moribus ſexto menſis octobris hic vivens Chriſto annos quinquaginta. *In editis legitur:* εκ τω μεντε οκτωβριου, *quæ lectio non quadrat, vox enim* menſe *legendum indicat* εν τω μεντε, *cum alias* εκτω *non poſſit hic pro die menſis adſcribi, nam* εκτη *legendum eſſet ſupp.* ἡμέρα· *ajunt item ex indictione, & die menſis adnotata deprehendi annum 616. quod item* ἀπροσδιόνυσον *eſt; nam illo anno non Conſtantinus, ſed Heraclius imperabat. Inſcriptionis igitur hæc eſt ſententia.* Theodorus Conſul & Dux cum a fundamentis templum hoc excitaſſet, & diaconiam de novo perfeciſſet ind. quarta Leone, & Conſtantino pie imperatoribus præclarus fide & moribus ætatem duxiſſet menſe octobri hic poſitus eſt, cum vixiſſet in Chri-

ſto

ſto annos quinquaginta : huc uſque Montfauconius, ſed dum de ceteris exſcriptoribus conqueritur, nil meliora ipſum appoſuiſſe intuemur.

Aſſemanius in laud. tom.3. p.26. ex ingenio hunc Theodori titulum adornavit, ac multo longiorem fecit. Mazochius etiam, cujus ope ſpes erat integerrimum marmoris exemplar cives, exteroſque habituros, hæc illevit volumini de Eccl. Neap. &c. pag. 253. col. 2. & quæ alii dederunt, protulit: *Sed & in eccleſia SS. Joannis, & Pauli titulus hujuſmodi fuit:* Θεοδωρος υπατος και δυξ απο θεμελιων τον ναον οικοδομησας και την διακονιαν εκ νεων ανυσας εν ινδικτ. τεταρτη της βασιλειας Λεοντος και Κωνσταντινου των θεοφιλων σεμνως βιωσας εν πιστει και τροπω εκτω μηνας οκτωβριον ενθαδε βιωσας Χριστω ετη . . . *Theodorus conſul & dux, qui a fundamentis eccleſiam ædificavit, & diaconiam ab inchoato perfecit indict. IV. imperantibus Leone, & Conſtantino Deo dilectis imperatoribus, &c. Nam reliqua ſunt paullo impeditiora, quæ ex ipſo lapide a me non viſo facile extricabuntur*, hæc Mazochius ὁ πάνυ· advertas rogo, quot verba appoſita, quæ in ſaxo non ſcalpta ſunt, νεων, ανυσας, ινδικτ. βασιλειας, θεοφιλων, σεμνως, βιωσας, εκτω, μηνας, οκτωβριον, iterum βιωσας· & poſthabita, quæ inſunt, εκ νεας, ανυξας, ινδ. τον θεοφυλακτον, βασιλεο, σεπτος, μεπστι, τυ βιυ, ζησας, και μ, ſane ſi titulus Palmirenam linguam præſeferret, tot doctiſſimi viri plura verba aucupati eſſent, cum ceteroqui vocabula, & elementa ſatis aperta ſint; duo mihi præterea ignota ſunt, cur Mazochius ſcalptoris σφάλματα abſterſerit, & cur piguerit marmor ædibus ſuis unius ſtadii circiter itinere diſſitum, ipſo ita ajente, inviſere, præſertim cum cerneret tot corruptiſſima exemplaria omnium manibus atteri, & ſua intererat maxime nitidum edere, qui de Diaconiis noſtratibus longiorem diatribam operi intexuit, quem unum virum ſcio impeditiſſima quæque alias εὐχείρως enodaſſe. Demum conquerendum mihi eſt de Corſinio Italorum omnium ἑλληνικωτάτῳ, qui, cum in laborioſiſſimo opere de not. Græc. hunc Theodori titulum commeminerit in voce ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΟΣ, & viderit tot vulneribus marcidum ac fœdum, eum facile ſaluto marmorum affectorum ἀρχίατρον, manus ei medicas adhibere poſthabuit. Nunc memini etiam Maffejum ἀρχαιολόγων Italorum lumen heri aut nudius tertius extinctum, grandi ſui deſiderio relicto, hanc Theodori epigraphen recitare, ſed nil in ea animadvertiſſe, ut me docet ipſe Corſinius in not. Græc. pag. 30. Quantum lucis & honeſtatis hiſtoriæ Eccleſiæ Neapolitanæ hic Theodori titulus jam περιβόητος afferat, quiſque noſcitat : utinam tot noſtrates Eccleſiaſtici viri, & juvenes doctiſſimi ad illam erudite, modo Græca didicerint, concinnandam collaborarent, quam nunc in noſtris Scriptoribus vel mancam, vel turbatam nimium patienter legimus, cum res Neapolitanorum ſacræ juxta, ac profanæ præ ceteris magnis urbibus ſcateant Græcis ritibus ac ornamentis; ut id opus urgeatur, ab providentiſſimo noſtro Archiep. Card. Serſalio, quem ad augenda Eccleſiæ Neap. antiquitatem & decus veluti e cælo demiſſum ſuſpicimus univerſi, ſperandum

Digitized by Google

dum eſt; me ſolummodo mordet haud ineſſe mihi id virium, totumque jam in Puteolana chorographia verſari occœpiſſe, grandeſque ſchedas jam comparaſſe.

Ceterum a propoſito longe aberratum eſt; mea potiſſimum refert, ut noſcas Helleniſmum, licet languoris plenum adhuc octavo ſæculo vitam traxiſſe; quem tandem decimo, ac deinceps penitus extinctum, & non niſi hirtam Latinitatem ac monſtroſam invectam indoleſco, teſtes mihi quædam marmora, & cum primis fama jam celebratiſſimum ob Mazochii æternum commentarium, Kalendarium Neapolitanum ſæculi circiter decimi ſcalptura, quod licet Latiare ſit, tantis ſcatet Græciſmis, ut videas verba utriuſque linguæ ſimul infarta, quare tiro ſtatim noſcit natum in urbe ῥωμαϊστὶ balbutiente; in eo habes bonam partem Sanctorum nominum, atque locorum in caſu patrio in *u* & *es* Græcanico ritu exeuntium, nim. *Agathangelu*, *Nicodemu*, *Marcu*, &c. *Julianes*, imo & Græcam ſyntaxim, ſcil. *in Epheſu*, *de Epheſu*; addas & τῦ ἦτα litteræ κακοφωνίαν, *S. Caji PP. Romis*, & *Titu Ep. Critis*: quas Græcitatis reliquias ne dicas ab plebeji ſcalptoris manu injectas, nam eandem linguarum σύγχυσιν in altera Kalendarii facie vides, quam ab alio artifice inciſam ipſe, qui labore haud aliis tolerando illud exſcripſi, luculenter adverti; ſed eam etiam cultiorum hominum διάλεκτον dicas; neque aliam monſtroſarum dictionum cauſam invenias, niſi fatearis Neapolitanos Ἑλληνικοὺς per plurium ſæculorum orbem jam ea malæ frugis ætate ἀπὸ τῦ ἑλληνίζειν ad os Latiare paullatim, & veluti per gradus deſciviſſe, atque ſe aptaſſe. Nil mihi poſthac reliqui duco, quam ut penſites me per ſæculorum ſeriem apertis Scriptorum, ac præſertim marmorum monumentis fultum ſatis diu Helleniſmum Neapoli vigentem patefeciſſe: & ſi exſpectes bina ſequentia capita de Fratriis, & de Neapolitanorum in res aſtrologicas ſtudiis, Neapolitanum Græciſmum, imo & Atticiſmum potentius firmum ac ratum habebis; quare ſi forte in epiſtolam Dominici Aulifii συμπολίτυ, viri undequaque doctiſſimi Didaco Vincentio a Vidania ſcriptam, quam ſuis opuſculis variis affixit pag. 5. incidas, ne ei præſtes fidem edicenti liberrime, *ab Athenienſibus noſtræ urbi imperatum nunquam*, miror tantum virum Strabonem non lectitaſſe. Ceterum uſque inviſus mihi erit Tacitus, qui lib. 15. cap. 33. Ann. vocat *Neapolim*, *quaſi Græcam urbem*; niſi Cornelium tuearis cum Calmeto, quem adeas, ajente in Joan. cap. 1. v. 14. *particula QUASI non ſimilitudinem ſonat*, *ſed rem ipſam*, *&* *veritatem*; nobis ſat ſit Statius, qui urbem, & arva Neap. ἁπλῶς *Graja* ſalutat, dum Pollium ſuum, qui Græcanica ſtudia enixe coluerat, hinc cives noſtros frequentiſſime adibat, commendat Sil. lib. 2. carm. 2. v. 95. *Macte animo quod Graja probas*, *quod Graja frequentas Arva*, *nec invideant*, *quæ te genuere Dicarchi Mœnia.*

Ut autem omnia, quæ in hac quinta cap. parte prolixius contra Mazochii argumenta dicta ſunt, contraham, oſtenſum eſt poſteriori ævo

a Tib.

Digitized by Google

a Tib. Aug. per octingentorum fere ann. curſum rem Neapolitanorum ἑλληνικῶς ſe geſſiſſe ac perduraſſe, tam ex publicis, quam ex privatis inſcriptionibus, neque officit ad eos Latine ſcripſiſſe Ambroſium, & Symmachum. Longiorem Philoſtrati locum, quem contra objecerat magnus Mazochius, præſtitum eſt eſſe Neapolitanis oris Attici honeſtiſſimum, cui multam lucem impertiti ſumus, & de Olearii, & Mazochii interpretamento indoluimus, ac novum appoſuimus. Demum marmora prolata ſunt, & quædam conſulum præſertim nominibus, & imperatorum clara, queis ad uſque octavum ſæculum Græcanicam vivendi rationem in Neapolitana rep. viguiſſe patefactum eſt. Nunc ab longo ipſe veluti errabundus itinere in viam ingredior.

P A R S. VI.

Supplementum Titi Auguſti lapidis diverſum ab eo, quod appoſuit Mazochius, expenditur, & κυριώτερον demonſtratur. Breves quædam diatribæ adjiciuntur, quo tam illuſtre δίγλωττον ſaxum Neapolitanum maximam lucem indipiſcatur.

I. QUÆ *omiſit Mazochius in ſupplemento, recenſentur. Quinto verſui Græca verba a me appoſita exemplis bene multis fulciuntur.* II. *Sexto verſui opportunam medelam factam oſtenditur: Tacitus mendacii arceſſitur, dum ait theatrum Neap. concidiſſe.* III. *Feſtiva exemplorum vi demonſtratur Titum* ſigna, *ſive* ſtatuas collapſas *reſtituiſſe, quod non fecit Mazochius.* IV. *Cur Neapolitani ſcalpſerint in ſaxo* TERRAE MOTIBVS, *non vero elegantius* VI TERRAE MOTVS *expenditur. Nova notio vocis* promiſſus, *& quidam lapides explicantur.* V. Imagines *longe differre a* ſignis, *ſexcentis Scriptorum, & marmorum locis patefit: vox* imagines *importuna mutilo Campani amphitheatri titulo.* VI. *Alia notio, quæ γενικωτέρα eſt, hujus ῥήσεως* imago. *Græci ante Latinos eodem pacto diſtinxere vocabula εἰκών, & ἄγαλμα· ſat tenebricoſo & corruptiſſimo marmori medela.* Εἰκὼν *vox etiam γενικὴ, ut apud Latinos* imago. *Arduum in Hebræis dictionibus eandem diſtinctionem veſtigare.* VII. Σεισμὸς Βεσβίου, *quam adhibuit Mazochius, an bona ſit σύνταξις, excutitur, & beata exemplorum copia Græcos cujusvis ætatis poſt σεισμός caſum patrium nunquam adjeciſſe præſtatur. Thucydidi medela. Quid σείειν, εὔσειστος, & βρασμός.* VIII. *Ab Homero omnium Scriptorum parente natum, ut σεισμός vox ſit* terræ motui *addicta: hujus vatis ὑπερύψηλος telluris ſuſque deque motæ deſcriptio, quam Maro fruſtra imitari tentavit. Quid in Homero ἐλελίζειν Ὄλυμπον, antehac ignotum.* Ἐνοσίχθων, *&* Ἐννοσίγαιος *vocabula Pelaſgica ab* אני שקט, *&* אני נשג, *& verbum σείω eſt ab* שחה. IX. *Herculanenſis theatri brevior deſcriptio, & unius pilæ ichnographia: Dionis locus de hoc theatro illuſtratur antehac σκοτεινότατος. Verbis Strabonis de oppido Herculanei multo magis tenebricoſis lux, & vox ἄκρα importuna pro μακράν.* X. *Siſenna explicatur: portum fuiſſe in eo oppido contra Dion. Halicarn. pernegatur: quid φρούριον in Strabone: vocis* Herculaneum *etymon ab Phœnicio ἰδιώματι* הרה קלא, *multis finitimorum locorum exemplis firmatur, ſat inficete ab* Herculis *nomine trahitur.* XI. *Nomen* villæ Retinæ *corruptum, reſtituendum* Pætinæ; *inibi enim multa prædia*

Digitized by Google

prædia habuiſſe Papirium Pætum *ex Cic.demonſtratur, ibique etiam perdiu degiſſe, id bene multis ex Tullio collectis locis patefit.* XII. *Melancoma Neap. athleta omnium præclariſſimus ope Dionis Chryſoſt. defenditur adverſus noſtrates Scriptores Titi Aug.* ἐραστὴν *ſuiſſe blaterantes, & cum Themiſtio conjurantes; hujus verba aliquantulum perturbate ab Petavio converſa. Demum, quo anno Titus Neapolitana gymnaſia celebraverit, veſtigatur.*

I. TAndem veluti oblitus Titi Veſpaſiani lapidem ad illum reviſendum revocor, a quo longe peregrinatum eſſe non me piguit, cum & veterem patriæ *αὐτονομίαν*, atque Atticam loquendi elegantiam, collectis tum editis, tum novis Scriptorum, & marmorum monumentis, reſtituerim, poſtquam hujus Titiani lapidis ergo utramque virum ſummæ auctoritatis & famæ Mazochium ereptum iviſſe conquerebamur univerſi. Ut autem res curate, atque ordine, quem ſemper amo, procedat, iterum depingendam epigraphen a Mazochio reſtitutam duxi, quam longioribus commentariis ſuperne p.413. &c. excuſſimus; atque eundem lapidem cum majori parte a me adjecta adſcribam ſequenti paginæ, (nam hic ſpatii caritate laboramus), quo utriuſque diſcrimen facilius oculis fidelibus pateat. Vides jam multo longius meum Mazochiano ſupplemento; quis enim in animum inducat fere in æquas lapidem partes, non vero inæquabiliter infringi potuiſſe? quare cum Mazochius non fecerit altera parte longiorem, voces Græcas, & nomen ipſum Veſpaſiani intercidit, & Latiali ſupplemento ob loci anguſtias *Divi* titulum, quod Græce eſt, non illevit: quin etiam omiſit, quoties *imperator* conclamatus ſit; quare ipſe, cum in Grutero p.244. *6.* lapis ſit Tito erectus, ubi & eadem tribunicia poteſtas ſcalpta eſt X. & conſulatus VIII. ſimulque imper. XVII. vel ut in hoc ſaxo legit Boiſſardus *imper.* XIII. quam lectionem ſecutus ſum Græce, & Latine in Titiani marmoris exemplari, quod appoſui: ſalutatum eſſe XVII. Titum *imperatorem* adſtruit etiam Tillemontius art. 7. in fin. quanquam Xiphilinus edit. Reimari verſ. *60.* pag. 1093. quina dena vice ita appellatum narret: Ἐν μὲν Βρεττανίᾳ ταῦτ' ἐγένετο, ϗ ἀπ' αὐτῶν ὁ μὲν Τίτος αὐτοκράτωρ τὸ πεντεκαιδέκατον ἐπεκλήθη· in quæ verba hæc adnotavit vir quæſitiſſimæ eruditionis Reimarus: *Eam appellationem imperatoris XV. confirmant numi apud Mediobarbum p.124. ſeq. & Golzium pag. 56. unde diſcimus datam eſſe Tito conſuli VII. A. V. C.* 832. *paullo poſt obitum patris; ſed & reperimus eundem poſtea XVI. & XVII. imperatorem, &c.* Eapropter in noſtro ſupplemento nihil mancum vides, & omnia ſibi apte reſpondentia, quod in ſaxis maximorum operum publicorum ſancte ſervatum eſt. Titulos honorum quoad ordinem imperialium marmorum digeſtos cernis; Mazochius, ut ante dictum mihi eſt pag. 414. ὕστερον πρότερον, & paullo liberius, ejus pace dictum volo, eos turbavit. Verum hæc oculis ſubjecta facile ex ſe ipſe quiſque in ſeq. pag. dignoſcit.

Opus plenum laboris fuit quintum verſum impleviſſe, neque dubites, quin ea, quæ verba adſcripſi, divinarim, ſi ex ejuſdem generis, ideſt

gymnaſticis inſcriptionibus reperire ſatis fui: vide diſſert. VIII. Vandalii de Gymnaſiarch. pag. 590. inibi affert vir laborioſiſſimus ſanequam lon-

Mazochii additamentum. *Marmoris fragmentum.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ
ΘΕΟΥ ΟΥΕΣΠ ΥΙΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ
Π ΠΑΤΡ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟ Ι
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Η ΤΕΙΜΗΤΗΣ
ΣΤΕΦΑΝΩΘΕΙΣ ΤΟ··ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ ΤΟ Ι ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ
ΥΠΟ ΒΕΣΒΙΟΥ ΣΕΙΣΜΩΝ ΣΥΜΠΕΣΟΝΤΑ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ
IMP·T·CAES·VESPASIANI F·VESPASIANVS·AVG
TP·POT·X·P·MAX·COS·VIII·CENSOR·P·P·
VESVI MONTIS·CONCVSSIONIBVS·CONLAPSA·RESTITVIT

Longius ſupplementum, & a Mazochiano perquam diverſum.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ
ΘΕΟΥ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΥΙΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ ΤΟ Ι
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΟ ΙΓ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Η ΤΕΙΜΗΤΗΣ
ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΚΑΤΑΞΙΩΣ ΑΥΤΟΥ ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ ΤΟ Γ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ
ΑΓΑΛΜΑΤΑ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΑΠΟ ΣΕΙΣΜΩΝ ΣΥΜΠΕΣΟΝΤΑ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ
IMP·T·CAESAR·D·VESPASIANI·F·VESPASIANVS·AVG
PONT·MAX·TR·P·X·IMP·XIII·COS·VIII·CENSOR·P·P·
SIGNA·PECVNIA·SVA·TERRAE·MOTIBVS·CONLAPSA·RESTITVIT

Ign. Lucchesini incidit.

palmi Neapolitanorum.

1 2 3 4 5

gam epigraphen, in qua circa initium hæc leges: Βάτων Φίλωνος πρότερον μὲν ἐπ' ἔτη δύω προχειρισθεὶς γυμνασίαρχος προεστάτησε ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΚΑΤΑΞΙΩΣ ΑΥΤΟΥ, κ. τ. λ. *Bato Philonis fil. jam ante quidem per binos annos ſalutatus gymnaſiarcha SPLENDIDE AC PRÆ DIGNITATE SUA præfuit gymnaſio, &c.* Porro niſi, qui ludorum & agonum præfecturam init,

Digitized by Google

init , eam ſplendide ac egregie non impleat , ſane nec lapidis memoria dignum ſe proderet, & oratio languoris plena eſſet, niſi apponeretur aliquod illuſtre *ἐπίῤῥημα* , uti vides in hoc Batone ; multo magis oportuit, ut Titus imp. iiſdem honorum ſignificationibus, eo quod Neapoli *ἐγυμνασιάρχησεν*, honeſtaretur. Ceterum id ſtatuo ſollemne fuiſſe verbo *τῷ γυμνασιαρχεῖν* decorum quid adjicere , cum etiam apud Iſæum legerim in Orat. pro Apollodoro circ. fin. *Γυμνασιάρχηκα εἰς Προμήθεια τούτου τοῦ ἐνιαυτοῦ φιλοτίμως* · præterea ex Grut. pag. 1091. 4. habeo Artemidorum quendam *ἀγωνοθετήσαντα , ϗ πανηγυριάσαντα ἐνδόξως ϗ φιλοτίμως* . Nec prætercam longioris epigrammatis verba , ΠΑΤΡΙΣ Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ . . . ΣΥΝΑΨΑΙ ΤΑΣ ΑΡΧΙΕΡΩΣΥΝΑΣ ΤΟΙΣ ΟΞΕΣΙΝ (fortaſſe ΠΟΛΕΣΙΝ) ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΦΡΟΝΩΣ ΑΝΔΡΑ , κ. τ. λ. *patria* honorat *M. Aur. Diadochum Hippicum . . . virum, qui eximie & magnifice munera pontificatus in urbibus* (ſcil. Theatyræ, & Pergami) *exercere ſtuduit*, *&c.* quod epigramma referunt Sponius to. 1. p. 394. G. Welerus pag. 211. & Vandalius in Diſſert. 3. pag. 234. miror hunc virum nihil vidiſſe in voce ΟΞΕΣΙΝ, ac vertiſſe *acutis*, quod marcidum eſt. Addas ex Sponii miſcell. ΛΕΥΚΙΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΒΟΝΝΑΤΟΝ . . . ΠΑΣΑΣ ΑΡΧΑΣ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΤΕΤΕΛΕΚΟΤΑ ... *Lucium Julium Bonnatum magiſtratus omnes munifice functum*. Et Xiphilinus p. 1164. de Hadriano narrat Athenis archontem Liberalia *magnifice* celebraſſe : *Τά τε Διονύσια, τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ* ΛΑΜΠΡΩΣ *ἐπετέλεσε*. Saxum etiam mihi ſuggerit maximus Salmaſius H. A. pag. 124. col. 1. to. 1. ubi ſcalpta viſuntur terna id genus *ἐπιῤῥήματα*, ait ſiquidem : ***Sic in veteri ſaxo de hoc ipſo archonte :*** *Ἄρξαντα τὴν τοῦ ἄρχοντος ἀρχὴν καλῶς, ϗ δικαίως, ϗ συμφερόντως τῇ πατρίδι*. Præterea in longiſſimo lapide, quem doctiſſimi viri Academ. Pariſienſ. brevi edituri ſunt, meque inſpexiſſe gaviſus ſum, adnotavi pro re nata adoleſcentulum quendam ΕΥΤΑΚΤΩΣ ΕΦΗΒΗΣΑΝΤΑ · quare reor neminem tot ratis exemplis inductum dubitaturum poſthac, quin verſus bene impletus ſit his vocibus, ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΚΑΤΑΞΙΩΣ ΑΥΤΟΥ , quis enim , ſplendidius ac auguſtius, quam Titus ludos indicere, iiſque præeſſe uſquam potuiſſet, quo memoriam enormi ſaxo ſcalptam a Neapolitanis meruerit, & quæ duret adhuc ? verſus vero cum ceteris nulla *ἀσυμμετρία* laborat , ac in eo ne parum quidem hiatus vides. Jure igitur elevavi verba ab Mazochio injecta , nim. ΣΤΕΦΑΝΩΘΕΙΣ ΤΟ ... pag. 415. conſulas inibi non una argumenta, quæ ipſe contra aggeſſi; nunc addam me vocem *coronatus* propriam athletarum, non vero Cæſarum fuiſſe etiam ex lapidibus noſcitaſſe : L. SVRREDIO. L. F. CLV. FELICI. PROCVRATORI. AB. SCEN. THEAT. IMP. CAESAR. DOMITIAN. PRINCIP. CORONATO. CONTRA. OMNES. SCENICOS. &c. ita hunc lapidem invenio in adnotat. in Sueton. pag. 305. edit. Burman. nam in Grut. 331. 4. aliquantulum medelæ patitur.

II. Sextus verſus difficiliori divinationi obnoxius eſt, quippe totius inſcriptionis rationem, & argumentum munificentiæ Auguſtæ, cujus ergo erectum eſt ſaxum, complectebatur: quæ argute & feſtive interſit Mazochius, ſuperne exturbavimus: quæ vero a me inſerta cernis, ſcilicet ἀγάλματα ἐκ τῶν ἰδίων ὑπὸ σεισμῶν, & Latine SIGNA PECVNIA SVA TERRÆ MOTIBVS, hic eſſe reor πιθανώτερα, & magis vendibilia. Porro ex ejus temporis hiſtoriæ monumentis ſcimus quædam Neapoli concidiſſe denis ſenis circiter annis ante Titum terræ motu in noſtro theatro, Nerone concinente, teſte Suetonio cap. 20. *Et prodiit Neapoli primum: ac ne, concuſſo quidem repente motu terræ theatro, ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolveret νόμον. Ibidem ſæpius & per complures cantavit dies.* Idipſum notum eſt ex Seneca init. lib. VI. Natur. quæſt. luculentius enarrante: *Pompejos celebrem Campaniæ urbem . . . deſediſſe terræ motu . . . audivimus . . . Regulo, & Virginio coſſ. . . . Herculanenſis oppidi pars ruit . . . Neapolis quoque privatim multa, publice nihil amiſit, leviter ingenti malo perſtricta. Villæ vero præruptæ paſſim ſine injuria tremuere. Adjiciunt his ſexcentarum ovium gregem exanimatum, & diviſas ſtatuas: motæ poſt hoc mentis aliquos, atque impotes ſui erraſſe.* Senecæ minime adſentitur Tacitus, aitque Annal. lib. XV. c. 22. *Et motu terræ celebre Campaniæ* oppidum Pompeji *magna ex parte proruit:* deinde cap. 33. & 34. reponit, quæ ob motum terræ Neroni ſcænas Neapolitanas celebranti acciderunt: *C. Lecanio, & M. Licinio coſſ. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas ſcænas frequentandi: nam adhuc per domum, aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis, quos, ut parum celebres, & tantæ voci anguſtos ſpernebat. Non tamen Romæ incipere auſus, Neapolim quaſi Græcam urbem delegit . . . Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos a proximis coloniis, & municipiis ejus rei fama civerat, quique Cæſarem per honorem, aut varios uſus ſectantur, theatrum Neapolitanum complent. Illic, ut plerique arbitrantur, triſte, ut ipſe, providum potius, & ſecundis numinibus evenit: nam egreſſo, qui affuerat, populo, vacuum, & ſine ullius noxa theatrum collapſum eſt. Ergo per compoſitos cantus grates Diis, atque ipſam recentis caſus fortunam celebrans, petiturusque maris Hadriæ trajectus, apud Beneventanum interim reſedit.*

Hic autem paullisper reſiſtere oportet, ut ternos συγχρόνυς Scriptores ſibi, tum quo anno hic motus terræ acciderit, tum an reapſe theatrum Neapolitanum collapſum ſit, pugnantes componam: præſertim cum Laſena cap. IV. init. & Peregrinius p. *760. 769.* & quotquot ab his ſcripſere Neapolitani adeo rem omnem ſusque deque miſcuere, ut nihil jam in Neapolitana hiſtoria tenebricoſius videas; ne eos evolvas te rogatum vellem, quo nil otii teras, cum non laborandum valde ſit, ut triumvircs illos ſimul conciliemus. In curatiſſima Neronis vita artic. 17. etiam Tillemontium conſulendum ratus ſum, ſed vir diligentiſſimus nodum intercidit

rem

Digitized by Google

rem omnem paucis abſolvens, ita ut dicere melius poſſis illam ſilentio præteriiſſe. Itaque quo diu non te morer, omnia ſimul bene conjurabunt, ſi deceptum dicas Tacitum, quando terræ motum ſub aliis conſulibus ab iis, quos Seneca laudat, figit; tum mendacem incuſes, cum theatrum omne tam mire concidiſſe legentibus imponat; quid autem pronius, quam hominem poſſe decipi, mentiri vero nil turpius ingenuo viro. Porro quis fidem Senecæ potius non præſtet narranti facinus, certumque annum diſcriminanti, & in vivis degenti, quam Tacito, qui ab Nerone non paucis poſt annis annales concinnavit; præſertim cum ipſe contra verum ſtet, dum theatri Neapolitani excidionem tam miram effingit? Non autem collapſum hoc grande ædificium certi ſumus ex Seneca ajente propalam ex eo motu terræ *Neapolim nihil publice amiſiſſe, atque ingenti malo leviter perſtrictam*. Præterea idipſum Suetonius magis firmat; aperte enim inquit, adeo leviter fuiſſe theatrum concuſſum, ut nec ſpectatores aufugerint, nec *Nero canere νόμον deſierit;* exindeque ibidem *per complures etiam cantaverit dies:* vides porro Tacitum de ſuo theatri ruinam annalib. appoſuiſſe fabellis ornatam contra duorum teſtium fidem luculente eam negantium. Igitur, ut a brevitate deſponſa minime diſcedam, ſi Tacitum in conſulum nomine deceptum, & in theatri Neapolitani excidio falſum traducas, ejuſque ædificii ἀδιαφθαρσία concordi Senecæ, ac Suetonii auctoritati nixus fidem præſtes, vides ſane, quam incaſſum laboratum ſit a noſtratibus Scriptoribus, quo Tacitum cum his duumviris componerent, a quibus id certi eruimus, concuſſa terra, Regulo & Virgilio coſſ. non unam in Campania excidiſſe urbem, Neapolim vero ingenti clade leviter perſtrictam, neque ullam publicam ædificiorum molem amiſiſſe.

III. His intellectis, ad ſexti verſus lapidis Titi ſupplementum me recipio: nollem ſane, ut quis divinationem objurget, quod τὸ SIGNA adjecerim; etenim τὸ COLLAPSA nullam aliam, quamcumque cogitaveris, vocem, ad ſe revocat: neque τὸ *collapſa* ſolitarium appoſitum dicas, neſciremus enim, quæ Titus in theatro reſtituerit, quæ certe in deperdita ſaxi parte ſcalpta eſſe oportuit, etiamſi mihi moleſtus τὸ *ſigna* exſtitiſſe neges. Id unum me didiciſſe ſcio ab inſcriptionum theſauris, ſemper ac τὸ *collapſum*, aut quid ſimile in ſaxis ſcalptum eſt, rem ipſam, quæ cediderat, adjectam eſſe, neque eam vocem ſolitariam cernere eſt: ipſe enim patientiſſimus binas claſſes, quæ ceteris longe prolixiores ſunt, epigrammatum *Diis dedicatorum*, atque *operum publicorum* ex Grutero, & Reineſio collectas evolvi, in iis epigrammatis ſemper adjunctum vidi opus, quod collapſum eſt, & reſtitutum, veluti *Pantheum: ſignum Jovis: ſimulacrum: ſpeleum vi ignis abſumptum reſtituit: ædem: ædiculam: ſigillum cum ara: thermas Herculis: turres vetuſtate conſumptas: opus pilarum vi maris collapſum: pontem, vel opus pontis bellorum injuria, & amnis violentia diſruptum reſtituit: viam corruptam: proſcænium:*

ſeptum

ſeptum cluſum dirutum: horologium, & ſexcenta id genus, queis voces *collapſum*, & *reſtituit*, vel ἰσοδυνάμους ῥήσεις appoſitas legere eſt: & ut nuperam epigraphen tot veteribus addam, qua de iterum opportuniori loco p.542. ſermo erit, *ponderarium vi terræ motus dilapſum reſtituerunt:* & ipſe Mazochius producit recentem lapidem Campanum, ubi ineſt, *apodyterium ad novitatem reſtituit* in amph. Camp. p.70. & p.107. neque inficiar aliquando, ſed raro admodum ſileri opus, quod corruit, verum vel tiro in iis ſaxis illud ſuppleret; ſunt enim lapides, qui vel *templo*, vel *porticui* affigebantur, quæ a fundamentis corruerant; quare ſemel, aut iterum in Grutero vides: *Senatus populuſque Romanus incendio conſumptum reſtituit*, at adnotat Grut. 172. 4. hoc ſaxum adhuc Romæ exſtare in epiſtyliis templi Concordiæ: ſicuti ibid. 5. affert marmor in particu olim templi Junonis, nunc S.Angeli in foro Piſcario, in quo inter cetera ſcalptum eſt, *incendio corruptam reſtituerunt*, ubi quivis adderet illic *templum*, hic *porticum*; ſicuti etiam ſæpe in ſaxis milliaribus τὸ *viam* reticetur, atque ſolitarium vides τὸ *reſtituit*, nam facillime noverat quiſque, quid operis reſtitutum erat, *via* ſcilicet. Per otium ingentem etiam Muratorianam inſcriptionum συλλογὴν conſului, atque in binis laudatis claſſib. inveni ſexcentas epigraphes, in queis eſt *ædificium*, aut *ædes*, aut quid ſimile collapſum, ſi additum ſit τὸ *reſtituit*, veluti, *terminos pomerii reſtituendos curavit: arcus ductus aquæ virginis diſturbatos reſtituit: Anienem reſtituit: viam inviam reſtituit: thermas cum porticibus, & baſilicis reſtituit: pavimentum: labrum reſtituit: miliaria vet. collapſa reſtitui juſſerunt: armamentaria collapſa reſtituit*; pauca hæc exempla ſatis ſint, cur enim omnia ejuſdem fere ſententiæ colligenda curem? Haud negem Muratorium epigrammata proferre, quæ facile enumeres, in quibus res collapſa, ac reſtituta reticetur; verum adverti ea vel in Hiſpania, vel longiſſime ab Latio reperta; ceterum ſcimus hujus Muratoriani theſauri fidem apud viros doctiſſimos ſat periclitari; religionem ſanctiorem ſibi conciliarunt duoviri Gruterus, ac Reineſius.

His διὰ βραχέων animadverſis, neceſſe habuiſſet Mazochius, ut docto ſupplemento adſuiſſet, quænam collapſa Titus reſtituit in eo maximæ molis ædificio; etenim ſi omne corruiſſet, ſatis fuiſſet ſolummodo vox *collapſum*, & tunc fortaſſe etiam in fragmento deperdito ſcalpi oportuiſſet τὸ *theatrum*, ut mos ſollemnior hujus generis epigrammatum ſervaretur: cum autem e contrario nacti ſimus τὸ *collapſa* in plurativo numero, & ipſe vir magnus fateatur *partes tantum decidiſſe*, haud fieri poteſt, quin auctor lapidis illas, quæ ab grandi ea mole vi terræ motus decuſſæ ſunt, & Titus inde reſtituit, adſcripſerit. Quare piget me intueri Mazochii ſupplementum eo, quo omnis bilinguis & elegantiſſimi ſaxi vis & hiſtoria collineare oportebat, deſertiſſimum; prorſus enim ignoramus, quæ ab hoc auguſto principe reſtituta ſunt. Quare iterum admoneam probe

Digitized by Google

be a me immiſſam in lapidis additamentum vocem *ſigna*, ſcil. ſtatuas; nam ita certi ſumus & quæ ab theatro deturbavit σεισμός, & quæ munificentiſſimus princeps reſtituit. Pro re nata in mentem venit virum ſummum etiam in mutilo Camp. amphitheatri titulo adjeciſſe τὸ RESTITVIT ſolitarium, quare cum veteres fere ſemper rem reſtitutam ſcalpſerint, aliud in eo præclariſſimo ſaxo apponendum fuiſſet, neque importunum dicas TRAIANI F. quod & lapidis συμμετρίαν ſervat, & ita legere eſt in Reineſio 3. 14.

IMPERATORI · CAESARI . . . . TRAIANI · F
. . . SVRRENTINA · RESPVBLICA

Porro ita elegantior erit brevis ille titulus, neque tot verbis ſcateret, *fecit*, *reſtituit*, *addi curavit*, *dedicavit*.

Nollem, ut mihi objectetur ex Seneca Neapoli nihil publice amiſſum eſſe, reponam enim neminem dicturum, eo quod ex publicis molibus ſtatuæ dejectæ ſint, utpote ad ornatum erectæ, peſſum iviſſe theatrum, vel quid ſimile grande ædificium: illas autem in motu terræ facilius concuti cernimus, & ſæpe ruere indoleſcimus, quippe quæ parietibus preſſius minime adhæreſcunt, & ſolummodo mole ſua ſtant. Neque in animum inducas me ex unis conjecturis τὸ *ſigna* inſeruiſſe, ejus quidem vocis fundum do Senecam ipſum, qui poſtquam privatarum ædium cladem, quæ Neapoli acciderat, indicaſſet, paucis poſt verbis, vide ſuperne locum, fatetur etiam *diviſas ſtatuas*. Theatra autem, amphitheatra, ac thermas millenis ſtatuis celebrata fuiſſe, neque Mazochius ipſe mihi inficiaturus eſt, cum vir magnus mutilo ſuo Campanæ arenæ titulo ῥῆτιν *imagines* reſtituerit: & Rex invictiſſimus in Herculanenſi theatro, quod pæne ſolidum exſtat, ſexcentas ſtatuas e marmore, atque ex ære extraxit, binas cum primis equeſtres, ad quas veluti ad artis miraculum viſendas longe gentium omnium accurritur, quas dejectas reperit univerſas, quod in eo motu terræ Regulo, & Virgilio coſſ. primas etiam concidiſſe oportuit. Thermas etiam copioſe ſignis inſtructas legimus, teſtemque do Sæmilanianum lapidem, quem ſervat Rex ſibi auro contra cariorem:

SIGNA TRANSLATA EX ABDITIS
LOCIS AD CELEBRITATEM
THERMARVM SEVERIANARVM
AVDENTIVS SAEMILANVS V. C. CONS
CAMP. CONSTITVIT DEDICARIQVE PRECEPIT sic
CVRANTE T. ANNIO CHRYSANTIO V. P

In quo vides vocem SIGNA lapidariam etiam eſſe, τὸ IMAGINES vero an ita ſit, & ſtatuas denotet, Mazochii partes ſunt, ut exempla regerat. Cete-

Digitized by Google

terum quæ de SIGNIS & de voce CONLAPSA dicta ſunt, eadem transferas ad Græcas voces *ἀγάλματα*, & *συμπεσόντα*. Α'γάλματα eſſe ſtatuas maximæ molis, quæ theatra decerent, ſcimus ex Herodiano l.1. c.14. in fin. qui Neronis coloſſum *ἄγαλμα* dicit; cujus caput dempſit Commodus, ſuumque impoſuit: Τοῦ μεγίστου ἀγάλματος καλοσσιαίου, ὅπερ σέβουσι Ρ'ωμαῖοι, εἰκόνα φέρων Ηλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποταμὼν ἱδρύσατο ἑαυτοῦ· vide quæ multa a me dicta ſunt pag. 297. de vocabulo *ἄγαλμα*. Formula *pecunia ſua*, & Græce *ἐκ τῶν ἰδίων* etiam in ſaxis imperatorum ubique Theſauri Gruteriani legere eſt, atque ſuperius in epigraphe Dioſcurorum, ne a noſtratibus diſcedamus, inſculptam cernes pag. 470. ΥΠΟ ΣΕΙΣΜΩΝ apprime reſpondere *terræ motibus*, quod Latine in ſaxo eſt, vel tiro novit.

Demum nollem, ut quis acerbe reprehendat in noſtro ſaxo voces *terræ motibus*, tanquam quid exſuccum, & e trivio exceptum, cum elegantiores lapides habeant, *vi terræ motus*, ut in Allifano affabre ſcalpto ſaxo, quod nunc epiſtylium eſt templi S. Rochi, atque inverſo ſitu appoſitum, & ſæpius inducta calce fœdum; illud amicorum dulciſſimi, quos pag. 451. commemini, ad marmoris veritatem exſcripſere, nam in Grut. quædam inſunt maculæ: FABIVS MAXIMVS V. C. RECT. PROV. THERMAS HERCVLIS VI TERRÆ MOTVS EVERSAS RESTITVIT A FVNDAMENTIS. Addas ſilicem mancum, cui ſtatim medelam facies, exſtatque in pavimento templi S.Clementis a Teatina urbe duodenis lapidibus diſſiti:

civesSVLMONII · PRIMVS · ET FORTVNATVS
hoc pONDERARIVM PAGI · INTERPROMINI
viTERRAEMOTVS · DILAPSVM · A · SOLO
sVA · PEGVNIA · RESTITVERVNT

Magni pretii dicas hunc lapidem ob novum *ponderarii* vocabulum, qui locus fortaſſe erat *ponderatoribus* addictus, de quibus titulum habes in Cod. qui in Baſilic. eſt περὶ ζυγοστατῶν τοὺς εἰσκομίδας ὑποδεχομένων · vides hic etiam *vi terræ motus*, non vero jejunum, *terræ motu*. Quin eandem vivaciorem φράσιν legere eſt in id genus ſaxis, *ſpeleum vi ignis abſumptum*, Grut. pag. 34. *pontem reſtituit bellorum injuria, & amnis violentia diſruptum*, idem pag. 163. *pont. ſecul. vi ignis conſumptum reſtitui curaverunt*, Murat. *p.* 460. Non obliviſcendus ingens, ſat notum, & elegantiſſimis litteris ſcalptum marmor Puteolanum proxime portam, quæ Neapolim ducit, appoſitum: *Imp. Cæſari divi Hadriani fil. divi Trajani Parthici nepos divi Nervae pronepos T. Aelius Hadrianus Antoninus aug. pius pont. max. trib. pot.* II. *coſ.* II. *deſignat.* III. *p. p. opus pilarum vi maris conlapſum a divo patre ſuo promiſſum reſtituit*. Pacem haud deneges, poſtquam curatam dicendi rationem adverteris, ſcil. *vi maris*, ſi adnotem idipſum amaſſe Latinitatis jam ingraveſcentis viros; etenim Rex auguſtiſſimus Puteolis reperit gemellos grandiores ſilices iiſdem ver-

Digitized by Google

verbis conceptos, in queis ſcalptum eſt, *propter incurſionem ingruentium tempeſtatum*, non vero, quod fuiſſet ſat languidum, *propter ingruentes tempeſtates*; adſcribam ex duobus exemplar unum, præſertim cum det noſcere novum Campaniæ conſularem, nam præfectus Regii cimeliarchii lentum negotium eſt, ut reip. litteratorum communicet:

PRO FELICITATE DOMINORVM
AVGVSTORVMQVE NOSTRORVM
RIPAM A PARTE DEXTRA
MACELLI
IACTIS MOLIBVS
PROPTER INCVRSIONE sic
INGRVENTIVM PROCELLARVM
VALERIVS HERMONIVS
MAXIMVS V. C. CONS
CAMP. INCOAVIT ADQVE PERFECIT

Lapis alter eadem repetit, mutatis ſolummodo verbis A PARTE DEXTRA in A PARTE SINISTRA.

Oblitum me piget te non admonuiſſe laudatiſſimum ſuperiorem Puteolorum titulum obſcuritatis plenum eſſe ob ῥῆσιν PROMISSVM, quam tum ſexcenti Neap. ἀρχαιολόγοι, atque exteri pro *deſponſum*, *deſtinatum*, quare nihil adnotarunt, accepere; & videtur ita etiam intellexiſſe marmorum interpres fidiſſimus Mazochius in Amphit. pag. 77. dum ait: *Multa ſane, quæ affecta reliquerat Hadrianus, filius perfecit, teſtante Capitolino cap.* 4. Ad opera, *inquit*, Hadriani plurimum contulit: *id quod & ex Puteolano celebri marmore percipio ap. Grut. p.* 163. *num.* 9. inde adſcribit ipſum lapidem. Verum Puteolanarum *pilarum opus perfectum*, non vero *affectum* reliquerat Hadrianus, enim vero *promiſſum* quiſque novit valere juxta ac opus *procul* in mare *miſſum*, ita ut ſententia lapidis ſit, illas longi operis pilas poſtquam jactis Hadrianus in altum molibus perfeciſſet, vi ingruentium procellarum disjectas Antoninum reſtituiſſe: & ut taceam vocabula tironibus nota *barba*, & *arbor promiſſa*, teneo Paterculum l. 2. c. 81. ῥῆσιν adhibuiſſe ipſiſſimam de aquæ ductibus porro protractis: *Specioſumque per id tempus adjectum ſupplementum Campanæ coloniæ, ejus relicti erant publici, pro his longe uberiores reditus duodecies H-S in Creta inſula redditi, & aqua* (Julia) *PROMISSA, quæ hodieque ſingulare, & ſalubritatis inſtar, & amœnitatis ornamentum eſt*. Miratus ſum diu, cur vir ſummus ea de voce nil prorſus adnotaverit, licet fortaſſe viderit adeo importunam exputaſſe Heinſium, (conſule edit. Velleji Burmannianam pag. 441.) ut in *aqua permiſſa* contra omnium veterum membranarum conſenſionem immutarit: Heinſii aucto-

Digitized by Google

ritatem ægerrime patior traxiſſe Reimarum, vid. adnotat. in Dion. Caſſium p. 579. §. 50. non enim horum *ἐξοχωτάτων* virorum mentem ſubiit ea elegans *διάγνωσις* verbi *promitto*. Quænam ſit iſthæc *aqua Julia* Campana, ignotum eſt, Mazochius ibid. vult ſane eſſe, quam *Carminianam* vulgo vocitamus; verum Severus Carminianus hujus aquæ dominus, patricius Neapolitanus de me egregie meritus, cujus ſelectiſſimorum omne genus librorum copia utor, eam eſſe facile pernegat. Reimarus ibid. ratus eſt aquam Juliam illam fuiſſe, quam Romæ proximam curate deſcribit Frontinus pag. 37. edit. Poleni; ſed vir magnus minime advertit haud fieri potuiſſe, ut non unis montibus interjectis per tot regionum tractus Roma Capuam uſque promitteretur: intereſt ſane doctiſſimorum civium Campanorum ad veteris ſuæ reip. majeſtatem, quænam fuerit, undeque deducta aqua Julia perveſtigare. Vide indicem tom. I. Sallengr. voce *Aqua Julia*, ſed nil boni arripies. Ceterum de Puteolanis pilis, & Antonini ſaxo plurima ſervo in ejus regionis deſcriptione. Unde autem veluti parum auſugi, redeam, ratum ajo veteres in ſaxis pleniore eloquio ſcalpſiſſe *vi terræ motus*, *vi maris*, *vi ignis*, *amnis violentia*, *incurſione procellarum*, *&c.* quam nimis jejune *terræ motibus*, ut factum a Neapolitanis in Titi Aug. titulo; neque partium ſtudio me abripi credas, ſed quiſque mecum fateatur oportet nil mirum eſſe, ſi cives mei utpote Attici oris Latiarem *δεινότητα* & lepores non tam exquiſite calluerint; præſertim in epigrammatis concinnandis, quæ eloquentiſſimos quoſque deterrent: atque id etiam fortaſſe in cauſa fuit, ut quædam verba in eo titulo *ῥωμαϊςί* non dederint, quare multo brevius interpretamentum Latiare præ Græca epigraphe intuemur; & tantum abeſt, ut id famæ Neapolitanorum officiat, ut potiſſimum argumentum ſit eos omnino Græce ſtuduiſſe, & *κατὰ τὰς τῶν λόγων σπȣδὰς* Αʹςυκῶς, teſte Philoſtrato, floruiſſe.

v. Ne autem hunc perbrevem commentarium pro tuendo Titi Aug. lapidis additamento, quod a me adjectum eſt, longioribus obſervationibus interturbarem, ſervavi quaſdam veluti diatribas hic adſuendas, quæ tum ad id ſaxum, tum ad res patrias amplificandas apprime conferre viſæ ſunt; eas quidem animi ergo lectitare minime te pœnitebit; nanciſceris etenim, quantis ornamentorum generibus res Neapolitana olim floruerit, quæ ſparſim involuta, & veluti deperdita in antiquis magni nominis Scriptorum voluminibus proſtant; & ſcias me furenter iratum vivere tot doctiſſimis civibus meis, qui ea ſqualida, ſenta, atque annis obſita in lumen novum vitamque reſtituere poſthabent, res longe gentium perdite curantes, vel in longis ac ſtrigoſis meditationum ſubtilitatibus toti ſunt. Itaque primum in animo eſt quædam de voce *ſignum* ſive *ſtatua*, & *imago* ediſſerere: mox de vocabulo *σεισμός* · inde de theatro Herculanenſi: demum pauca de noſtro præclariſſimo athleta Melancomæ nomine, & perpauca de Titi Neapolim adventus anno; quæ omnia antehac minime adverſa reor. Porro Mazochius in ſatis præclara ſui amphiteatri titu-

Digitized by Google

tituli medela pro *ſigna* amavit potius *imagines;* quare repoſuit, IMAGINES ET COLVMNAS ADDI CVRAVIT, atque iſthæc pro ea voce tuenda illevit: *Selegi ex induſtria vocem* IMAGINES, *tamquam latius patentem, quam ſigna, aut ſtatuas: nam ſive corpus integrum exhibuerint, ſive tantum oris ſimulacrum humerorum tenus . . . ſive demum umbilicatæ . . . omnes recte dicentur imagines*. Sed ut verum fatear ῥῆτιν *imago* adhibitam fere ſemper me videre viſus ſum pro unis *pictis tabulis;* exemplorum ſtruem mixtim aggerere me animus jubet, qui in Titi marmore ſcalptum dixi τὸ *ſigna;* in quibus non paucis exemplis palam eſt *imagines* ſemper a *ſignis* diſtingui: Cic. pro Arch. cap. 12. *An ſtatuas, & imagines non animorum ſimulacra, ſed corporum ſtudioſe multi reliquerunt:* & ne quid dubitationis in eo ſit, ipſe Tullius, qui hic diſtinxit *ſtatuas ab imaginibus*, ſæpe alias, quid pro τῷ *imagines* intellexit, luculente aperuit, ſcil. *pictas tabulas:* in Verr. act. 1. c. 19. *Quas iſte tabulas illinc, quæ ſigna ſuſtulit?* & cap. 22. *Signa, & tabulas pictas ornamento urbi, foroque pop. Rom. fuiſſe;* atque eod. cap. *Non arbitror illum negaturum ſigna ſeſe plurima, tabulas pictas habere:* nec non cap. 23. *Plurima ſigna pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportaſſe te negare non potes;* igitur apud maximum oratorum peræque eſt *imago*, ac *picta tabella*. Et in Verrem lib. 4. cap. 55. etiam aperte adſerit *imagines* eſſe picturas. *Viginti & ſeptem præterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem æde ſuſtulit, in quibus erant imagines Siciliæ regum, tyrannorum, quæ non ſolum pictorum artificio delectabant, &c.* Demum Tullius ad famil. ep. 12. lib. 5. paullo ante fin. idipſum diſtinguit: *Unus Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, ſtatuaſque ſuperavit*.

Ceteros Scriptores licet minoris notæ adeamus, Suet. in Ner. cap. 24. *Unco trahi, abjicique in latrinas omnium ſtatuas, ac imagines imperavit*. Et in Calig. c. 33. *Vetuitque poſthac viventium cuiquam uſquam ſtatuam, aut imaginem, niſi conſulto ſe & auctore poni*. In Tiber. c. 13. *Imagines ejus, & ſtatuas Nemauſenſes ſubverterint*. Ne autem hæreas, an *imagines* audiant *pictæ tabulæ* in Tranquillo, id ipſemet definit in Jul. cap. 47. *Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſime comparaſſe:* & in Aug. c. 72. *Sua vero quamvis modica, non tam ſtatuarum, tabularumque pictarum ornatu, quam xyſtis, & nemoribus excoluit:* vides Suetonium, quas nunc dicit *imagines*, mox appellare *pictas tabulas*, uti etiam Velleſum lib. 1. cap. 14. *Maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas*. Eadem diſtinxit auctor dialogi de oratoribus, qui Tacito aſſuitur num. 8. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli, & ſtatuæ, &c.* num. vero 9. dicit picturam, quam num. 8. imaginem: *Si picturam aliquam, vel ſtatuam vidiſſet:* & num. XI. *Frequentiam ſalutationum concupiſco non magis, quam æra, & imagines*. Plinius etiam hiſt. 35. 8. *Cimon Cleoneus* (Pictor) *catagrapha invenit, hoc eſt obliquas imagines, & varie for-*

 mare

Digitized by Google

mare vultus, *reſpicientes*, *ſuſpicientes*, *deſpicienteſque*. Et clarius eod. lib.35. c.10. memorat *celeberrimos imaginum pictores*, *Sopylum*, *&* *Dionyſium*, *quorum tabulæ pinacothecas implent*. Sed nullusdum idipſum luculentius teſtatum reliquit, quam Plin. lib.4. ep.7. *Placuit* (Regulo) *lugere filium*, *luget*, *ut nemo : placuit ſtatuas ejus*, *&* *imagines quamplurimas facere*, *hoc omnibus officinis agit : illum coloribus*, *illum cera*, *illum ære*, *illum argento*, *illum auro*, *ebore*, *marmore effingit :* porro vocem *coloribus* videt vel tiro ad imagines, reliquas *cera*, *ære*, *argento*, *&c.* ad ſtatuas pertinere. Servavi demum ex antiquioribus Scriptoribus Plinii locum lib.4. ep.28. ex quo ſancitam a me *imaginum* notionem firmam ratamque tenes : *Herennius Severus . . . magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines . . . Cornelii Nepotis*, *&* *Titi Caſſii : petitque*, *ſi ſunt iſthic*, *ut eſſe credibile eſt*, *exſcribendas pingendaſque delegem . . . Peto autem*, *ut pictorem quam diligentiſſimum aſſumas;* binæ voces, *pingendas*, & *pictorem* ſiſtunt vocabulum *imagines* haud eſſe *ſtatuas*.

Quæ verba Plinii mihi cariſſima ſunt ; nam lucem afferunt Suetonio in Calig. c. 34. quæ miror doctos poſthabuiſſe interpretes : *Et Virgilii*, *&* *T. Livii ſcripta*, *&* *imagines paullum abfuit*, *quin ex omnibus bibliothecis amoveret*, *quorum alterum*, *ut nullius ingenii*, *minimæque doctrinæ : alterum*, *ut verboſum in hiſtoria*, *negligentemque carpebat ;* advertis ipſemet, uti in Plinio *imagines* pictæ tabulæ ſunt, ita in Suetonio, nam utrique *bibliothecas*, ubi appenderentur, meminere. Hic venia ſit genio meo indulgendi, atque ajo Caligulam, non quod aliquid vitii in divino Homero deprehenderit, ut in Marone, & Livio, cogitaſſe de ejus carminibus abolendis, ſed inſana τῦ Πλατωνίζειν vertigine abreptum verba illa protuliſſe : *Cur mihi non liceat*, *quod Platoni licuiſſet*, *qui eum e civitate*, *quam conſtituebat*, *ejecerit ?* Suet. ibid. Pro re nata ſcimus in libris olim fuiſſe depictum auctoris vultum, hinc Mart. 14. 186.

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem,
Ipſius vultus prima tabella gerit.

Quos quidem vultus, eo quod pictura fingebantur, reperi dictos eſſe *imagines* in Plin. lib.35. cap.2. *Imaginum amore flagraſſe quondam teſtes ſunt Atticus . . . &* *M. Varro benigniſſimo inventu inſertis voluminum ſuorum fœcunditati non nominibus tantum ſeptingentorum illuſtrium*, *ſed aliquo modo imaginibus*, *non paſſus intercidere figuras*, *&c.* quod inventum recitat Nepos in vita Attici cap.18. utiturque etiam voce *imaginibus*, hanc ob rem Franc. Junium inter catalogum pictorum pag.34. Atticum adcenſuiſſe miratus ſum. Hanc ipſam notionem & ingenium vocis *imaginis* ab legum σώματι etiam teneo, Paullus ſent. recept. lib.5. tit.6. edit. Schult. p.454. *Concedi ſolet*, *ut imagines*, *&* *ſtatuæ*, *quæ ornamento reip. ſunt futuræ*, *in publicum ponantur*. Præterea ab Papinia-

no

Digitized by Google

no *imaginem* eſſe *picturam* apertiſſime eruitur l. 12. D. de aur. arg. leg. *Si imaginem legatam heres deraſit, & tabulam ſolvit, poteſt dici actionem ex teſtamento durare; quia imaginis legatum, non tabulæ fuit.* In hac legis ſpecie aqua mihi hæret, nam ſi pictura eraſa eſt & evanuit, ſolvere pretium potius tenetur heres; quare ſi ῥῆμα *deraſit* valeat *corraſit*, integra erit ſententia, nam heres arte ab tabula imaginem detraxit; nam cum voces *tabula* & *imago* eſſent ἰσοδύναμοι, facile poterat deludi legatarius. Adeo certum eſt, ſi imago depereat, reddi nil poſſe, ut deridiculus ſalutetur Mummius a Paterculo lib. 1. cap. 13. *Mummius adeo rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros;* quæ verba Vellei quid locis huic legi afferre hand neges. Præterea l. 17. in fin. D. de uſur. *Si dies non ſit ab his, qui ſtatuas, vel imagines ponendas legaverunt, præfinitus, a præſide tempus ſtatuendum eſt, &c.* atque eadem verba repetita vides in l. 5. D. de oper. publ. Hinc lux eſt titulis legum σωμάτων. De ſtatuis, & imaginibus, quos adeas. Quoniam autem cum Mazochio de re lapidaria negotium eſt, etiam marmora binas haſce voces diſtinxere, Grut. *169.* 5. a queis ταυτολογία longe ablegandа:

IN·HONOREM·DOMVS·AVGVST
TI·CLAVDIVS·SECVNDVS·&c. SCHOLAM·CVM·STATVIS
ET·IMAGINIBVS·ORNAMENTISQVE·OMNIBVS
SVA·IMPENSA·FECIT

Hunc titulum Franc. Junius interpretatur ita, ut in ſchola eſſent Muſarum ſtatuæ, & Apollinis imago depicta p. 105. quod an bene factum, tutemet cogites; conqueror de tanto viro, qui in præclariſſimo opere ubique confundit miſcetque *ſtatuas*, & *imagines* reliquorum recentium Scriptorum more. Atque jam ſatis documentorum ab Latinis, ſi cui plus otii eſt, ſexcenta his ſimilia veſtiget, præſertim ex Plinii hiſtoria, qui ſæpe pictorum vitas, & facta narrat: vel ſi tibi magis ſedeat, evolve ἐξοχώτατον Franc. Junii opus de Pict. vet. potiſſimum in catal. pictor. in voce *Apelles*, ibique facile reperies ῥῆσιν *imago* in διαγνώσει unius picturæ. Scias me etiam quoſdam inferioris ævi ſacros, profanoſque Scriptores curſim conſuluiſſe, atque ὁμοθυμαδὸν vocem *imaginem* pro *tabula picta* accepiſſe reperi. Neque fugiam aliquando apud Scriptores vocem *imago* audire *ſtatua*, verum nunquam eam reperies ſolitariam, atque aliquo adjuncto deſertam: cumprimis præſto eſt mihi Tullius ad fam. ep. 12. lib. 5. *Spartiates ille Ageſilaus perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe.* Horat. ſerm. 8. lib. 1. v. 43. *Et imagine cerea largior arſerit ignis.* Vitruvius lib. 1. cap. 6. *Andronicus Cyrrheſtes collocavit Athenis turrim marmoream octogonon, & in ſingulis late-*

Digitized by Google

lateribus octogoni ſingulorum ventorum imagines exſculptas, &c. Tacitus in ult. cap. vitæ Agricolæ: *Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur;* uti etiam ante Tacitum dixerat Tullius in orat. paullo ante med. *Demoſthenis imaginem vidi ex ære*. Plin. 35. 3. *Pœni ex auro factitavere & clypeos, & imagines, ſecumque in caſtra tulere;* & Solinus cap. 55. *Indi reges . . . quaſcunque imagines, nonniſi ex bebeno babent:* ſed κυριωτέρως dicit Pauſan. lib. 1. pag. 65. 5. ἄγαλμα ἐξ ἐβένου. Oblitus eram Suet. cap. 2. in Vitell. *Narciſſi quoque, & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit*, & Plin. 37. 10. *Euſebos, lapis eſt, ex quo traditur imago Herculis in Tyri templo facta, &c.* ac lib. 36. cap. 24. *Hominis imaginem e gypſo, &c.* Et notum eſt illud Suet. Aug. 7. *Nactus puerilem imagunculam ejus æream, &c.* Capitolinus de Antonino ait H. A. p. 297. *Tantum autem bonoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario baberet*. Quod etiam ex pandecte habes l. 6. D. de auro, argento &c. *Heredem meum volo, fideique ejus committo, ut in patriam meam* (al. *patria mea*) *faciat porticum publicam, in qua poni volo imagines argenteas, item marmoreas*. Sed noſtra nunc intereſt, ut litteratos lapides conſulamus, nam res eſt cum Mazochio de epigrapharum ſtilo, Grut. 170. 4.

BEBRYX·AVG·L·DRVSIANVS·A·FAB·XANTHVS·CVR
IMAGINES·ARGENTEAS·DEORVM SEPTEM·POST
DEDICATIONEM·SCHOLAE &c.

Et pag. 175. 9. idipſum ſcalptum cernere eſt:

M·VVLPIVS
A·L·AEGLVS
PROC·MAVSOLAEI
IMAGINEM
CORINTEAM sic
TRAIANI·CAESARIS
COLLEGIVM·FAENARIOR
D·D

Poſt grandem exemplorum συλλογήν, piguit plura converrere, ne longius a Græcis voluminibus abſtraherer; ratum jam eſt fere numquam adhibitam ῥητῶν *imago* in *ſtatuæ* notione, niſi ſi aliquo προσθετῷ adjuvetur ac fulciatur. Et nunc certum te facio, cur oppido rara ſit vox *imagines* in lapidibus ſcriptis, contrario ſollemnis ſit ῥητῶς *ſigna* præſertim, vel *ſtatua*, aut *ſimulacrum*, nam illa γενικωτέρα eſt, vel potiſſimum picturam adnotat.

VI. Præ-

VI. Præterea haud negem aliam ineſſe voci *imago* notionem, quæ γενικωτάτη eſt, atque Græci vocant ἰδέαν, *ſpeciem* illam, quam de quavis re animo concipimus; ſane tunc & de ſcalptoribus, ac de pictoribus dici poteſt, eique συνωνύμως ſe habet vox *effigies*, Plin. l.3. ep.10. *Ut ſculptorem, ut pictorem, qui filii veſtri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet, ita me quoque formate, regite, qui non fragilem & caducam, vel immortalem, ut vos putatis, effigiem conor efficere;* vides hic τὸ *imaginem* accipi ἁπλῶς pro eo, quod nos Itali dicimus *ritratto*, ſive ipſa figura vel picta, vel ſcalpta, quæ prototypum exprimit. Idipſum tenes ab Plin. lib. 35. c. 10. *Fuit Arellius Romæ celeber paullo ante divum Auguſtum, niſi flagitio inſigni corrupiſſet artem . . . Deas pingens, ſed dilectarum imagine, &c.* non mirum igitur ſi in hoc ſignificatu idem hiſtoricus tribuat *imaginem* ſtatuariis, lib. ſiquidem 34. cap.7. de Lyſippo ait: *Alexandrum, amicorumque ejus imagines ſumma omnium ſimilitudine expreſſit:* cetera, in quibus non raro ipſa *imago* in γενικῇ ea διαγνώσει eſt, licet ipſe collegerim, ne tibi tædio ſim, lubens prætereo; vide Plin. l.34. c.8. & l.7. c.36. &c. Hinc facile noveris, qui ſint in Vegetio lib.2. de re milit. c.7. *imaginarii*, ſive *imaginiferi*, ideſt, ut ipſe ait, *qui imagines imperatorum portant*, Itali dicimus *i ritratti*. Præterea inter artificum numerum *imaginarios* eſſe dicas, *coloro, che fanno i ritratti*, ut videre eſt in Reineſ. cl.1. 2. ubi commendatur quidam *Sabinianus*, eo quod fuerat *fiſtularius, cantor, imaginarius, & arithmetra;* & haud ſcio, cur Reineſius immutet *imaginarius* in *machinarius*.

His igitur fortaſſe probe diſtinctis de triplici *imaginis* ſignificatu atque ingenio, ſi animus te jubet evolvere, quæ Sallengre tom. 1. diſſertatiuncula 9. de ſigno, & ſtatua pag.815. affert, omnia mixta perleges, ne dicam perturbata; ut prætercam reliquas ea de re diatribas, quas nuperi Scriptores coagmentarunt; ſi vero tibi ſedeat Lipſium conſulere lib.1.Elector.c.29. ubi plura de imaginibus, facile ab eo diſſenties, atque alio divertes; affatim tibi ſit, quo pacto *imagines* definiat: *Hæ imagines non aliud fuerunt, quam expreſſa corporis effigies, humerorum tenus*, (omnino contrarium docet Mazochius in Amphith. pag.71.) *non enim corporis totius erant, ſed capitis, atque vultus:* verum multa exempla, quæ profert, id minime præſtant. Demum te monitum opto me haud noviſſe, an politiſſimi viri, & Latiares lepores preſſius ſectantes de vocabulo *imagines* bene meriti ſint, quando cum *ſignis* confuderint, quod de non paucis dolendum eſt: ut pleroſque taceam, piget me Emmanuelem Martinum ea de libertate arceſſere, cui in Latini ſermonis ſanctitate fortaſſe parem, cultiorem exſpectes neminem: hic ſane in epiſt. 13. lib. 1. pag. 45. edit. Amſt. dum bona luce adſpergit Livii verba lib. 8. dec. 1. *Si is homo*, inquit Liv. *qui devotus eſt, moritur, probe factum videri: ni moritur, tum ſignum ſeptem pedes altum, aut majus in terram defodi, & piaculum hoſtia cædi:* ad hæc Martinus: *Si forte eveniſſet, uti miles ille,*

Digitized by Google

ille, *qui pro ſuorum clade averruncanda mortem oppetiiſſet*, *prælio ſupereſſet*, *tunc quidem ſignum*, *vel effigiem ejus*, *qui devotus fuerat*, *in terram defodiendam*, *& boſtiam cædendam*, *ut mortem ejus defoſſione imaginis*, *& boſtiæ cæde repræſentarent*, *atque umbratili illa*, *& ſimulata morte ſibi Deos propitiarent*; vides apud ſummum virum Martinum peræque eſſe *ſignum* ac *imaginem*, cum palam ſit Livium loqui de *ſtatua* militis deſodienda, non vero de *pictura*; cavendum igitur poſthac ab horum vocabulorum συγχύσει, nihilque nos urgeant tantorum virorum exempla.

Adeo veram adſtruas hanc *imaginis* notionem, & præſertim quando valet *pictura*, ut Græcis Latini id acceptum referre debeant, qui etiam binas has voces diſtinguunt εἰκὼν, & ἄγαλμα, atque hanc quidem pro *ſtatua*, illam vero pro *tabella picta* conſtanti tenore adhibitam advertes: & ſi aliquando εἰκὼν ſit *ſtatua*, προσθετὸν aliquod adjiciunt, veluti εἰκὼν χαλκῆ, Pauſan. pag. 460. Ἀνέστησαν αὐτῷ (Σόλωνι) χαλκῆν εἰκόνα ἐν τῇ ἀγορᾷ, Ælian. H.V. lib. 8. c. 16. Accipias rogaris alterum exemplar a Murator. claſſ. 6. 489. 1. qui hanc epigraphen corruptiſſimam adſcripſit, & ἀπροσδιονύσῳ Latinitate donavit:

ΙΗ ΠΡΟ ΤΡΟΦΙΜΩ ΠΙΣΤΝΟΙ
ΘΗΡΕΤΤΑΙ ΑΝΔΡΕΣ ΕΧΟΜΕΘΑ
ΑΝΘ ΩΝ ΧΑΛΚΕΙΗΝ ΤΗΝ Δ ΙΚΟΝΑ ΘΗΚΑΝΕΝ sic ΑΝΔΡΟC
ΕΓΓΤC ΘΗΡΕΩΝ sic ICTAMENOI CTOMATΩN

Io ante Trophimum obedientes
Venatores viri ſumus,
Propterea hanc hominis æneam ſtatuam poſuimus
Prope ora ferarum ſtantes.

Ita Muratorius; verum ipſe ni fallor, binos hexametros, ac pentametrum intueor, quare ſic confingas, erroribus exſcriptoris, & quæ aſſuta ſunt, deturbatis; (nam hic neque *Trophimum*, neque cetera, quæ vertit, intueor,) & quæ a loco ſuo mota, reſtitutis.

Πρὸ τροφίμῳ πίσυνοι ἄνδρες θηρευτ' ἐχόμεσθα,
Ἄνθ' ὧν χαλκείην τὴν εἰκόνα θήκαμεν ἄνδρες
Ἔγγυς θηρείων ἱστάμενοι στομάτων.

Hero freti nos venatores viri longe proceſſimus,
Propterea æream hanc ſtatuam ereximus viri,
Parum abfuit, *quin devoraremur ab ferinis faucibus*.

Vides principem verſum dumtaxat quid obſcuritatis ingerere, quæ expellitur, ſi conjungas προειχόμεθα, poet. προεχόμεθα, *longe proceſſimus*, quod valet *audaciſſimi*. Τροφίμῳ πίσυνοι, ab Homero ſumptum Od. 6. v. 139.

Πα-

Πατρί τ' ἐμῷ πίσυνος, καὶ ἐμοῖσι κασιγνήτοισι. Magnus D'Orvillius de hac φράσει docta quædam adnotat in Charitonem p.390. ſed Homeri oblitus eſt, imo & hujus epigrammatis Muratoriani, quod ſane vir ἑλληνικώτατος præ me aptius refeciſſet. Numen, cui ſtatuam erexere hi venatores, Dianam reor. Ceterum mea nunc refert, ut animadvertas, vocem εἰκών, cum *ſtatua* eſt, adjuncto aliquo fulciendam, ut tenes ex hoc ſaxo, χαλκείην εἰκόνα.

Præterea reperi etiam Græcos Scriptores bina vocabula εἰκόνες, & ἀγάλματα, *imagines*, & *ſtatuæ* uſque diſtinxiſſe, ita ut ſexcentena exempla ab iis collegerim, quæ cum plurimum membranarum occuparent, & fortaſſe tædio legentibus futura, poſthabere potius exputavi; mixtim recenſendi iidem ſunt, quos, ſi tibi tempus ſuppetat, potis es conſulere: tenes Luciani *imagines*, εἰκόνες, ubi, utpote ſemper de *pictura* ei ſermo eſt, nunquam vides ἄγαλμα· & jure Philoſtratus picturas, quas Neapoli tamdiu demiratus eſt, inſcripſit εἰκόνες· & adeas Ariſtotelem ajentem de generat. animal. l.2. c.6. Ἐπὶ τῶν εἰκόνων χρῶμα γραμμῆς κινητικώτερον, *in picturis color magis movet ſpectatores, quam nuda delineamenta*. Nec obliviſcendus Herodianus, qui lib. 4. c.8. opportune diſtinguit ἀνδριάντας, & εἰκόνας. Videſis Franciſc. Junium in catal. mechanicor. pictor. &c. in nominibus *Apelles*, & *Phidias*, ut alios pictores, & ſcalptores taceam, ubi ſanequam multos Scriptorum locos affert, & de Apelle unæ voces *imagines* & εἰκόνες, de Phidia *ſtatuæ*, & ἀγάλματα recenſentur. Max. Tyrius in diſſert.8.p.80. edit. Marklandi, an *Diis dedicandæ ſint ſtatuæ*, ſemper utitur voce ἄγαλμα· imo ſemel in omni hoc λόγῳ meminit εἰκόνας, quam vocem, ut ſententia conſtet, *imagines*, ſive *picturas* interpreteris oportet: Οὐδὲν γὰρ δεῖ τοῖς Θεοῖς ἀγαλμάτων, οὐδὲ ἱδρυμάτων μᾶλλον, ἢ εἰκόνων ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, quæ verba confuſiſſime verſa etiam in eleganti, & elaboratiſſima Marklandi ἐκδόσει intueor: *imaginibus autem, & ſtatuis non magnopere Diis opus* (eſſe quis) *putabit, cum iis non magis egere videantur, quam ſtatua viri boni*; vides τὸ ἀγαλμάτων converſum, *imaginibus*, contra εἰκόνων, *ſtatua*, quod etiam in Heinſii interpretamento intueor: refundas igitur brevius & concinnius: *Nihilo magis Dii ſtatuis ac ſignis, quam pictis tabulis indigent viri honeſtiſſimi*; atque hanc non contemnendam ἀβλεψίαν in interpretibus ſæpe offendere eſt. Præterea legas cap.37. lib.14. Æliani inſcriptum, περὶ ἀγαλμάτων, καὶ εἰκόνων, *de ſtatuis*, & *picturis*, ut reliquos hujus Scriptoris locos prætercam, quos vel ab indicibus colliges. Neque oblitus ſum Eccleſiaſticos viros conſulere, eoſque reperi definientes εἰκόνας picturas eſſe, Chryſoſt. hom. in pſalm.50. Οἱ ζωγράφοι ... γράφουσι τὰς εἰκόνας ὁρωμένων σωμάτων, κ. τ. λ. Et Greg. Nyſſen. Orat. περὶ Θεότητος Filii, & Sp. Sanct. poſt prolixam, & ſatis παθετικὴν immolandi Iſaaci deſcriptionem addit: Εἶδον πολλάκις ἐπὶ γραφῆς εἰκόνα τοῦ πάθους, *vidi ſæpe hujus rei miſerandæ imaginem in pictura*. Demum ne te tandiu vexem, πλείστων ἀντάξιος ἄλλων ſit Pollux, qui omnino idipſum lib. 7. περὶ ζωγράφων firmat num. 127. Καὶ μὲν εἰκόνα εἴ-

ποις ἂν τὸ πρᾶγμα, καὶ εἰκαστίαν, καὶ εἰκὸς, καὶ εἴκασμα· καὶ τὸν ἄνδρα, εἰκαστικόν· καὶ τὸ ἐπίῤῥημα, εἰκαστικῶς· καὶ τὸ ῥῆμα, εἰκάσαι· vides hunc onomaſticographum omnia, quæ ad picturam attinent, ab uno θήματι, nempe εἴκω, deducere.

Scio te non latere Pauſaniam ubique ſui voluminis, imo fere in unaquaque pagella ἀγαλμάτων, atque εἰκόνων meminiſſe, eademque ſollemni diſtinctione uſum eſſe; ſi vero non ſemel legas ipſum ſtatuariis vocem εἰκόνα addixiſſe vid. p.442. 476. 481. 489. &c. ea ſane accipienda eſt generatim de *figura*, ut de ῥήσει *imago* paullo ſuperne dictum eſt, ſcil. *il ritratto:* ſicuti etiam Plutarchus part. 1. de Alexan. fortuna ait: Μόνον Ἀλέξανδρος ἐκέλευσε Λύσιππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν, *unum Lyſippum* (ſtatuarium) *Alexander juſſit figuras ſui ipſius elaborare*; neque dubites, quin hic εἰκὼν ſit vox γενική, nam mox dicit ipſe Plutarchus μορφὴ Alexandri, nempe *forma*, quæ ῥῆσις Latiaris eſt ab hac Græca educta, ut notum eſt, per μετάθεσιν. Atque Anthologiæ præſertim liber quartus floſculis epigrammatum exuberat, ubi εἰκὼν ſtatuariis tribuitur, & langueret ſententia, niſi *figuram*, ſive μορφὴν, εἴδωλον interpreteris, ut cap. 6. de Jove Olympico, admirando Phidiæ opere:

Ἢ Θεὸς ἦλθ' ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δείξων,
Φειδία, ἢ σύ γ' ἔβης τὸν Θεὸν ὀψόμενος.

Sane Jupiter non oſtendit ipſi Phidiæ ſtatuam, ſed εἰκόνα, εἶδος, *ſui ipſius formam*, quam ſculperet. Hinc merito Eccleſiaſtici Scriptores hoſtes ſacrarum imaginum εἰκονοκλάστας vocitarunt, ut γενικωτέρῳ vocabulo uterentur, vide Suicerum in voce εἰκών. Peccarem ſi ſeptuaginta interpretum, & novi Teſtamenti, præſertim Apocalypſeos ſacram auctoritatem pro δεινότητι vocis εἰκὼν non meminiſſem, cum utrorumque verba mecum conſpirent, vide ſanct. bibliorum indices, & Paſoris lexicon N. T. quam vocem ſexcenties repetitam ſi ipſe excuterem, porro ſpatiarer. Scio mihi iſthæc de dictione εἰκὼν ediſſerenti pauca quædam opponi poſſe, ſed non tanti exputo, nam ab obſoleti ſæculi Scriptoribus eruuntur, uti Heſychio, & Suida; & Juliano imp. appellanti Jovis Olympici ſtatuam εἰκόνα nullus parſerit, vid. ejus epiſt. 8. Demum in mentem revoces, eo quod Homerus picturas non meminit, fruſtra vocabulum εἰκὼν in ejus poematis fore ut veſtiges: ἄγαλμα autem longe diverſum ab *ſtatua* in tanto vate denotare oſtenſum a me eſt p. 297. Quoniam autem multa mihi dicta ſunt de voce εἰκὼν, quatenus *imago* audit, non erit importunum, ſi etymon addam, quod ἀμέσως trahitur ab voce Hebr. חיך, *ſicut*, iiſdem conſtante elementis Græcanice emollito; & ſane vel ſtatua, vel pictura πρωτότυπον imitatur, illudque nobis ſimillimum præſentat.

Cogitaram etiam Hebræa vocabula, quæ *ſtatuæ*, & *imagini* reſpondent, eodem pacto ſecernere, ac a me factum vides laborioſe de Græcis, Latiniſque dictionibus, ſed eam reperi varietatem & ἀκαταστασίαν, ut ab eo ſtudio impigre cœpto conquieſcere mihi ſatius duxi; quare rogatum volo

quem-

Digitized by Google

quempiam præ me *ἑβραϊςὶ* doctiorem, ut diſtinguat firmetque certam *διάγνωσιν* vocum צלם, משכית, מון, מורה, מצבה, תבנית, &c. Reor autem *ῥῆσιν* צלם propius accedere ad notionem *imaginis* & *εἰκόνος*, quam nuper dedimus, eamque vides ſæpius in primo Gen. capite, & paſſim etiam pro *idolo* adhibetur, quod etiam *γενικὸν* nomen eſt; reliquas ſiſtere animi mentem deſpondi. Igitur ex longiore hac, & fortaſſe tædii plena exemplorum aggeſtione facile unuſquiſque eliciet, cum *imago*, & *εἰκὼν* ſint vel *pictura*, vel *εἶδος* & *ſpecies*, quam animo concipimus, pro *ſtatua* ſive *ſigno* neminem unum uſurpaturum; ſi autem Mazochius in mutilo Amphiteatri Camp. titulo IMAGINES inſeruit, pro SIGNA, eruditionis ſuæ gazas profe-ret, quo eam vocem ratam habeat ac tutetur. Sed aridiora iſthæc tandem mittamus.

VII. Age perpendamus, an recte dictum ſit ΒΕΣΒΙΟΥ ΣΕΙΣΜΟΙ, & nollem, ut Mazochii viri magni nominis auctoritas Neapolitanis circa *λόγυ σπυδὴν* caſtiſſimis officiat; plurimum mihi dubii eſt, quin ſemel ſaltem vocem *σεισμός* cum patrio caſu conjunctam reperias; quare, ſi id verum eſſe multis præſtem, ſane veteres cives meos marmori *ὑπὸ Βεσβίυ σεισμῶν* ſcalpſiſſe quiſque mecum inficiaturus eſt. Scio te jam turbari, quod longiorem litem ſerere aggrediar de re grammatica; verum ea intermixta reperies, quæ animum tuum faſtidientis fortaſſe levabunt. Itaque dum *φράσιν* hanc *Βεσβίυ σεισμοὶ*, qua uſus eſt Mazochius, excuterem, in animum venit Homerum vocem *σεισμός* nunquam adhibuiſſe in æternis Iliade, & Odyſſea: idipſum dicas de ſocio Heſiodo, licet uterque verbum *σείειν* uſi ſint; a qua poetarum antiquiſſima biga ſi diſceſſeris, quotquot ſecuti ſunt Scriptores vel ſolutæ, vel ligatæ orationis, dictionem *σεισμός* ad tædium uſurparunt.

Juratiſſimus fateor bonam melioris Græcanici ævi Scriptorum partem me evolviſſe, & reperiſſe omnes ſacramento dato nunquam voci *σεισμός* patrium caſum adligaſſe; cum terræ motum eos dicere oportuiſſet, ſatis ſibi ſuperque fuerat unicum vocabulum *σεισμός*, idque religioſiſſime ſervatum, peræque ac ſi hanc *ῥῆσιν* uni terræ motus notioni dedicatam dicas; quare contra concordem veterum auctoritatem nil ipſe auderem poſt vocem *σεισμός* vel *Βεσβίυ*, vel aliud quodvis nomen apponere. Quoniam autem contra Mazochium, qui Græca exquiſitiſſime novit, agendum eſt, agmen exemplorum deligendum mihi fuit; Herodotus in Melpom. paullo poſt initium: *Σεισμὸς γένηται ἤν τε θέρεος, ἤν τε χειμῶνος ἐν τῇ Σκυθικῇ, ὡς τέρας θωϋμάζεται*. Thucyd. lib. 1. num. 128. pag. 82. *Δι' ὃ δὴ καὶ σφίσιν αὐτοῖς* (*Λακεδαμόνιοι*) *νομίζυσι τὸν μέγαν σεισμὸν γένεσθαι ἐν Σπάρτῃ*. Eod. lib. n. 23. pag. 19. *Οὐκ ἄπιςα κατέςη σεισμῶν δὲ πέρι, οἱ ἐπὶ πλεῖςον ἅμα μέρος γῆς καὶ ἰσχυρότατοι οἱ αὐτοὶ ἐπέσχον*, *non incredibilia evaſerunt de terræ motibus, qui ſimul maximam terræ partem vehementiſſimi & ipſi occuparunt*. Et lib. 3. num. 89. p. 222. *Σεισμῶν γενομένων πολλῶν*· ac paucis poſt verbis, *Σεισμῶν κατεχόντων Εὐβοίας*. Lib. 5. num. 45. p. 345. *Σεισμῦ δὲ γενόμενυ*,

γομένου, πρὶν τι ἐπικυρωθῆναι ἡ ἐκκλησία αὐτὴ ἀνεβλήθη. Eod. lib. n.50. p.349. Ἀλλὰ σεισμοῦ γενομένου, διελύθησαν ἕκαστοι ἐπ' οἴκου. Lib.8. n.6. p.510. Ἔπειτα, σεισμοῦ γενομένου, ἀντὶ τοῦ Μελαγκρίδου Χαλκιδέα ἔπεμπον. Lib.1. n.101. p.66. Διεκωλύθησαν δὲ ὑπὸ τοῦ γενομένου σεισμοῦ. His bene multis Thucydeis exemplis addam Ariſtophanem in Ἐκκλησιαζ. v. 786. p.461.

. . . Σεισμὸς εἰ γένειτο πολλάκις
Ἢ πῦρ ἀπότροπον, ἢ διάξειεν γαλῆ,
. . . *Si terræ motus creber fiat,*
Aut ignis aliquis mali ominis emicet, aut muſtela tranſiliat.

Si etiam a me optes aliquem divini Platonis locum, teneo circa init. Timæi to. 2. pag. 145. edit. Aldi, ubi narrat famoſam, immanemque Atlantidem inſulam ἀφανισθῆναι σεισμῶν ἐξαισίων, καὶ κατακλυσμῶν γενομένων. Te ſane obtunderem, ſi hic proferrem, quoties magnus Ariſtoteles vocis σεισμός meminit in Meteorolog. lib.2. cap.7. & 9. p.565. &c. & multas ceras implerem, quem ſi conſulendi tibi libido ſit, eam vocem ſolitariam ubique, & ſine ullo caſu patrio offendes.

Si autem vel circa, vel poſt Auguſti tempora Scriptores Græcanicos verſes, eodem pacto voce σεισμός abuſos reperies. Porro meſſem exemplorum ſuggerit Strabo pag. 100. Γενομένου σεισμοῦ, καταποθῆναι πόλιν· & pag.103. Ῥαγάδας . . . ὀνομάσθαί φησιν ὑπὸ σεισμῶν, ῥαγείσης τῆς περὶ τὰς Κασπίας πύλας γῆς. pag. 277. Ἀριστοτέλης μὲν οὖν φησιν ὑπὸ σεισμῶν τῶν καλουμένων βραστῶν, κ.τ.λ. pag.596. Συμπεσόντα γὰρ τὰ περὶ Φενεὸν βέρεθρα ὑπὸ σεισμοῦ. idipſum aſſerit pag. 783. Τοὔνομα ταῖς Ῥαγαῖς ἀπὸ τῶν γενομένων σεισμῶν. pag. 869. Μαγνησίαν κατέβαλον σεισμοί· idque repetit de Magneſia pag. 923. Ταυτὴν δ' ἐκάκωσαν οἱ νεωστὶ γενόμενοι σεισμοί. Haud taceam terræ motum Pithecuſarum noſtrarum pag. 380. Τὸν Ἐπωμέα λόφον ἐν μέσῃ τῇ νήσῳ τιναγέντα ὑπὸ σεισμῶν ἀναβαλεῖν πῦρ· quæ verba recoquit, ut moris eſt, auctor Chreſtomathiæ pag. 1230. Miratus ſum Dionis Caſſii ἀκρίβειαν, qui quotquot Europam, Aſiamque afflixere terræ motus, fuerunt autem bene multi, commeminiſſe haud poſthabuit, atque in tot exemplis, quem Latini binis vocibus appellant, *terræ motum*, Dio priva dictione σεισμός dicit; ſatis mihi ſit ordine ſuo pagellas, & verſum ex nitidiſſima Reimari editione indicare, quas tuum erit, ſi lubuerit, evolvere: 118. 95 -- 272. 55 -- 321. 9 -- 431. 54 -- 753. 71 -- 761. 37 -- 793. 27 -- 859. 18 -- 1138. 20. hunc Caſſii locum vellem, ut perlegas, nam præterquamquod non ſemel vocem ſolitariam σεισμός inviſes, & verbum σείειν, miram quoque Græcanici eloquii vim miraberis: & hiſtoricus, quo lectores alliceret, imitatus Thucydideæ peſtis ὑποτύπωσιν, poſt homines natos teterrimum, ac infandum terræ motum cultiori vivacique ſtilo deſcribit, qui ſub Trajano principe Antiochiam omnem evertit ac peſſumdedit. Pag. 1095. 10. de terræ motibus, qui Campaniam vexarunt ante Veſuvinum incendium ſub Tito, loquitur, pag. 1196. 90. & 1332. 22.

Evolvi etiam per otium Ælianum, qui cum ceteris ſuæ, & antiquio-

ris

Digitized by Google

ris ætatis Scriptoribus abſolute utentibus ea, qua de agimus dictione, conſpirat: lib.4. c.17. p.367. refertque ſententiam Pythagoræ de terræ motus origine: Σεισμὸν ἐγενεαλόγει ὐδὲν ἄλλο εἶναι, ἢ σύνοδον τῶν τεθνεώτων, *terræmotus nullam aliam originem eſſe, dicebat quam cœtum mortuorum*, vide Perizonii adnotat. Et lib.6. c.7. p.454. ait, σεισμὸς τὴν πόλιν (Σπάρτην) κατέσεισεν· adiſis adnot. ubi quatuor alios Scriptores invenies, Polyenum, Diod. Siculum, Suidam, & Scholiaſten Ariſtophanis, qui hanc Spartæ excidionem commemorant, & uno vocabulo σεισμός utuntur. Vide etiam Ælian. lib.6. c.9. p.457. Non obliviſcendus Jamblichus de vit. Pyth. pag.114. Amſtel. 1707. Προῤῥήσεις τε σεισμῶν ἀπαράβατοι, *terræ motuum certæ divinationes*. Vide etiam Philoſtratum in vita Apoll. 6. 38. p.275. & ex lexicis tenes exempla Xenophontis. Pauſaniæ mihi cariſſimum volumen minime obliviſcendum; in eo vocem σεισμός ubique intueri eſt, nullo patrio caſu adjecto; optarem, ut ſat multis locis poſthabitis omne cap. 24. lib.7. pag. 584. lectites, ubi Pauſanias omnium deterrimum excidium urbis Helices uberi ſtilo deſcribit, & vox σεισμός & σείειν ſexcenties repetitur: ejus narrationis initium eſt: Σεισμὸς ἐς τὴν χώραν σφίσιν αὐτίκα κατασκήψας, κ. τ. λ. Verum me plures libros evolvere jam pertædet, ſi tibi plus otii ſupereſt, reliquos ſcruteris. Quæ autem edico de hac voce, adeo vera exputa, ut etiam ſacros & Chriſtianos Scriptores eodem pacto uſos legas, atque, quo vetus inſtrumentum taceam, in quo ter ἁπλῶς dictio σεισμός illita eſt, nim. Eſther. 11. 5. Amos 1. 1. & Zach. 14. 5. pluries in novo fœdere præſertim in Apocal. reperire eſt; ſat tibi ſit hujus libri cap.11. ubi in eod. cap. verſ.13. bis Joannes eam vocem adhibuit: Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ ἐγένετο σεισμὸς μέγας, καὶ τὸ δέκατον τῆς πόλεως ἔπεσε, καὶ ἀπεκτάνθησαν ἐν τῷ σεισμῷ ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτά. Euſebius triplices σεισμὺς enumerat, quem tutemet conſulas, per Aſiam, an. Chr. 106. per Galatiam an. 111. Antiochiæ παρόντος Τραϊανῦ an. 114. & ut ſexcentenos prætéream, adiſis Sozomenum, ſed lib. oblitus ſum, & ob ſcribendi celeritatem piguit iterum veſtigare cap. 2. ubi legitur γενέσια σεισμῦ, *natalis terræ motus*. Cyrillus Hier. cathec. 14. p.211. Pariſ. 1720. Ἀγαλλιᾶσθε μὲν διὰ τὸν ἀναστάντα Κύριον· ἐν τρόμῳ δὲ διὰ σεισμὸν, καὶ τὸν ἄγγελον τὸν ὡς ἀστραπὴν φανέντα.

In hoc ſane tot exemplorum aggeſtu vides apertiſſime Scriptores tum ſupremi ſubſellii, tum inferioris dictionem σεισμός adhibuiſſe ſine ullo patrii caſus additamento, cum una ſatis ſit pro bina voce Latiari *terræ motus*; hinc mecum Romanorum linguæ pauperiem incuſes, qui ῥήσει carent, qua hunc tremorem appellitent. Nollem autem, ut mihi ſuccenſeas, qui tantam vim Scriptorum, quod fateor non arduum fuiſſe, collegerim, etenim contra potentiſſimum hoſtem Mazochium, & tantæ auctoritatis virum pugnandum mihi fuit, quare eiſdem veluti maximis copiis indigebam: qui quidem ſumma arte in antiquo & elegantiæ pleno ſaxo noſtrate poſt ΣΕΙΣΜΩΝ appoſuit τὸ ΒΕΣΒΙΟΥ, ita ut ſit ſententia ſecundum ingeni-

Digitized by Google

ingenitam notionem vocis σεισμός, MOTIBUS TERRAE VESBI, quod cogitaſſe, & ſcalpſiſſe Neapolitanos quis in animum inducet ſuum? Pervelim autem, ut haud credat quis me curſim Thucydidem evolviſſe, cum objicere poſſet hunc hiſtoricum dixiſſe πολλοὶ σεισμοὶ τῆς γῆς lib. 3. p.221. num. 85. cum etiam quis ſtatim reponeret illud τῆς γῆς poſt σεισμοὶ eſſe tanquam pannum purpuræ inſutum ab indoctis librariis ævi inſipientis, atque ad Latinitatem jam deſciſcentis; cum ſupra bene multos Thucydidis locos exſcripſerim, in queis ſolitariam ſemper vides vocem σεισμός· & quis ferat in hoc Ἀττικωτάτῳ, & omnium caſtiſſimo Scriptore, quod ne Helleniſtæ quidem, & barbari unquam illevere? Quare mirandum ſiquidem eſt tot Thucydidis doctos interpretes inprimiſque Dukerum voculas importuniſſimas τῆς γῆς non ſtatim eraſiſſe, vel ſaltem quid adnotaſſe. Neque me Pollux ſollicitat, qui dum lib. 5. cap. 10. num. 61. virtutes canum enumerat, inter reliquas optat τῶν ὤτων στάσιν, & τὸν σεισμὸν οὐρᾶς, *aurium erectionem*, & *vibrationem caudæ*, nam hic vox σεισμός nimis licenter adhibetur, nec ſermo Polluci eſt de *terræ motu*; & κυρίωτέρως paullo ante laudans canum elegantium, vocat λιγυρᾶς. Turbavit etiam me eruditiſs. Facciolatus in lexico, qui vocabulo *terræ motus* appoſuit σεισμὸς γῆς, quare ab optimo lexico inducenda eſt vocula γῆς ſat importuna.

Et quidem, ut rem potius firmem, gratulor auctorem indicis verborum Æliani mecum jurare, atque admonere, σεισμός *abſolute*, *terræ motus*. Quin & verbum ipſum σείειν ita etiam ſæpe uſurpatur, Thucyd. lib. 4. p.268. v.21. τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔσεισε, *ejuſdem menſis initio terræ motus exſtitit*. Et Dio. pag. 1139. v. 66. Ἐπὶ πολλὰς μὲν ἡμέρας, καὶ νύκτας σείοντος τοῦ Θεοῦ, *terræ motus divinitus facto per plures dies, nocteſque*. Adde nomen adjunctivum εὔσειστος, *terræ motibus obnoxius*, abſolute etiam & belle adhiberi a Strabone lib. 12. p. 867. Σχεδὸν δέ τοι εὔσειστος ἐστὶ, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μαίανδρον χώρα. Et lib. 13. pag. 935. Εὔσειστος δὲ καὶ οὗτος ἐστὶν ὁ τόπος. Scias præter vocabulum σεισμός, quod valet *ſuetum terræ motus genus*, eſſe & aliud, dictum etiam unica ῥήσει, nimirum βρασμός, cujus & meminit Ariſtoteles loc. laud. & Dio Caſſius pag. 1139. v. 3. eſtque cum terra *ſuccutitur*, & *ſubſultat*: Ἔπειτα βρασμὸς ἐπ' αὐτῷ βιαιότατος ἐπεγίνετο, καὶ ἄνω μὲν ἡ γῆ πᾶσα ἀνεβάλλετο, ἄνω δὲ καὶ τὰ οἰκοδομήματα ἐνεπήδα, *inde ſecuta ſucuſſio violentiſſima*, (nempe poſt σεισμόν,) *qua partim tellus ipſa tota ſurſum jactabatur, partim ædificia ſubſultabant*. Advertendum quoque adeo exacte & diſtincte res deſignaſſe Græcos, ut præter peculiaria terræ motus nomina, etiam γενικὰ formaſſe, quæ τὰ πάθη τῆς γῆς appellarunt, longe κυρίως, quam Latini, qui privo, exſuccoque vocabulo ſpecies omnes dixere, ſcil. *terræ motus*, Strabo lib. 12. p. 868. Διατελοῦσι δὲ προσέχοντες τῆς γῆς τοῖς πάθεσι, καὶ ἀρχιτεκτονοῦντες πρὸς αὐτήν, *aſſiduo intenti* (Philadelphii) *ſunt terræ πάθεσι, contraque moliuntur*.

De-

VIII. Demum facile a me impetrare quis valeat, ut patefaciam jure Scriptores hos omnes Homeri filios vocem σεισμός notioni *motus terræ* dedicaſſe, nam eam ab hoc divino parente didicerant, qui omnium poſt homines natos teterrimam telluris, mariſque univerſi ſurſum deorſum commotionem confingens verbo σείεσθαι Iliadis υ. verſum 56. honeſtavit: venia ſit iſthæc carmina apponendi, ut poetæ ὑπερυψήλου ſententiæ granditate, & majeſtate verborum te exhilarem, qui mea ſcribentis rure inficetiora fers nimium patienter:

Δεινὸν δ' ἐβρόντησε πατὴρ ἀνδρῶν τε, Θεῶν τε
Ὑψόθεν· αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε
Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.
Πάντες δ' ΕΣΣΕΙΟΝΤΟ πόδες πολυπιδάκου Ἴδης,
Καὶ κορυφαὶ, Τρώων τε πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν.
Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς,
Δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε· μή οἱ ὕπερθε
Γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Οἰκία δὲ θνητοῖσι, καὶ ἀθανάτοισι φανείη
Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι Θεοί περ·
Τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο Θεῶν ἔριδι ξυνιόντων.

Piget appendere commune, & pingue interpretamentum, quis enim Latine eloquentiſſimus iſthæc beata verba, ac numeroſa, nihilque ab tantarum rerum ac elementorum tumultui aptiſſima exæquet?

Horrendum intonuit pater hominumque, Deumque
Ex alto; at ſubtus Neptunus concuſſit
Terram immenſam, montiumque excelſos vertices.
Omnes igitur concutiebantur radices riguæ-fontibus Idæ,
Et culmina, Trojanorumque urbs, & naves Achivorum.
Timuit etiam ſubtus rex inferorum Pluto,
Territuſque ſolio exſiliit, & exclamavit veritus, ne ei deſuper
Terram reſcinderet Neptunus, quaſſator terræ,
Domuſque mortalibus, & immortalibus panderentur
Viſu-terribiles, ſitu-ſentæ, quas horrent Dii ipſi:
Tantus utique ſonitus exoritur, cum Dii certamine congrediuntur.

Tentavit porro Maro, cui hæc Homerica terræ motus ὑποτύπωσις tantum cordi fuit, Latiaribus eam carminibus reddere, *proximus huic*, *longo ſed proximus intervallo inſequitur*; tutemet rem penſites, Æn. 8.v.241.

Non ſecus ac, ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, Diis inviſa; ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine manes.

Verum ad id, quod mea intereſt, redeundum, vides Homerum verbum σείεσθαι, unde exſilit σεισμός, in διαγνῶται *terræ motus* adhibuiſſe, quare tanti vatis poſteri nil degeneres eidem notioni juratiſſimi addixerunt.

Ne-

Neque exputent, qui divinum vatem lectitant ope ſcholiorum, me latere in binis, aut ternis locis ineſſe, præter τὸ σείεσθαι, verba, quæ ad quandam terræ motus ſpeciem detorqueri poſſint, veluti Il. α. v. 528. Κρονίων . . . μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον· & Il. θ. v. 199. Σείσατο δ' εἰνὶ θρόνῳ, ἐλέλιξε δὲ μακρὸν Ὄλυμπον, ubi ſcholiaſtes ἐλέλιξεν interpretatur ἐκίνησεν, ἔσεισε, & quotquot Latine verterunt, inſtar ſervorum reddidere, *tremefecit*: Fateor autem me hac in tenebricoſa voce hærere adhuc; id unum ſcio, & qui vel parum Græce norunt, mecum conſpirent oportet, longe ῥῆμα hoc ἐλελίσσειν abeſſe a σείειν, illud enim eſt *volvere*, hoc autem *concutere*; idque habeo ab Homero ipſo, qui dum non ſemel canit de navi fulmine percuſſa, ac inde ſuſque deque verſa, utitur verbo ἐλελίσσεσθαι, Od. ξ. v.305.

Ζεὺς δ' ἄμυδις βρόντησε, καὶ ἔμβαλε νηῒ κεραυνόν·
Ἡ δ' ἐλελίχθη πᾶσα, Διὸς πληγεῖσα κεραυνῷ.

Atque hic omnes interpretantur, *navis tota converſa eſt*; uti etiam Od. ε. v. 313. cecinerat, μέγα κῦμα . . . περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν, *ingens fluctus invertit prorſus ratem*: imo in Il. ρ. 278. μάλα γὰρ σφεας (Τρῶας) ὦκ' ἐλέλιξεν Αἴας, ipſe ſcholiaſtes reponit συνείλησε, συνέτρεψεν, ſcil. *convertit*; non curandus H. Stephanus, qui hic refudit, *tremefecit*: neque auctor Chreſtomath. ex Strab. lib. 8. p. 1260. qui etiam hoc divini vatis ῥῆμα ita accepit, dum inquit Jovis poteſtatem extollens: Πολὺ γὰρ ὑπερβάλλει τῷ νεύματι μόνῳ σείειν, κ. τ. λ. *nam multo majus eſt ſolo nutu* (Olympum) *concutere*, *&c.* Igitur ſi ἐλελίσσειν eſt *volvere*, uti etiam oſtendit origo ipſa vocis ab εἰλέω, quando ergo Jupiter Ὄλυμπον ἐλέλιξεν, dicas potius in *gyrum vertiſſe* illum montem, quo magis vis & majeſtas hujus ſummi numinis commendetur: præſertim cum videatur Homerus Olympum montem inter cæleſtes ſphæras locaſſe, ut in præclara, & lectu jucundiſſima διατριβῃ oſtendunt academici Pariſienſes tom. 10. pag. 653. ſi vero res ita ſe habeat, leviſſimum fuiſſet Jovi montem, uti navem circumagere, & notio τοῦ ἐλελίσσειν in Homero uſque conſtabit. Atque poſthac miraberis Maronem bis vertentem τὸ ἐλέλιξεν Homericum, *tremefecit*, Æn. 9. v. 107. & Æn. 10. v.116. . . *Jupiter* . . *Annuit*, *& totum nutu tremefecit Olympum*. Qui quidem Maro nihil de motu Olympi cogitavit, ſed de timore a Jove cælicolis incuſſo.


Ne mihi præterea contumax ſis, quod Gellius lib.2. cap.18. de cauſis terræ motus ediſſerens vocet Neptunum σεισίχθονα, ita ut, ſicuti vides hanc vocem effictam a binis hiſce σεισμὸς χθονός, ita etiam dici poſſit σεισμὸς γῆς, atque etiam σεισμὸς Βεββὲ, &c. verum reponam hujus Gellianæ ῥήσεως exemplum me non adhuc reperiſſe; fortaſſe librariorum error eſt pro ἐνοσίχθονα, quæ vox in Homero ſæpius illita eſt, ſicuti etiam ἐννοσίγαιος, quam ſimul commemorat Gellius; atque interpretes, & ipſe divinus vates pro *terræ quaſſator* ambas haſce dictiones adhibuere; ſed his ignoſcas, quippe qui Græcanicæ originis vocabula rati ſunt, cum ſint Phale-

Phaleſgicæ ; etenim ἐννοσίγαιος habes ἀμέσως ab אני נשג , *navium inſectator*, & ἐνοσίχθων ab אני שקט *navibus quietem inducens*, quæ eſt bina maris, ſive Neptuni indoles; & nunc ſcimus, cur veluti κύρια nomina hujus numinis tum Ἐννοσίγαιος, tum Ἐνοσίχθων apud vates audiant; & cur antiquiſſimi Græcorum, ut ait Gellius ibid. fieri terræ motus crediderint ab aquarum fluctibus, pulſibuſque, quæ in terrarum cavernis exundarent ; & quædam urbes, licet quam longiſſime a mari diſſitæ, Neptuno templa erigerent, ut ab τοῖς τῆς γῆς πάθεσι ſervarentur : porro iſthæc vetuſtiſſima, & peregrina nomina Græcanice ſumpta, & intellecta ad hanc fidem eos impulere, cum ſecundum ingenitum veriloquium perquam ſatis diverſam notionem claudant : at contra verbum σείω, unde σεισμός fluxit, jure terræ motibus addictum eſt, cum illud teneamus ab שחה, *depreſſit*, *proſtravit*. Hic autem mihi longe querendum eſt de H. Stephano, qui in Theſauro in voce χθών Homero, & Heſiodo ignotam dictionem σεισίχθων, adſcribit, nihilque hæſitans inquit : Σεισίχθων *ſubſtantive pro Neptuno uſurpatum legitur tam ab Homero, & Heſiodo, quam ab aliis*, verum exempla non recitat, neque proferre quiviſſet, dum beata horum vatum ævitate ea ῥῆσις non adhuc in auras proſiliit ; evolvas eorum poemata ſumma ab imis, nunquam eam offendere eſt : imo haud ſcio an in ipſis poſterioris ab Homero ætatis Scriptoribus invenies ; adeo plena periculi res eſt vel a bonis lexicis dumtaxat vocabulorum κυριότητα, & antiquitatem penſitare ! Nomina hujus Numinis marini a primæva lingua educere in mentem etiam venit πολυγλώττῳ Joanni Clerico, ſed unum ſatis fuit ab ea elicere nempe Ποσειδῶν, reliqua Ἐνοσείχθων, & Ἐννοσίγαιος Græcanica ratus eſt vulgarem opinionem ſecutus ; itaque hæc adnotavit in ver. 456. Heſiod. Θεογον. Ἐννοσίγαιον] *hoc eſt* Ποσειδῶνα, *qui mari præeſſe creditus eſt . . . dictus ab* פוסר און, *poſedon*, *ejus ætatis lingua*, *hoc eſt fractor navium*. Ἐννοσίγαιος *eſt epitheton*, *quo deſignatur Neptunus*, *ſeu maris Deus*, *quia mare procella concuſſum videtur etiam ipſam terram concutere*. Attamen rectius vox Ποσειδῶν habes ab פשט אני, *ſpolians navem*, quæ dictiones puræ putæque Hebrææ ſunt ; e contrario פוסר און Rabbinicas potius novi, neque in ſanctis libris reperire eſt.

Ad hanc μακρολογίαν me impulit doctiſſimus Mazochius, qui φράσιν omnino Græcis ignotam, nim. ΥΠΟ ΒΕΣΒΙΟΥ ΣΕΙΣΜΩΝ, ſcalptam marmoribus a Neapolitanis enixe tutatus eſt ; intererat mea, ut ſexcentis exemplis cujuſvis ætatis corraſis, in queis nomen σεισμός vides ſemper caſu patrio deſertiſſimum, famæ proviſum irem meorum civium ἀστικῶν, ut vocat Philoſtratus, ideſt Græca caſtiſſime callentium : quare a me ἁπλῶς, omni additamento poſthabito, adjectum τὸ ΥΠΟ ΣΕΙΣΜΩΝ, uti & lapidis ſpatium, & res ipſa poſtulabat. Unum per me tibi lubeat, abuti ſcilicet τρόμος γῆς, nunquam vero σεισμὸς γῆς, nam accidit, ut veſtigarim ita locutum Halicarnaſſeum lib.10. p.600. lin.23. Oxon. Γῆς μυκήματα, καὶ τρόμοι συνεχεῖς ἐγίνοντο, *terræ mugitus*, *ejuſdemque quaſſationes*:

Ceterum cum ſæpe σεισμός adhibuerit, vid. to.1. p.237. lin.14. & p.304. lin.24. ratum eſt nunquam adjeciſſe τὸ γῆς.

IX. Quoniam autem mentio incidit de theatro Herculanei pag.541. copia paullo liberior mihi ſit tum de eo ædificio, tum de urbe pauca indicandi, quam rem ſcio nunc eſſe plenam deſiderii; cum hæc ad æternale Regis D. N. munificentiæ decus commendandum apprime conſpirent; & magis firmatur, quod a me aſſertum eſt pag.541. ſtatuas facile ruere, reliquam vero theatri molem ſolidam ſtare ſervarique. Itaque Rex, rejectis ruderibus, infinita pæne impenſa Herculanenſe theatrum univerſo orbi jam pernotum nobis viſendum obtulit, cujus ſedilia duodevicena e ſilice præter terna ſupra porticum, nec non graduum ordines ſepteni ab vomitoriis recta ad arenam tendentes, calamitatem nullam paſſi ſunt, ita ut quiſque adhucdum aſcendere, aſſidere, & per porticum ambulare libere queat. Ad hæc binæ largiores ſcalæ, dextræ altera, altera ſiniſtræ theatri adhæreſcunt, quæ ad porticum ducunt; ſuperius arctiores exſtructæ ad tria ſedilia ſupra porticum erecta tendunt; quare tandem novimus ordinem ſcalarum id genus ædificii, de quibus æterna lis fuit apud archæologos.



Diameter ſedilis infimi eſt palm. Neap. 62. cumque ipſa theatri ſubſellia ſint 21. lata palm. 3. & uncias 5. alta autem palm. 1. cum dimidio

midio

midio, ſi per diametri rationes ad circuli περιφερείαν calculum ineas, invenies theatrum inſideri poſſe ab circiter 3500. hominibus: cui non parvo numero ſi eos, qui arenam occupabant, addas, hic grandior increſcet. Quam quidem theatri ſtructuram ne exiguam reputes in oppido Herculaneo, cum hodiedum id genus ædificia vel in principibus urbibus tantæ magnitudinis haud exſtrui videas. Et tibi juratus edico hanc elegantiſſimæ artis molem mihi, quoties intuitus ſum, neſcio quid priſcæ majeſtatis, atque magnificentiæ ingeſſit. Si a me quæras, quo architectonices ordine fabrefactum ſit, non aberrem, ſi Corinthium ajo. Quo autem te oblecter, appoſui unius pilarum, quæ grandem hanc molem inferne & regunt, & ab exteriore parte cingunt, ichnographiam, qua licuit ſollicitudine, & veluti furtim extractam: ipſas quidem lateritio opere compactas cernimus, calce rubro colore tincta contectas, quarum princeps facies ſtriis elegantibus exornatur: vide ſchema pag. anterioris. Exactam hujus περιθρυλλήτου theatri orthographiam patientiſſime exſpectamus ab doctiſſimo Herculanenſium antiquitatum præfecto, ne nos hæc rudia atque nil incocta fruſta exteris fame jam enectis projiciamus.

Verum præterquam quod & elegantiæ plenum eſt, & pæne ſolidum hoc ingens theatri opus, pretium ejus mire commendatur, quod hujus ædificii Caſſius magni nominis hiſtoricus commeminit, licet ejus verba noſtrates Scriptores haud ſordidos, & longe gentium natos eo uſque torſerint, ut ῥητά, ſed multo magis ἄῤῥητα libris alleverint, quos ſi hic recitem, longum eorum nominum πίνακα appenderem; ipſe autem paucis rem abſolvam, atque in ingenitam forte lucem reſtituam. Itaque inter φοβερὰς, ϗ θαυμαστὰς excidiones adjicit: Καὶ προσέτι (τέφρα ἀμύθητος) ϗ πόλεις δύο ὅλας, τό τε Ηρκυλάνεον, ϗ Πομπηΐους, ἐν θεάτρῳ τοῦ ὁμίλου ΑΥΤΗΣ καθημένου, κατέχωσε, pag. 1095. v. 39. quæ mecum ſine periculo ſic vertas: *præterea* (ineffabilis copia cineris) *ambas urbes Herculaneum, & Pompejos, populo ILLIVS ſedente in theatro, undique obruit:* vides nodum omnem ineſſe in vocula αὐτῆς, quæ cuinam ex binis urbibus referenda ſit, tandiu dubitatum eſt: verum tum ratio reciproci αὐτῆς poſtulat, ut ad Herculaneum referatur; nam ſi de Pompejorum urbe ſermo eſſet, Dio illeviſſet ταύτης, non autem αὐτῆς, ut tiro Græcanicus noſcitat: tum etiam, quia jam oculis noſtris theatrum in Herculanei oppido ſe obtulit; neque audias, qui importune adſcripſere αὐτῶν, ut notat Reimarus in var. lection. etenim ea in re cum doctiſſimum Aſſemanium conſuluiſſem, amice repoſuit in omnibus membranis Vat. bibl. ſe τὸ αὐτῆς reperiſſe. Id unum miratus ſum tantum virum Reimarum in Latiari ſuo interpretamento veritatis ac fidei pleno voculam αὐτῆς, neſcio, qua religione ductum, poſthabuiſſe, ſat ſibi eſſe ratum noſtratium Scriptorum Peregrinii, & Laſenæ ſententias in doctiſſ. adnotat. referre, de quonam theatro Dio id narret, quos pigere oportuiſſet in re certa tot membranas fruſtra exaraſſe, & rixas celebraſſe. His addas Tillemontium ajen-

tem in fin. artic. 4. in Tito, theatrum in urbe Pompejis cecidiſſe Neronis ævo, inde iterum excitatum; poſtea ſub Tito cineribus Veſuvii oppletum, civibus Pompejanis inſidentibus, atque provocat ad Dionem, qui quidem id haud refert; & piget Tillemontium virum ſollertiſſimum omnia turbaſſe.

Neque quis in animum inducat me aufugere, quod objiciunt quidam, haud evinci locum, ubi theatrum nunc viſitur, fuiſſe Herculaneum; attamen, qui ita ſentiunt, rerum antiquarum, & litterarum Græcarum ὀψιμαθεῖς eſſe, & hoſpites ſe facile probant; urgent enim contra bina marmorum teſtimonia, in queis nuper a Rege fortunatiſſimo inibi repertis inciſum eſt HERCVLANENSES, quæ omnibus proſtant. Verum ſcio, quid tale genus homines obganniunt, nimirum Strabonem adſerere hoc oppidum in promontorio in mare exporrecto ſitum; e contrario ædificia, theatrum, ſtatuas, & cetera, quæ nunc, rejectis ruderibus, reperiuntur, eſſe in longe diverſo poſitu, namque fere ad marinarum aquarum libellam intuemur, non vero ἐν τῇ ἄκρᾳ. Sed antequam Strabonis verba expendam, hoſce ſuaviſſimos homines rogatos pervellem, ut nos doceant, quo nomine ſalutabatur urbs, ſive locus, unde tot enormes æneæ, & marmoreæ ſtatuæ, tot picturæ, & cujuſvis artis inſtrumenta, tot codices, theatrum ipſum, & publica auctoritate tot litterati lapides extrahuntur; ipſe certe hæc omnia inter Pompejos, & Neapolim jacere intueor, ubi & Strabo, & Dion.Halicar. Herculaneum figunt. Porro ne otium teramus, Strabonem potius audiamus lib.5. p.378. Ἐχόμενον δὲ φρούριον ἐστὶν Ἡράκλειον, ἐκκειμένην εἰς τὴν θάλατταν ἄκραν ἔχον καταπνεομένην Λιβὶ θαυμαστῶς, ὥστ' ὑγιεινὴν ποιεῖν τὴν κατοικίαν. Ὄσκοι δὲ εἶχον καὶ ταύτην, καὶ τὴν ἐφεξῆς Πομπαίαν· quæ doctiſſimi viri ſic converterunt: *Neapolim Herculaneum inſequitur, cujus extremitas in mare porrigitur, & Africo mirifice perſpiratur, ut ſalutaris inde fiat ibi habitatio. Hoc, & quod proxime ſequitur, tenuerunt Oſci.* Sane niſi Græca verba interpolata dicas, dormitantem incuſes neceſſe eſt Strabonem; etenim oblitus omnino urbis, de minima ejus parte, nempe de τῇ ἄκρᾳ ſermonem inſtituit, quæ quidem ἄκρα, ſive ſit *extremitas*, ſive *ſummitas*, ſive *promontorium*, dicitur in mare porrigi, afflari ab Africo, & multæ ſalubritatis eſſe: de φρουρίῳ, ſive de oppido ne verbum quidem; imo falſum arceſſam geographum, cum omnis Herculanei plaga Africo oppoſita ſit, neque ἄκρα ipſa ſolum ſalubris erat, ſed omnis illius regionis ora: quare merito inquit Plin. in famoſa ep.*26*.ad Tac.lib.*6*. de morte avunculi: *Erat enim frequens amœnitas oræ*. Atque huc referendum, quod contra Rullum ad populum tanta animorum vi diſputavit Tullius cap.14. *Accedet eo mons Gaurus, accedent ſalicta ad Minturnas; adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea multarum deliciarum, & magnæ pecuniæ; permulta alia, quæ ſenatus propter anguſtias ærarii vendenda cenſuit, conſules propter invidiam non vendiderunt;* vides jam viam ipſam, quæ ad id oppidum ducebat tot deliciarum ubertate affluentem;

Digitized by Google

tem ; non igitur tantum ἡ ἄκρα amœnitatis & ſalubritatis plena ; hanc viam exputo Neapoli Herculaneum uſque pertinuiſſe , inde longius proceſſiſſe ad Pompejos, &c.

Hic autem non tantum exteros Scriptores , & qui in Ciceronem adnotationes attexuere , neque noſtrates exigui nominis , quantum quosdam ingentis famæ demiror hanc viam *Herculaneam* ad Lucrinum lacum tranſtuliſſe, quæ diverſo nomine, ſcil. *Herculea* audiebat , vide Latinorum teſtimonia apud Cluverium; quam ævo Tullii a marinis fluctibus quoad partem bonam disjectam non paucis a Cicerone poſt annis Agrippam inſtauraſſe , ejuſque viæ uſum, brevitatemque narrat Strabo pag. 375. Ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαϊῶν χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτῷ πλατείας , ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι τὰς βῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνυ· ἐχόμενον δ᾽ ἐπιπολῆς τὸ κῦμα τοῖς χειμῶσιν, ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως , Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν , *Lucrinus lacus ad Bajas uſque expanditur, interclusus ab externo mari aggere longitudine octo ſtadiorum, latitudine pro rotabili curru: hunc aggerem fertur Hercules feciſſe, dum Geryonis boves ageret: cum vero tempeſtatibus mare agitantibus fluctus undique admitteret, ut terreſtri itinere difficillime peragrari poſſet , Agrippa inſtauravit* . Non igitur exſtabat Tullii ætate iſthæc ad Lucrinum Herculea via , quare ridendus ſummus orator, & Romani, cum *vendibilem* fecerant; & qui fieri poteſt, ut ab aggere unius lapidis longitudine, atque arctiſſimo *plurimum pecuniæ* colligerent ? Verum hæc tibi ſervo uberiori ſtilo excutienda in Puteolana chorographia. Concludam igitur Strabonem non de ipſa Herculanei ἄκρᾳ loqui, ſed aliud mente agitaſſe, & libris ſuis adſcripſiſſe, corruptum poſtea temporis malignitate librariorum.

Si vero quid audendum, & parum lucis geographi verbis afferendum ſit, ita meticuloſus illa reſtituerem, unius litterulæ adjectione, videlicet, pro ἄκραν illinerem μακράν, quo omne ipſum *promontorium* huic oppido importunum funditus demolirer; quare reficias : Ἐχόμενον δὲ φρέριον ἐστὶν Ἡράκλειον ἐκκείμενον εἰς τὴν θάλασσαν, μακρὰν ἔχον, καταπνεόμενον Λιβὶ θαυμαστῶς, ὥσθ᾽ ὑγιεινὴν ποιεῖν τὴν κατοικίαν· Ὄσκοι δὲ εἶχον καὶ ταύτην, καὶ τὴν ἐφεξῆς Πομπαίαν, & reddas : *Statim poſt* (Neapolim) *eſt oppidum Herculaneum juxta mare, in ipſa littoris longitudine ſitum, mirifice ab Africo afflatum, ita ut ſaluberrima habitatio reddatur ; hanc ſedem tenuere Oſci, &, qui deinceps ſequuntur, Pompejos ;* nunc ſiquidem omnis Strabonis ſermo circa Herculaneum verſatur , atque illud deſcribit fuiſſe ſecundum littoris longitudinem ; (id enim valet φρέριον μακρὰν ἔχον, uti, vel qui parum Græce didicere, norunt ;) & ſane tot vetuſtatis gazæ in longo propter mare tractu reperiuntur a Rege , quod enixe firmat, quæ facta eſt Straboni , medelam ; hinc ſine periculo dicas Herculanenſes urbem non latiorem , ſed , uti ſunt cetera totius ejus ſinus oppida, longiorem ſibi exſtruxiſſe , ita ut cœpta ſit ab *Turri octava* , ut poſteriores

riores

Digitized by Google

riores Scriptores dixere, nunc *Torre del Greco*, ad Herculis Porticum, ut num. 106. Petronius vocat, vulgo *Portici*; media interjacebat *Retina* villa. Porro, ne dubites, quin recte ἄκραν in μακράν immutarim, advertere te jubeo, præterquam quod Strabonis operi librariorum vix numeranda incubant menda, in hac ipſa Herculanei περιόδῳ illitum eſſe Α'κέρων pro Α'κεῤῥῶν· nec non Κρέωνα pro Κοσμῶνα, quæ jam obſervarunt interpretes: ἣ ποιεῖ, pro ἡ Πομπαία, *Pompeji*, quod non vidit Caſaubonus, quare non ſine piaculo iſthæc in adnotation. illevit vir magnus: *Verba* ἣ ποιεῖ *videntur omnino inducenda . . . illis autem ſublatis, ſenſus eſt perſpicuus, &c.* at contra eſt, nam ſine τῷ Πομπαία eſt tenebricoſiſſimus, eo quod mutilus. Præterea adſcriptum eſt, Οὐεσσούιος cum duplici ſibilo: ἐπιοιχυμενος pro ἐπικυκλώμενος, ut a me animadverſum eſt ſupra pag. 421. πκμχίροιτ' pro πκμηροῖτ', de quo σφάλματι mox dicam. Quare niſi moleſtus quis poſthac abneget etiam bene appoſitum ἄκραν pro μακράν.

x. His igitur perquam breviſſime, & raptim animadverſis, non curandus locus Siſennæ, quem recitat Nonius Marcellus de indiſcr. generib. *Quod oppidum tumulo in excelſo loco propter mare, parvis mœnibus inter duas fluvias, infra Veſuvium collocatum*; etenim Siſenna nomen oppidi haud indicat, duo flumina prope Veſuvium fuiſſe quis unquam ſcripſit, aut credat? ingentia Herculanei, urbis non parvæ veſtigia, & lapides, in queis inſcriptum eſt, HERCVLANENSES, non in excelſo ſed in infimo loco reperti ſunt; præterquamquod Marcellus hic grammaticus non audit magni nominis ſcriptor; imo in vocum interpretatione ſæpe delirare notat præter alios Lud. Kuſterus diatr. de verbo *cerno* pag. 81. 91. & me docet Mazochius de Aſcia pag. 174. col. 2. *Nonium ubique a deſcriptoribus dira paſſum veterem eſſe querelam*; atque etiam ipſe conqueror de civium meorum doctiſſimis, qui iſthæc Nonii verba contra humilem Herculanei ſitum, quem tueor, adhuc urgere adnituntur. Quis vero ferat Peregrinium in Campan. pag. 320. ajentem τὴν ἄκραν efformaſſe portum ante Herculaneum, qui naves Herculis exceperat, & Plinii claſſiarios? etenim neque ego, neque Dion. Halicarnaſſeus, quem recitat Peregrinius, novimus, an Herculis tempeſtate id oppidum portu munitum fuiſſet: ſi vero Dionyſius ætate ſua adhuc illum exſtare narret, imo plures & tutos quavis tempeſtate, λιμένας ἐν παντὶ καιρῷ βεβαίως ἔχοντα, hoc lubens quiſque pernegabit; nam quotquot Herculanei meminere Scriptores, de portu omnino ſiluere; & verendum ſat eſt, ne hic Halicarnaſſei locus ſubleſtus ſit, atque ab indocto adſutus, præſertim cum de ſyntaxi parum conquerantur Sylburgius, ceterique qui in Dionyſium breves adnotationes ſcripſerunt, vide pag. 34. edit. Oxon. 1704. imo Plinius Cæcilius eam urbem portuoſam fuiſſe videtur palam abnuere, dum in ſæpius laudata epiſtola 15. lib. 6. ſcribit avunculum litteras, ſive codicillos ab Retinæ claſſiariis accepiſſe, ut naves a Miſeno ſolveret, & eos ab imminenti Veſuvii diſcrimine eriperet; contra ſi Herculaneum

por-

Digitized by Google

portum habuiſſet, navigiis, quæ in hoc procul dubio detineri oportuiſſet, periculum defugiſſent, non exſpectatis Plinii triremibus ab Miſenati claſſe duodeviginti fere milliaribus diſſita. Sed hæc clariora ſunt, quam ut in iis bonam horam ludamus. Quare, quo recte collineem, oppidum Herculaneum in loco excelſo conditum, & ἄκρων, & portum habuiſſe inter fabellas quidem amandes. At ſi Strabo hanc urbem φρούριον dicat, ne credas *oppidulum* fuiſſe, vel *caſtellum*, aut *vicum*; nam Diodorus etiam ingentem urbem Catanam φρούριον dicit, id habeo a Cluver. in Sicil. p.128. 129. quæ & *Ætna* audiebat: & vetuſtatis reliquiæ, quas Rex inde exſtraxit, & ſtatuarum pleniſſimus numerus, quem ad ſuarum thermarum celebritatem Severus aug. Romam tranſtulit, & via amœniſſima ac dives urbem celebratiſſimam Herculaneum oſtentant.

Neque mihi imperare queo, quominus etiam quid de etymo vocis *Herculaneum* adnectam; ut tandem ab animo deponantur, quæ & veteres Scriptores, & nuperrimi quidam Tirinthium heroa illud exſtruxiſſe jactitant, neque tot editis voluminibus nos poſthac obtundent: queis parcendum potius, quam de iiſdem conquerendum, nam vereor, ne orientis linguæ opibus deſerti ad vetuſtiſſima locorum nomina perſcrutanda adnitantur. Porro, quin ad incolendas has noſtrates plenas deliciarum oras Phœnices accurrerint, uti pag. 485. dictum eſt, niſi ſtudiorum ſerus intercedet: hæ autem gentes, cum quaſdam Campaniæ urbes Veſuvii igne vel combuſtas, vel nimis obnoxias viderint, eam ob calamitatem locis nomina indidere. Arſiſſe vetuſta ævitate hunc montem præter Diodorum Siculum, (niſi locus ſit a poſteriori manu, de quo dicam in Puteolana chorographia,) ajentem lib. 4. 21. Οὐεσούιον κεκαῦσθαι τοὺς ἀρχαίους χρόνους, & Vitruvium pag. 25. an. 1649. edit. Elzevir. *Antiquitus creviſſe ardores, & abundaviſſe ſub Veſuvio monte, & inde evomuiſſe circa agros flammam &c.* teſtis vehemens & dives eſt Strabo pag. 378. cujus verba qua Græce, qua Latine fide laborare indoleſco: (Οὐεσούιος) ἐκ δὲ τῆς ὄψεως τεφρώδης, καὶ κοιλάδας φαίνει σηραγγώδεις πετρῶν αἰθαλωδῶν κατὰ τὴν χρόαν, ὡς ἂν ἐκβεβρωμένων ὑπὸ πυρός· ὡς τεκμαίροιτ' ἄν τις τὸ χωρίον τοῦτο καίεσθαι πρότερον, καὶ ἔχειν κρατῆρας πυρὸς, σβεσθῆναι δ' ἐπιλιπούσης τῆς ὕλης, κ. τ. λ. quæ ita verſa ſunt: (*Veſuvius*) *aſpectu cinereus, cavernaſque oſtendens fiſtularum plenas, & lapidum colore fuliginoſo, utpote ab igne exeſorum; ut conjecturam facere poſſis iſta loca quondam arſiſſe, & crateras ignis habuiſſe, deinde, materia deficiente, reſtincta fuiſſe*; ut te non diu morer, ſcias geographum *certo* edicere Veſuvium olim ignem emiſiſſe, non vero *ex conjectura*, dum ſollers enumerat & multo plura, quam ceteri Scriptores, ignis illius certa veſtigia, a quibus vel puer luculenter colligeret montem flammas evomuiſſe; quare res erit integra, ſi vocem τεκμαίροιτο, *conjecturam faciat*, minima & vera mutatione reſtituas in τεκμηροῖτο, *pro certo habeat*, & ita Strabo cum Vitruvio, & Diodoro conjurat: quantum diſtent bina ῥήματα iſthæc τεκμαίρομαι, ac τεκμη-

ρῶμαι,

Digitized by Google

ῥεῦμα, eorumque derivata, tenes etiam a lexicis, & ab indicibus, præſertim ab eo, quem admirandæ Dionis Caſſii *ἐκδόσει* adjecit magnus Reimarus; quem cum paucis Græce doctum miratus ſum hunc Strabonis locum in adnotat. pag. 1095. recitantem in voce *πεκμαίροιτο* nihil fucati advertiſſe.

Cum igitur conſtet vetuſtiſſimis temporibus Veſuvium ignem eructaſſe, nemo mihi prohibeat, quominus vocem Ἡράκλειον educam non ab Ἡρακλῆς, unde Græculi facile trahunt, ſed a bina *κυριωτάτῃ* voce חרה קליא, quæ ſunt eadem elementa ac Graja, valentque, *prægnans igne*, ſive *concipiens ignem*, quod apprime convenit Herculaneo, eo quod urbs vicina Veſuvio, & materiam concoctam, atque uſtam monti ſubminiſtrare Phœnices rati ſunt; & adhuc quid ex hac originatione ſervant voces Ἡράκλειον, & *Herculaneum*; nam urbes reliquas, quæ ab Hercule fortaſſe nomen ſibi adſcivere, alio pacto exeuntes legimus, nim. Ἡράκλειαι, & *Heracleæ*, unam hanc noſtram, Ἡράκλειον, & *Herculaneum* dixere veteres. Præterea firmant hoc etymon reliqua loca circa Veſuvium, quæ etiam ab eo igne vocitata facile reperire eſt; & quidem urbs *Pompeji* *ἀμέσως* fluxit ab פום פיח, *os favillæ*, vel *cineris*, vel *incendii*; quare cum tam nativa ſit hæc origo, deridiculos ſe probant, qui a Græcis, vel a Latinis *ῥῆσιν Pompeji* derivare ſtudent. Idipſum dicas de *Stabiis*, nam vox שטף, *inundatio*, vel שטפה, *inundata*, huic urbi nomen impertivit; ignis, aut cinerum Veſuvinorum vim, & inundationes paſſas olim Stabias ei monti propiores quis neget? Adde etymon vocis *Veſuvii* etiam ab igne tractum בו שביב, *ubi flamma*, vid. pag. 424. & vox *Ætna*, pura Hebræa dictio eſt, nam ſæpe in Daniele legere eſt אתונא, *fornax*, quæ originatio *κυρίως* ignivomi montis ingenium explicat. Et nunc ſcio, cur Ortelius hunc montem Veſuvium appellet *Mæulus*, nimirum ab מול, quod eſt *excindere*. His intellectis, nemo mihi eripiet, eo quod veluti ſponte locorum circa Veſuvium nomina ab Hebræo fonte fluunt, & ob ignem hujus montis eorumdem vocabula efformarunt Phœnices, etiam addendum eſſe Ἡράκλειον, ſive *Herculaneum* ab חרה קליא tractum, ut dictum eſt: non igitur Hercules ædificavit, quod ad ravim quidam inculcarunt; &, quominus idipſum poſthac quis prædicet, vel libris allinat, omnino interdicendum.

Adeo certum jures vocem Ἡράκλειον, ac Latialem, quæ inde effingitur, eſſe peregrinam, & ab *ῥήσεσι*, quæ ignem denotant, conflatam, ut adverterim hoc nomen in Campania audiri, ubi aquæ ebullientes, vel ubi olim montes flammas projecere. Hinc habes *viam Herculeam* prope Lucrinum, ubi & calentes aquæ bene multæ æſtuabant, & ſuperiori ætate tantum ignis exarſit, ut ingentem materiem egeſſerit, montemque formaverit; & cum Græci voces חרה קליא in ſolo ſuo natas rati ſint, & ad Græcanicum *Hercules* (Ἡρακλεύς) nomen accederet, hunc heroa huc advectum poſteris impoſuerunt. Ut hanc ſat vendibilem conjecturam firmem, ſcias in

Ina-

Digitized by Google

Inarime inſula noſtrate etiam *Heraclium* quendam locum vocitatum, uti allevit virorum ſummus Mizochius Kalend. pag. 334. in adnotat. *Non Heraclius . . . ſed potius Heraclium neutro genere is locus, opinor dicebatur: nam* Ἡράκλειον (*Heraclium*) *Herculis templum ſignificat: ergo ea inſulæ* (Inarimes) *regio, ubi S. Reſtitutæ corpus ſepultum fuit . . . olim vocabatur Heraclium ob eam cauſam, quod in ea regione aliquod Herculis templum fuerit:* fortaſſe is locus ita etiam audiebat ob ingentem ignis vim, qui adhuc durat; & vide quæ mira Strabo narrat de hujus inſulæ monte Epomeo πυρεκβόλῳ. Adde me advertiſſe tam inſanabile cacoethes fuiſſe Phœnicibus, qui procul dubio has in regiones amœnitatis plenas appulere, nomina ab igne his locis apponendi, ut præter ea, quæ nuper dedi, habes *Arimos* ipſos, (ex qua voce Maro, ut notum eſt, *Inarime* conflavit, Homericum ἐν Ἀρίμοις adglutinans,) ab חרי, *æſtus*, *ardor*, & plurative חרים, vel חריים. Miror Bochartum in Chanaan lib. I. cap. 33. τὸ Ἄριμοι a Syra voce חרום extorquere, quæ *ſimum* denotat, aitque inde Græcos feciſſe ex interpretamento vocem Πιθηκοῦσαι ab πίθηκος, *ſimia:* inde Latini *Enaria*, vel *Ænaria* procuderunt, a *ſimiis* nimirum, quæ ſimæ ſunt, & veluti ſine naribus. In hoc Bocharti etymon jurat Mazochius ibid. pag. 333. quando inquit: *Id autem nomen Syriace, ut oſtendit Bochartus ſimiam ſignificat, &c.* verum venia tanti viri dicam τὸ חרום haud denotare *ſimiam*, (quod brutum animal audit קוף,) & neque Bochartum inibi id aſſeruiſſe. Et ſane nemo divinare ſatis eſt, cur a ſimiis iſthæc inſula nomen adepta ſit, præſertim cum veterrimi Scriptores contra ſint, & a πίθοις & ἔχειν dictam velint, quod inibi figlina vaſa fabrefierent, quod opificium reipſa adhucdum celebratur, vid. Plin. lib. 4. c. 5.

Sed poſthabitis his Græculorum inaniis, deduces *Pithecuſæ* ἀμέτως ab dictionibus פתח אש, *expandens ignem;* neque de hoc veriloquio ambigas, nam reliquis hujus inſulæ locis etiam ab igne nomina indita ſunt, veluti nuper laudatus mons Epomeus eſt ab הפחם, *carbo*, *ignis;* & Tiphœus ex Titanibus, qui εὐνὴν ἐν Ἀρίμοις habet, ut canit Hom. Il. β. v. 783. dictus eſt ab תאפה, *decoctus ab igne*. Ceterum adverſus virorum maximum Bochartum mihi urgendum eſt, etenim cum vox חרום privo Levitici loco, ſcil. cap. 21. 18. illita ſit, ejus notio ſat tenebricoſa eſt, & ita πολύτημος, ut pro interpretum ingenio verſa ſit, imo uni Talmudiſtæ, Hebræique ſequioris ævi pro *ſimo* accepere; antiquiſſimi interpretum retudere etiam κολοβόχειρ, &c. adeo ignotæ διαγνώσεως eſt τὸ חרום: neque ad Arabas confugiendum, qui plerumque ab Rabbinis ſuarum vocum ſignificantiam ſuffuratos ſcimus. Quæ cum ita ſe habeant, quiſque melius fidem præſtabit vocitatos Arimos ab חרים, *ardores*, quam ab חרום, cujus notio, quænam ſit, adhuc indiget Hebræo judice; & miror Mazochium ἑβραϊστὶ gnariſſimum tam cito cum Bocharto dejeraſſe. Præterea perdiu hæſi, cur ipſe Bochartus montem Inarimes, quem Ἐπομέα dicit Strabo, Plinii non tantæ auctoritatis, ac fidei,

quantæ hic geographus, lectionem ſecutus appellet *Epopum*, deducitque ab aliquantulum hirto vocabulo הבהיב, *aſſatio*, *exuſtio*; ipſe fortaſſe aptius ab הפחם, *carbo*, *ignis*, extraxi, neque ab Strabonis ὀρθογραφίᾳ digreſſus ſum. Quibus expenſis ad Herculaneum ſermo redeat: haud deneges me divinaſſe hoc oppidum non ab Hercule dictum, ſed ab proximo Veſuvii igne, ſicuti non una Campaniæ loca nomen ſibi peperiſſe ab incendiis oſtenſum eſt.

Atque oppido pauca hæc de Herculanenſi theatro, & hujus urbis ſitu habes, & etymo; utinam id argumentum agerem, quæ in ſchedis ſervo plurima, & elaborata proferrem: ceterum ab eo, cui id oneris impoſitum eſt, optima & quæſitiſſima perdiu depereunt univerſi, tumultuantur, & parum abeſt, quin indicant bellum; vide quæ inclamat magnus Reimarus in adnotat. in Dion. Caſſ. pag. 1096. poſtquam potentiſſimi Regis noſtri conſilium, & munificentiam immenſis laudibus mactaverit: quem ἑλληνικώτατον virum ob noſtram Neapolitanorum ſegnitiem, ſive potius metum ſcribendi, hæc p. 1095. §. 148. adnotaſſe me piget: *Pompeji, vel Pompejum colonia ibidem apud Sarnum fl. inter Torre del Greco, & Portici, ubi hodie Caſtello a mare di Stabia:* quæ locorum a magno viro facta μετάστασις doctis noſtris civibus melius tribuenda, qui vel nil de Herculanenſi regione ſcribunt, vel parum caſtigatum procudunt.

XI. Nemo unus mihi parſerit, ſi hic prætercam tacitus, quænam fuerit *villa Retina*, quam prope Herculaneum oppidum ſitam fuiſſe conſtat, nomenque vulgo adhucdum auditur *Reſina*. Quis autem ignorat, quot doctæ ephemerides ea de re, & eruditorum membranulæ, licet ῥητὰ, καὶ ἄῤῥητα complecterentur, per orbem circumvolitarint? tanquam ſi negotium ἐπιμελέστατον jam evaſiſſet. Porro cum vox *Retina* in Plinii ep. 16. lib. 6. vexatiſſima ſit, atque in ſexcentas detortas ac deformes ῥήσεις ab librariis immutata, illas in adnotat. edit. Longolii facile lectites, (præter ceteras, quas in ſtudiorum ſuorum otio vir multiplicis doctrinæ, deque me benemerentiſſimus Æmilius Jannucius collegerat,) non unis conjecturis doctiſſimi quique Cæcil. Plinii verba ſanare accurarunt, eiſdem ſymbolam meam promptus atque lubens etiam addam, & ſi pro *Retina* reſtitues *Pætinam*, res a vero nil multum abludet; præſertim cum pronum fuerit librariis litterulam *a* parum evanidam diphtongi *ae* addixiſſe τῷ *P*, indeque formaſſe *R*. Hinc mihi nunc penſi eſt veſtigare, unde ortum traxit *Pætina villa*, a Papirio Pæto ſcilicet viro conſulari, qui in Herculanei oppido plurimum vitæ vixerat, ac locuples & grande prædium inibi conſtruxerat, cujus divinationis vehementes mihi ſuppetunt rationes. Nil hæreas, quin Pætus villam habuerit inter Puteolos, & Pompejos in ora maris, teſte Cicerone ad Att. lib. 14. ep. 16. *Quinto nonas conſcendens ab hortis Cluvianis in phaſelum epiſcopum has dedi litteras, cum Piliæ noſtræ villam ad Lucrinum, villicoſque procuratores tradidiſſem; ipſe autem eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebam; perpaucis diebus in Pompejanum; poſt in hæc Puteolana, & Cumana re-*

gna

Digitized by Google

gna renavigaro; vides Tullium a Lucrino, ſive ab Academia ſua, quo iret Pompejos, inviſiſſe in itinere Pætum ſuum, in ea igitur ora hunc prædia habuiſſe certo jures; & adeo, quæ dicimus, vera ſunt, ut Manutius Neapoli Pætum degiſſe ratus ſit in adnot. in ep. 18. ad fam. lib. *9.* verum contra Manutium eſt ipſe Cicero, qui Pætum non in urbe, ſed inter prædia ſiſtit epiſt. 20. quando ep. 18. venatorem eum ſalutat pullorum columbinorum, atque in equitando mulo vehi aſſerit, quæ ruſticantis certe viri ſunt oblectamenta; imo & ruralium ciborum ſæpe meminit.

Advertas rogo, ſi littoris omnem tractum ab Puteolis Pompejos uſque percurras, grandem villam Pæti, niſi Herculanei exſtructam dicas, vix reperies, ubi apponas. Sed cur his utar licet bonis argumentis, cum valentiora urgeant? Ipſe Tullius Pætum Herculanei ruſticari aperte docet in epiſtola 25. contractiora apponam verba, ne longiorem illam exſcribam: *Cum M. Fabio . . . mihi ſummus uſus eſt . . . is cum ad me Laodiceam veniſſet . . . repente percuſſus eſt atrociſſimis litteris, in quibus ſcriptum erat fundum Herculanenſem a Q. Fabio fratre proſcriptum eſſe, qui fundus cum eo communis eſſet . . . Nunc ſi me amas, mi Pæte, negotium totum ſuſcipe, & moleſtia Fabium libera . . . noli pati litigare fratres, &c.* Vel puer decennis pronuntiet, niſi Pætus Herculanei commoratus eſſet, fruſtra Tullium negotium hoc Fabiorum fratrum tam enixe ei commendaſſe, cujus auctoritatem probe noverat, & ſane rem magni momenti nemo abſentium fidei concrederet; & certo ſcimus ab Romanorum ardentium factionum diſcrimine, & tumultu ad Campana littora Pætum ſe recepiſſe ad otium & quietem. Hoc ipſum firmat Cicero ep. 2. lib. *16.* ad Att. ubi iterum dicit ſe a Puteolana regione *cogitare in Pompejanum, inde Herculanum*, nimirum ubi cum Papirio Pæto procul dubio labentis reipublicæ Rom. fatum elugerent, & ſi quid opis eſſet, afferrent. Præterea vides Tullium laudare panem, quo utebatur Pætus, convivisque apponebat, atque idem Cicero de ſe ait ep. ad fam. 20. lib. *9.* *Integram famem ad ovum affero; itaque ad aſſum vitulinum opera perducitur . . . proinde te para, cum homine edaci tibi res eſt . . . dediſcendæ tibi ſunt ſportellæ, & artolagani tui;* hinc Manutius definit *artolaganos* eſſe *panis genus*, & notum eſt adhucdum in ora Herculanei panes confici elegantes & jucundiſſimos: relegas rogo, quæ a me dicta ſunt p. 381. de pane Herculanei reperto. Et plenæ ſunt hæ epiſtolæ ad Pætum rerum, ac nominum, quæ ad illud oppidum pertinere certo dicas, veluti in ep. 25. legere eſt Pætum ſolitum comeſſe, ac combibere cum amicis Epicureis, & Rex auguſtiſs. ab ejus oppidi ruinis extraxit papyros, in queis de hac philoſophorum ſecta ſermo eſt; & non unas Epicuri parvas ex ære protomas, quas cariſſimas ſervat.

His intellectis, facile colliges, cum Pætus in Herculaneo agro villam dubio procul habuerit, ibique longiorem vitam vixerit, ab ipſius nomine *Pætinam* vocitari oportuiſſe, uti in reliquis aliorum dominorum fundis fa-

ctum trita res eſt, hinc ab ipſo Tullio de leg. ſæpe teneo *villa Curiana*, atque in fine epiſt. *16.* ad Pætum, *villa Seliciana*, *&c.* Neque dubites, quin ex *Pætus* educatur *Pætinus*, cum hoc nomine etiam conſules habeamus, vide indicem Almeloveenii. Si vero Plinii ætate Pætinam villam Miſenates claſſiarios occupaſſe legas, ait ep.18. Cicero, eo quod Pætus Pompeji partibus ſtuduerit, fortunis periclitatum eſſe: *Video te bona perdidiſſe . . . actum igitur de te eſt, niſi provides: potes mulo iſto, quem tibi reliquum dicis eſſe, quum cantherium comediſti, Romam pervehi*, *&c.* Idipſum de villa ſua timebat Tullius, quare iſthæc Pætum conſolaturus ſcribit: *Satis igitur nobis eſſe debet, quidquid conceditur; hoc ſi qui pati non potuit, mori debuit: Vejentem quidem agrum, & Capenatem metiuntur, hic non longe abeſt a Tuſculano*, *&c.* Nil mirum igitur, ſi poſt Pæti fatum Romani milites ad villam hujus conſularis viri nomine adhuc inſignem ad hiberna miſſos legere eſt. Ceterum ſi meam hanc divinationem de Pætina villa nil poſthabendis documentis fultam quis reprehendat, is profecto maxime urgetur, ut nos craſſioribus faltem conjecturis doceat, cur ea villa *Retina* audierit; (nam ceteræ lectiones monſtroſæ ſunt, & ſententiæ adverſantiſſimæ,) quæ vox unde ortum trahat, & quare villæ attributa ſit, prorſus augurari haud ſatis ſumus; cum contrario norunt omnes prædia, fundos, agroſque a dominis nomenclaturam ſibi adſciviſſe. Si vero ineptam vocem *Retinam* oderint, & hanc bonæ frugis, *Pætinam* ſcilicet probaverint cordatiores, noſcent fruſtra tot turbas eo de villæ nomine nuper excitas eſſe, & quantum tranſverſos actos, qui vel ſub Miſeno eam ſtiterunt, vel duplicem fabricati ſunt. Demum unum addam, me oppido parvam in eo villæ vocabulo mutationem induxiſſe, at contra cum doctiſſimi viri in Tullii ep. 2. lib. *16.* ad Att. viderint *Aculanum*, ſtatim, neque quis refragatus eſt, inverterunt, ternis elementis immiſſis, in *Herculanium*, vid. adnot. Manutii.

XII. Peccarem, niſi pauca adderem de πεγκτρυλλήτῳ Neapolitano athleta Melancomæ nomine, quem Dio Chrvſoſt. tanti æſtimavit, ut binas orat.28. & *29.* in ejus laudem concinnarit, & Themiſtius orat. 10. edit. Harduin. p. 138. Valenti Aug. exemplum propoſuerit. Contra vero plerique ex nuperis Scriptoribus ceteroqui doctiſſimis, propterea quod Themiſtium ſubſultim lectitarunt, vel in Petavianum interpretamentum jurati, Melancomam juvenem omnium Græcorum honeſtiſſimum & σωφρονέστατον adeo ἀτιμάζουσιν, ut cinœdum fecerint, ac Tito unice dilectum traduxerint; ejus autem σωφροσύνης cauſam me brevi acturum ſpondeo, utpote qui haud dubito, quin Neapolitanus civis fuerit, atque ab Themiſtio ſalutatur athleta κάλλιστός τε, καὶ μέγιστος, καὶ τὴν τέχνην εὐδοκιμώτατος· quam artem gymnicam Neapoli exercuiſſe ex Dione Chryſ. conſtat; piget ſane noſtratem præclariſſimum athletam ſanequam male audire apud exteras gentes, totque doctiſſimorum virorum dicteriis ejus famam integram puramque, tanquam ſceleſtiſſimam proſcindi.

Tam

Digitized by Google

Tam fœdam dicam Melancomæ inferendi in cauſa fuere verba Themiſtii, qui, cum dubii plenus hunc athletam Titum deperiſſe narret, interpretes Latini pro re certa prodiderunt, imo verborum ordinem turbarunt, & quæ Themiſtius Græce non dixerat, Latine illeverunt, ne Petavium ipſum, virum ἐξοχώτατον, excipias: porro verba penſitemus: Ἦν τις ἐπὶ τῶν προγόνων ἡμετέρων πύκτης ἀνὴρ Μελαγκόμας ὄνομα αὐτῷ, κάλλιστός τε, καὶ μέγιστος, καὶ τὴν τέχνην εὐδοκιμώτατος, οὗ καὶ τὸν Τίτον φασὶν ἐραστὴν γενέσθαι τὸν αὐτοκράτορα, quæ ita recte transfundas: *Erat majorum noſtrorum ætate quidam vir pugil, cui nomen Melancoma pulcherrimus, & fortiſſimus, atque in arte ſua celeberrimus, quem Titus Imp. fertur deperiſſe:* vides igitur de pugile, ejuſque nomine Themiſtium nihil dubitare; attamen rumuſculum ait fuiſſe (φασί) Titum perdite eum dilexiſſe. Contra Petavius videtur contra fidem Græcam, dum vertit, de nomine ſolummodo ambigere, pugilem vero fuiſſe cinœdum pro certo habere: *Fuiſſe olim majorum noſtrorum ætate pugilem quendam Melancomam nomine ferunt ab imp. Tito unice dilectum, qui & pulcherrimus idem, & maximus eſſet, & in arte ſua celeberrimus;* procul a ſua ſede voculam φασὶν dimoviſſe vides. Sane cum crimen illud in Dion.Chryſ. minime legiſſet Themiſtius, veluti quid incertum, & quod fama inaudiverat, adſcripſit. Hinc factum eſt, ut, quod Themiſtius dubii plenus dixerat, doctiſſimi quique pro certo venditarint, & Melancomam σωφρονέστατον Titi Auguſti ἐραστὴν traduxerint, ſcil. Petrus Faber Agoniſt. lib. 1. c. 5. pag. 27. Iſaacus Caſaubonus in diatriba in Dion. pag. 44. etiam Tillemontius vir ἀκριβέστατος in extrema cera artic. 8. in Tito. Cum primis Laſenæ iraſcor, qui Melancomæ συμπολίτῃ eandem turpem notam affigit in Gymn. Neap.p.78. ut inferioris ſubſellii Scriptores noſtrates, exteroſque taceam.

Negandum mihi præterea eſt hunc Auguſtum arſiſſe juvenem Melancomam; Themiſtius autem faciles aures præbuit iis, quæ in vulgus jactabantur: etenim Suetonius, qui Titi Imp. vitia libidineſque cap. 7. profert, inter *ſpadonum atque exoletorum greges* verſatum ait, atque inter *molliſſimos delicatorum*: e quorum numero non fuiſſe athletas novimus, niſi ſint ἐπιπονώτατοι, & eorum corpora vireſque, & maſcula & robuſtiſſima, in munere ſuo φαυλοτάτως ſtatim cerneres; imo ab Græcis ipſis habeo gymnicæ artis ſtudium, atque inſtitutum fuiſſe σωφροσύνην, ἐγκράτειαν, *temperantiam*, & *continentiam*, quod etiam ex ſanctis membranis tenes. Adde Themiſtium contra hiſtoriæ fidem ea de Melancoma noſtro orationi adſcripſiſſe, cum Dio Chyſoſtomus, qui tempeſtate hujus athletæ famæ integerrimæ vixerat, fœdam illam victitandi rationem eloquentiſſimus non vice ſimplici in binis laudatis orationibus deneget p.290. circ. init. Εἰωθότος δὲ τοῦ κάλλους εἰς τρυφὴν ἄγειν, καὶ τοὺς μετρίους αὐτοῦ μετειληφότας, τοιοῦτος ὢν τὸ εἶδος, ἔτι σωφρονέστερος ἦν, καὶ καταφρονῶν δὲ τοῦ κάλλους, κ. τ. λ. *quum vero pulchritudo ſoleat ad delicias trahere etiam mediocriter in ea florentes, ipſe cum tanta eſſet ſpecie, adhuc modeſtior erat,*

erat , *ipſamque contemnebat*, &c. Et pag.295. in fin. Εἰ μὴ γὰρ ἐγκρατής τε ϗ σώφρων ἦν, ὐκ ἂν, οἶμαι τοῦτο τῇ ῥώμῃ ὑπερέσχεν, ὐδὲ εἰ φύσει ἰσχυρότατος ὑπῆρχε, *niſi enim fuiſſet continens & modeſtus* , *non adeo, opinor*, *robore excelluiſſet*, *etiamſi natura fuiſſet robuſtiſſimus*. Idipſum apertius Dio adſtruit pag.296. in fin. Ὅτῳ γὰρ ὑπῆρξε μὲν κάλλος σώματος, ὑπῆρξε δὲ ἀνδρεία, ϗ εὐψυχία, ἔτι δὲ σωφροσύνη, ϗ τὸ ἀήττητον γενέσθαι, τίνα ἂν τῦδε τῦ ἀνδρὸς εὐδαιμονέςερον τίς φήσειεν; ϗ τοι αὐτῷ τύτῳ παραγενέσθαι χαλεπώτατον, τὴν ἀνδρείαν ϗ σωφροσύνην, κ.τ.λ. *qui enim præſtitit pulcbritudine*, & *excelluit robore*, *atque animis*, *præterea & modeſtia*, *atque invictus fuit*, *hoc viro quinam dicat feliciorem? porro eidem ineſſe difficillimum eſt fortitudinem peræque*, *ac temperantiam*, &c. Ex quibus non unis Chryſoſtomi locis colligere eſt falſum fuiſſe Themiſtium, qui licet ambigens, tam fœde de Melancoma meritus eſt, neque fidem inficetioris ſæculi ſui rumoribus, ſed ſapientioris ævi Scriptoribus præſtandam oportuit. Atque hæc ſatis, quo ab nomine hujus præclariſſimi athletæ, qui ſane flos Neapolitanæ paleſtræ audiebat, turpem ac ſatis indecoram noxam abſtergerem; neque importuna traducas, quippe cum multa ſatis de gymnaſiis hic mihi, & Neapolitanis præſertim dicta ſint, id unum reſtabat, ut Melancomæ virtutis ac σωφροσύνης, a qua diu ceciderat, cauſam agerem, quo Græcanicæ noſtræ civitatis reliquiæ ac monumenta integre ſancteque ſerventur.

Reſtat denique, ut inquiram, quo imperii ſui anno Titus Neapolim adventarit, atque an veteres id meminerint, quod non docuiſſe Mazochium indoleſco, muneri enim ſuo defuit. Et ſane bis Campaniam petiiſſe Titum ſcimus, primum quidem ante Veſuvii incendium, cum ex Hieroſolymitana excidione victor ovanſque ex Aſia Puteolos appulerit, ut ait Sueton. c.5. Verum tunc temporis urbem noſtram inviſere haud valuit, cum Puteolis Romam expeditiſſimum contendiſſe, quo patri inopinanti occurreret, adſtruat Tranquillus; quare ei non fuit otium ter τῦ ἀγωνοθετεῖν, neque γυμνασιαρχεῖν. Contra vero ex Xiphilino pag.756. eruo altero ſui imperii anno, τῷ ἑξῆς ἔτει, nempe poſt ejus montis conflagrationem, quæ primo accidit, ut ait Zonaras p. 578. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῆς ἡγεμονίας τῦ Τίτυ ἔτει πῦρ ἐν Καμπανίᾳ, κ.τ.λ. in noſtras oras ad viſendas calamitates accurriſſe: Πῦρ δὲ δὴ ἕτερον ἐπίγειον τῷ ἑξῆς ἔτει πολλὰ πάνυ τῆς Ῥώμης τῦ Τίτυ πρὸς τὸ πάθημα τὸ ἐν τῇ Καμπανίᾳ γενόμενον ἐκδημήσαντος, ἐπενείματο. Quoniam plurimus Veſuvinus cinis νόσον σφίσι (Romanis) λοιμώδη ϗ δεινὴν ἐνέβαλε, neceſſe fuit profecto, ut Titus diu in Campania degeret, quo Romæ peſtilens virus remitteret: quare & pluries Neapolitanis ludis baſilice præeſſe potuit, & theatrales ſtatuas reficiendi reſtituendique de ſuo quietem habuit: hinc Neapolitana reſpublica ſaxum grande ac περιβόητον Romanæ majeſtati & munificentiæ principis devotiſſima Græce, & Latine erexit, præſentique Tito appoſuit; dum vides cum hoc anno honorum titulos apprime συμφωνεῖν. Habendæ igitur gratiæ Dio-

Dioni Caſſio, qui & annum, & Campanam Titi peregrinationem meminerit, quam Suetonio hiſtorico crimini eſt præteriiſſe: verum majoribus noſtris ſanequam plures habendæ, qui tanti marmoris immortale fragmentum ſervarint, parietique affixerint, unde teſtatiſſimam novimus Imperatoris omnium, ſi Auguſtum excipias, præclariſſimi longiorem cum Neapolitanis moram, uberrimamque munificentiam. Rogatum te vellem, ne dubites, quin altero imperii anno Titus ad Campanas urbes acceſſerit; nam præter quam quod Dio aperte adſtruat τῷ ἑξῆς ἔτει, circa finem rerum ab hoc principe geſtarum, addit: *His confectis rebus, poſtremo die flevit, inſpectante univerſo populo, neque quidquam magnum geſſit: ſed in ſequenti anno*, (ἀλλὰ τῷ ἐπιγιγνομένῳ ἔτει,) *Flavio, & Pollione coſſ. &c.* vides hic Dionem meminiſſe inceptum ab Tito annum tertium, quippe qui imperarit ann. binos, menſes totidem, ac dies vicenos. Demum advertendum eſt Tillemontium init. art. 2. contra utriuſque Hiſtorici Suetonii, & Dionis fidem rerum geſtarum a Tito ordinem turbaſſe, cum narret hunc principem miſiſſe conſulares viros reſtituendæ Campaniæ, mox ſubdit, Titum teſtem αὐτόπτην earum urbium calamitatum fuiſſe; cum contra ſit, antea enim ipſe imperator mala illa inſpexerat, inde curatores miſit, qui afflictis civitatibus opem ferrent.

P A R S VII.

Marmor Titi Aug. Neapolitano theatro affixum, non vero gymnaſio, quod non fuit peculiaris ſtructuræ ædificium, idque prolatis omne genus monumentis oſtenditur.

I. TITI *Aug. titulus theatro affixus eſt a Neapolitanis, non vero gymnaſio, contra ac doctiſſimi quique rati ſunt. Gymnaſium non fuiſſe peculiare ædificium patefit.* II. *Vitruvii patrocinium contra Mercurialem, Fabrum, & Laſenam ajentis* gymnaſia non eſſe Italicæ conſuetudinis. *Pro hac tuenda ſententia plurimorum veterum teſtimonia proferuntur.* III. *Salebroſiſſimus Demoſthenis locus de Athenienſibus gymnaſiis contra nuperrimos interpretes, & veterem ſcholiaſten explanatur. Plutarchi ἀναλογία conciliatur. Dionis Chryſoſt. verba adverſus gymnaſium, ut peculiare ædificium appoſitiſſima.* IV. *Quæ contra objici poſſent, facile elevantur: Pauſaniæ χείμαρρον ſat tenebricoſum veteri nitori redditur. Gymnaſium tum γενικῇ ludorum loci notio eſt, tum non raro ludos agoneſque ipſos adnotat.* V. *De Laſena, & Auliſio, quod libris titulos illeverint* de gymnaſio Neapolitano, *querelæ. Strabonis verba de eodem gymnaſio εὐχαίροτατα commendantur. Neapoli nunquam fuere* amphitheatra, *contra ac ſentit Mazochius.* VI. *Auguſtini locus de Neapolitano gymnaſio antehac tenebricoſus plurima luce offunditur. Quid in lib. Machab. gymnaſium.*

I. HAbes marmor ſingulare, utpote bilingue, & tum in ſingulis fere verbis, tum in hiſtoria ſanequam aliter, ac Mazochius docte reſtituerat, & prolixius completum: reliquum nunc mihi ac du-

rius

rius opus ſubeundum, ut præſtem, theatro Neapolitano, (uti ſuperne fidem obligavi meam,) affixum, non vero gymnaſio, cui tum exteri, tum patrii Scriptores univerſi concordi ac ejurata fide, ne ipſo quidem Mazochio excepto, citius, ne dicam præcipitantius, quam par erat, addixere. Sic igitur ſtatuo, ut brevitati ſtudeam, hoc marmor jam περιβόητον, & Mazochii eruditione honeſtiſſimum, duplicique ſupplemento veluti in vitam reſtitutum, antea a majoribus noſtris vix curatum, Neapolitano theatro fuiſſe affixum, Titi Aug. munificentiæ, & reip. Neapolitanæ commendationis ad gloriam teſtem æternalem. Ac primo ratum ſane eſt ſaxum veteres cives publico ædificio appoſuiſſe, ubi & ludi gymnici, agoneſque celebrabantur, idque aperte docent voces γυμνασιαρχήσας, & ἀγωνοθετήσας · deinde Neapoli certo ſcimus theatrum fuiſſe tum ex Seneca epiſt.76. tum ex Statio noſtro loc. ſæpius laud. ad uxor. Conſtat autem ἀγωνοθετῶν munus proprium fuiſſe muſicos ludos curare, Heſychio religioſe id teſtante: Α᾿θλοθέτης ὁ τὰ μόνα γυμνικὰ, ἀγωνοθέτης δὲ ὁ τὰ μυστικὰ ἀκροάματα διατιθέμενος, & Neronem in theatro noſtro per plures dies ceciniſſe, quanquam vi terræ motus concuſſo, ſuperius jam multis dictum eſt; Titum igitur, eo quod Neapoli ἀγωνοθέτου officio functus eſt, in eo ſane loco ad id munus apparatiſſimo, & Auguſti majeſtate digno, in theatro ſcilicet, iis ludis præſediſſe fatendum eſt, inibique etiam ad ſuæ ἀγωνοθεσίας, qua ſplendidiſſime perfunctus eſt, grande monumentum, hunc lapidem δύγλωττον erectum. Si autem Titus in ſilice præterea gymnaſiarchus ſalutatur, norunt vel tirones in theatri cavea, ſeu τῷ κοίλῳ Græcorum more varia certaminum genera celebrata, quæ impenſa ſua ad Neapolitanorum gratiam indixerat Titus; neque alibi gymnicos ludos ab hoc Auguſto frequentari potuiſſe ajo; cum, ſi quod aliud grande ædificium cogites, vulgari opinioni adhæreſcendum tibi ſit, ita ut gymnaſium fuiſſe credas, quod peculiarem publici ædificii molem exſtitiſſe nunquam me legiſſe probe noverim.

Scio perneganti mihi gymnaſium peculiare ædificium fuiſſe vehemens odium ſubiturum, cum omnium animis a majoribus tradita contraria opinio penitus jam inſederit, doctiſſimique Scriptores æternos de ejus ficti ædificii ſtructura commentarios excuderint, &, ut ab exteris cuique notiſſimis Mercuriale, Petro Fabro, Panvinio, Baccio, Vandalio, Laurentio Juberto, Falconerio, &c. diſcedam, Laſena noſter de Neapolitano gymnaſio non parvum volumen compegerit, qui vel doctiſſimos in ſententiam traxit, interque principes Mazochium, tum in Camp. Amph. p.108. 142. tum in volum. de Eccl. Neap. ſemper unica p. 234. col. 2. in fin. abreptos magis ab recentiorum Scriptorum turba, quam veterum lectione atque auctoritate ductos; magnis enim ingeniis facilis præſtatur fides, ab eiſque decipi, præſertim ſi una conjurent, minime ſuſpicamur: ſi autem in tanta litteratorum turba mea fama in obſcuro eſt, nobilitate, ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo me conſolor. Itaque

que edico gymnaſium tam apud Græcos, quam Romanos nil aliud valuiſſe, quam vocem γενικὴν, qua ſignificatum eſt cujuſcumque ludorum genus, ſæpe etiam locus vagus & incertus, adeo ut ad litterarium ludum ſæpe extenderint; neque unquam detortum ad ὑλικὸν peculiare quoddam ædificium adnotandum, uti erat theatrum, amphitheatrum, thermæ, circus, xyſtum, balineum, & ſexcentena id genus; verum uti vox *ſenatus* apud Latinos, & apud Græcos *palæſtra*, quæ ambo nomina nihil ἴδιον præſeferunt, cum ſciamus, ubicumque, etiamſi in prato conventum egiſſent ſenatores, ibi *ſenatum* fuiſſe: & *palæſtram*, ubi athletæ ſe exercuiſſent: qua re minime antehac animadverſa, gymnaſticum negotium, atque agoniſticum intimis tenebris, cæciſque nubibus circumfuſum indoluimus, quanquam ſummæ litteraturæ viri ad eas detergendas inſudarint; quare fruſtra fuit Laſena, dum multa aggeſſit, quibus gymnaſium Neapolitanum veſtigaret, locumque ipſum ſedula ope perſcrutari adlaboravit, atque Campanum Mazochius. Utinam pro ea ſententia firmanda omnem argumentorum vim hic expromendi veniam impetrarem: quoniam autem in volumen res increſceret, alias daturum ſpondeo; in præſenti veluti periochas apponam, quo præſtem, ſi gymnaſium peculiare nihil fuerit ædificium, Titi inſcriptionem ejus parietibus affigi minime potuiſſe, verum theatro, quod certe Neapoli exſtructum veteres prodidiſſe oſtenſum eſt, ab eoque quædam collapſa, utpote terræ motu concuſſa.

II. Porro unde initium ſumam, incertus ſum, tanta dicendorum ſeges enaſcitur. Adeo autem verum eſt nullum peculiare fuiſſe genus ædificii gymnaſium, ut Vitruvius in lib. I. cap. XI. init. cui ſi quis obſtiterit, corpus ſine pectore ſit, oportet, *Italicæ conſuetudinis fuiſſe* palam neget. Piget me hic adſcribere, quæ Mercurialis, & Laſena, qui plurima pro tutando hoc ψευδογυμναστίῳ exararunt, obganniunt Vitruvio, indigna enim ſunt doctis ſane his duumviris: cum primus lib. I. c. 8. init. prædicet: *Vitruvii auctoritatem nunquam multi faciendam exiſtimavi, nempe quem* παραδοξολόγον, *& ſua ætate minime æſtimatum, &c.* Laſena vero p. 12. veluti falſum traducit, aitque, ſi non in urbibus Italiæ Latinis gymnaſium exſtiterit, in Italogræcis, uti Neapoli, exſtructum fuiſſe. Modeſtius ſe geſſit Petrus Faber in Agoniſt. lib. 3. c. 15. p. 547. utpote ambobus doctior, qui Vitruvii auctoritati valde pollenti parcens fingit ante Neronem ſe facile oſtendere poſſe nulla fuiſſe gymnaſia; in ejuſque ſententiam it pedibus Vandalius de Gymnaſiarch. p. *636*. Verum ipſe nemini magis iraſcor, quam Mercuriali, qui cum Vitruvii famam carpſiſſet, exinde in ceteris ædificiorum ichnographiis eo duce ac magiſtro uſus eſt. Porro mirari nunquam deſinam tot nuperos Scriptores ceteroqui ἀκριβεστάτους, cum Vitruvius exſtitiſſe in Italia gymnaſia pernegarit aperte, contra tanti viri fidem Neapoli, Capuæ, Romæ, & ubique urbium illa ædificata credidiſſe, aliiſque impoſuiſſe! Ceterum haud negem hunc architectum, cum palæſtras moris Romani eſſe palam inficiatus ſit, in eo cap. XI. tanta obſcuritate

Digitized by Google

laborare in deſignandis hujus Græcanici ædificii a ſe confiсti partibus, ut vehementer dubitem, quin Œdipus ipſe ejus verba, & operis σχῆμα divinare ſatis ſit; dum enim multiplicem, & fortaſſe indigeſtam molem comminiſcitur, coagmentat ex plurimis publicis ædificiis ſuum palæſtræ opus, quam nunquam vidit, neque ἰδίαν ſtructuram exſtitiſſe conſtat: hinc haud mirum, ſi tot nuperi Scriptores in adverſantiſſimas ſibi ſententias diſceſſerint, omnia turbarint, ac Vitruvium maledictis etiam proſciderint. Verum quo ſe habeat modo palæſtricum hoc Vitruvianum negotium, extricent alii. Tantam tenebrarum vim in Vitruviana palæſtra, exſpectant univerſi, ut depellat tandem Berardus Gallianus, ἐξοχωτάτου Regiæ noſtræ Academiæ præfecti longe gentium notiſſimi Cæleſtini Galliani, nuper ingenti ſui deſiderio relicto denati nepos, juvenis, præterquam quod tot elegantiorum artium cultu ſpectatiſſimus eſt, in architectonices diſciplina fortaſſe nunc primas agit; is dum omnium nitidiſſimam Vitruvii ἔκδοσιν doctis ſane adnotationibus, & perpetuo interpretamento honeſtat, & Scriptorem antehac σκοτινώτατον multa luce ſpargit, futurus ut explicet, cur Vitruvius pernegans palæſtras, *ſive gymnaſia* fuiſſe Italicæ conſuetudinis, (nec etiam Græcanicæ, ut ipſe mox oſtendam,) peculiare fuiſſe ædificium adſerat, parteſque ingentes ac multiplices deſcribat, quas tot doctiſſimi viri ad ſimul componendas fruſtra aggreſſos eſſe adhuc angimur.

Præterea adeo verum eſt gymnaſium non eſſe, niſi nomen incertum ac vagum loci, ubi ludi cujuſvis generis habebantur, ut in Gruteriano indice XI. *de ludis*, *feſtis*, *theatris*, *&c.* vocem gymnaſium illitam non videas; ſane ſi ἴδιον aliquod ædificium fuiſſet, cum ſexcentis aliis locorum nominibus adnumeratum inviſeres. Quid ſi ex ipſis gymnaſiorum propugnatoribus meam firmem preſſius ſententiam? Vandalius Diſſert. 8. de Gymnaſiarch. p.*636.* cum in Polluce, & Suida, (qui grammatici, niſi ſententiæ noſtræ adhæreſcas, omnia ſuſque deque miſcere ac turbare videntur, loca facile ex eorum indicibus colliges,) ſedulam luſiſſet operam, hoc pacto conqueritur: *Ex qualibus lexicographorum loquendi modis videmus, illos confuſe tantum de gymnaſiis loqui, partemque quandoque pro toto, totumve pro parte, quaſi unum idemque, allegare, dum potius reddunt, quid quæve ad iſta pertinuerint, quam quid revera ac definitive fuerint, aut quo proprie nomine ſint appellanda, &c.* Verum inique iraſcitur lexicographis vir ſummus Vandalius, quoniam quæ ipſe ſibi finxerat de gymnaſio, ſane in Polluce, & Suida reperire fruſtra adlaboravit. Vandalio addas P. Fabrum Agoniſt. pag. 547. lib.3. c.15. qui cum fateatur P. Victorem, (qui ſub Valentiniano, ac Valente Augg. vixit,) in libro de regionibus urbis loquentem gymnaſiorum nihil meminiſſe, licet enumeraverit circos octo, vel novem: thermas ſexdecim: balinea octingenta ſex & quinquaginta: theatra tria vel quatuor: amphitheatra duo: ludos quinque, ſex vel ſeptem: naumachias quinque vel ſex: ſtadia duo fuiſſe Romæ, litteratiſſimus Faber pag.548. Cornel. Taciti locum laudans

ſub

Digitized by Google

ſub Nerone gymnaſia erecta edicit; verum omnia probe conciliaſſet, & facile ſe expediviſſet, ſi advertiſſet publica omnia illa urbis loca γενικῷ nomine *gymnaſia* appellata; neque in tanta luce, quam ei Victor obtulit, nihil vidiſſet: verum qua a teneris imbuti ſumus opinione, ad Horatianæ teſtæ exemplar ægre deponimus.

Porro jam ſentio rem largius ſpatiari, quod mihi initio vetui; quare reor mixtim quædam, & per ἀνακεφαλαίωσιν apponenda. Et ſane multum firmamenti contra ψευδογυμνάσια porrigit Lucianus περὶ τῶν γυμνασ. ubi ſumma eruditionis apparatione, & ſalis lepore fingit Solonem docentem Anacharſin Scytham omne Græcanicorum ludorum & certaminum genus; cumque ſingula enumeret, ac feſtive more ſuo derideat, priva nomenclatura γυμνάσια appellat, etiam cum de locis ipſis ſermo ſit, & ut vides ipſe, hujus longioris dialogi titulus eſt περὶ τῶν γυμνασίων, quem Latine opportune verteres *de omne genus ludis;* atque hinc clare conſtat etiam apud Græcos γυμνάσιον quid ἴδιον fabricæ nomen minime audiviſſe: & commendare haud ceſſem Fred. Reitzium qui to.2. pag.882. hunc Luciani titulum vertit, DE EXERCITATIONIBUS (*vulgo de gymnaſiis*,) atque in adnotation. hæc adjecit: *Cl. Geſn. vertit* DE EXERCITATIONIBUS, *quod hic retinui; at cum* DE GYMNASIIS *inſcriberetur a priſtinis interprett. ego hanc inſcriptionem deinceps ſervavi, quia elegantiores ex hoc dialogo in notis Commentatorum ſic etiam ſunt inſtitutæ, & lectores huic inſcriptioni aſſueti minus commode loca indicata poſſent invenire, ſi titulus dialogi immutaretur*.

Addam Platonem l.*6.* de legib. p.*26*1. edit. Aldi, qui inſtituendæ juventutis ingenuæ leges perſcribens, exercitationes omnes in duplex genus diſpenſat, in γυμνάσια ſcilicet, quibus vires refici, atque in διδασκαλεῖα, quibus animos excoli jubet; ut jam videas, ſicuti vox διδασκαλεῖα neque peculiare litterarum ſtudium, vel locum indicat, ita & vocem γυμνάσια neque ἴδιον exercitii, neque ædificii nomen præferre; miſſa facio Platonis verba, quippe quæ longiora, optarem, ut legeres. Nemo clarius Diogene Laertio demonſtrat in Socr. lib.2. ſegm.43. p. 10*6*. γυμνάσιον peculiarem fabricam non fuiſſe, dum ait Athenienſes, poſt illatam huic ſapienti necem, ita pœnituiſſe, ut oſtraciſmo, vel capite damnarint accuſatores, & perdiu palæſtras & gymnaſia occluſerint: Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι ϗ παλαίστρας, ϗ γυμνάσια· ϗ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν· nemo niſi excors & moleſtiſſimus negaverit hic γυμνάσια eſſe omne genus ædificiorum, ubi Athenienſes exercebantur, quibus συνωνύμως ſe recte habent παλαῖστραι. Imo Dio Caſſius lib.53. pag.721. v.8*6*. edit. Reim. balneum, ſeu vaporarium ipſum γυμνάσιον appellat, dum ædificia, queis urbem ornavit Agrippa, enumerat: Τὸ πυριατήριον τὸ Λακωνικὸν κατεσκεύασε· Λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον, ἐπειδήπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθαί τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ, ϗ λίπα ἀσκεῖν μᾶλλον ἐδόκουν, ἐπεκάλεσε. Athenæus vero pag.307. edit. ſæp. laud. quæ γυμνά-

σια dicit, mox *φιλοσόφων διατριβὰς* vocat nomine ſatis *γενικῷ*. Nec obliviſcendus Pauſaniæ locus in Elide cap.23.p.511. 512. Lipſ.*1696.* qui plura percenſet gymnaſia, quæ tamen ſingillatim proprio nomine donarunt Elei; atque ait: *Γυμνάσιον ἀρχαῖον*, in quo in ludis Olympicis inſtituebantur, *καλεῖται ξυστός*· atque enumeratis ejus locis ornamentis addit p. 512. *Ἔστι δὲ ϗ ἄλλος γυμνασίου περίβολος, ὃς ἔχεται μὲν τοῦ μείζονος, Τετράγωνον δὲ ὀνομάζουσιν ἐπὶ τῷ σχήματι, ϗ παλαίστραι τοῖς ἀθληταῖς ἐνταῦθα ποιοῦνται*, *alius eſt gymnaſii ambitus majori proximus*, *Quadrangulum appellant ab ipſa figura*, *atque exſtructum eſt ad athletarum exercitationes*. Præterea inquit: *Ἔστι δὲ ϗ τρίτος γυμνασίου περίβολος, ὄνομα μὲν Μαλκὼ, τῆς μαλακότητος τοῦ ἐδάφους ἕνεκα*· erectum ſiquidem pro ephebis, ac ſtatuis Deorum puerorum refertum deſcribit, inibique fuiſſe etiam Eleorum curiam, quam & *γυμνάσιον* appellatam eſſe adſtruit, licet peculiari nomine dictam *Λαλίχμιον*, ab eo, qui illam dedicarat: *Ἐν τούτῳ τῷ γυμνασίῳ ϗ βουλευτήριον ἐστὶν Ἠλείοις . . . καλεῖται δὲ Λαλίχμιον, τοῦ ἀναθέντος ἐπώνυμον*. Qui quidem prolixior Pauſaniæ locus, (utinam omnem apponere potuiſſem,) antehac tenebricoſus ac perturbatus, nunc ordinis, ac lucis plenus eſt, vera gymnaſiorum notione prolata, quæ univerſe pro quibuſvis exercitationis ædificiis accipienda ſunt, licet peculiare nomen ſervarint ſingula, ſicuti terna hæc Eleorum pro ternis principibus ludis Olympicis, Athleticis, Ephebiacis.

Neque credas me Galenum devitaſſe, qui, ut nunc eſt interpretamentum, ſententiam meam omnino jugulat, ne illud quidem Charterii eximas, de Sanitat. tuend. lib.2.c.2. p.68. init. *Ea igitur communiter* EXERCITATIO *vocatur; proprie vero a loco denominatur, quem* GYMNASIUM *omnes appellant: is locus eſt in publica aliqua urbis regione exſtructus, quo ungendi, fricandi, luctaturi, diſcum jacturi, aut tale quidpiam facturi confluunt;* vides in hac Charterii Latinitate gymnaſium eſſe peculiarem loci ſtructuram: ſed in mentem revoces me fere ſemper Græcorum Scriptorum interpretibus, quos in hoc atramentario opere recitare oportuit, fidem deſideraſſe, quam etiam his Charterii verbis deeſſe conqueror; nam Græca Galeni aperte negant *γυμνάσια* peculiare fuiſſe fabricæ opus: *Τοῦτο μὲν δὴ κοινὸν γυμνάσιον ὀνομάζεται, ἰδίᾳ δὲ, ἀφ᾽ οὗπερ ϗ τὰ γυμνάσια προσαγορεύουσιν ἅπαντες, ἔν τινι κοινῷ τῆς πόλεως οἰκοδομησάμενοι χωρίῳ, εἰς ὅπερ ϗ ἀλειψόμενοί τε, ϗ διατριψόμενοι, ϗ διαπαλαίσοντες, ἢ δισκεύσοντες, ἤ τι τοιοῦτον ἄλλο πράξοντες ἥκουσιν*· quæ ſic ingenue refundas: *hæc communiter exercitatio vocatur, ob eam potiſſimum cauſam, quod gymnaſia univerſi appellant ædificia illa in aliqua urbis parte exſtructa, ad quæ unctionis, & frictionis gratia, & luctaturi, vel diſcum jacturi, aut tale quid acturi confluunt;* in hoc Galeni *ὑποκειμένῳ gymnaſia* plurativo numero ſunt, (contra ac reddidit Charterius;) neque de *ἰδίῳ* loco ſermo eſt, ſed *γενικὸν* vocabulum adhibitum, quo cujuſvis exercitationis publica fabrica indicaretur; ita ut ſententiam de vera vocis

gymna-

gymnaſii notione, quam tueor, cum primis Galeni voto firmiſſimam dicas, nec curandum, ſi mihi obſtet, ſubleſtum Charterii interpretamentum.

III. Hic autem urgeor quam maxime, quo antehac ſalebroſum Demoſthenis, ac inſignem locum explanem, ne credas cum turba omnium Scriptorum tum recentium, tum antiquorum tria Athenis fuiſſe gymnaſia, quod falſum omnino oſtendam, cum longe aliud ac cogitarint tot interpretes, & ſcholiaſtæ, expreſſerit ſummus orator, quin nullus æque ſententiæ noſtræ locupletior fundus eſt; adſcribam porro omne Demoſthenis κείμενον, (quod fortaſſe Solonis lex eſt;) cumque illud veris aptiſque ςίγμαις interpunctum ac diſtinctum legas, æqua omnia & plana vides: Εἴ τις γ' ἐκ Λυκείου, ἢ ἐξ Ἀκαδημίας, ἢ ἐκ Κυνοσάργους ἱμάτιον· ἢ ληκύθιον, ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ γυμνασίων ὑφέλοιτο· ἢ ἐκ τῶν λιμένων ὑπὲρ δέκα δραχμάς, καὶ τούτους θάνατον ἐνομοθέτησεν εἶναι τὴν ζημίαν, orat. in Timocratem p.476. ann.1607. *ſi quis ex Lyceo, vel ex Academia, vel ex Cynoſarge linteolum: aut ampullam oleariam, aut aliud quidpiam minimi pretii, aut quodvis vaſculum ex gymnaſiis ſurripuerit: aut a portubus ſupra decem drachmas, etiam bis capite pœnas eſſe luendas edixit.* Tria igitur loca publica diſcriminat orator, in quibus vel tenuiſſimæ rei furtum capital erat, quo confluentium ſecuritati conſuleretur; latrunculi enim, ubi maxima hominum frequentia eſt, libentius faciunt officium ſuum, quæ parva id genus furta nunc etiam temporis vel in templis factitari ſæpe indoleſcimus: primo litteraria ſcilicet, quorum terna enumerat, *Lyceum*, *Academiam* & *Cynoſarges*, ubi facillime erat ſurripere ἱμάτια, nempe *parva lintea*, aut *capitis tegumenta*, male autem interpretes univerſi reponunt *veſtes*, quo enim fieri poſſet, ut inter diſcentium turbas, ac propalam veſte aliquem quis exſpoliet? quod autem ἱμάτιον & *breve linteum*, & *capitis tegumentum* denotet, vide lexica. Secundo *gymnaſia*, quæ nequaquam terna dicit, verum quotquot Athenis erant, erant ſane quamplurima, ubi ſcilicet & certamina & ludi ad robur vireſque conciliandas exercebantur, quovis nomine cenſerentur; unde pronum erat ληκύθια, atque id genus τὰ σκεύη unguenti plena ſuffurari. Tertio demum lex capitalia edicit *furta portuenſia*, ſi decem drachmas exceſſerint, neque res ſurreptas definit, quippe in portus millenæ mercium ſpecies immittuntur & exonerantur. Cum igitur interpretes tria hæc κόμματα erroneis ςίγμαις inficete diſtinxerint, Demoſthenis, ſive Solonis ſententia tenebricoſa, omniaque turbata proſtabant; cum autem Lyceum, Academiam, Cynoſarges gymnaſia feciſſent, in litterarios ludos unguenta, & ampullas immiſerunt; cumque innumerabilia eſſent gymnaſticæ exercitationis loca, in terna coarctarunt.

Semitam, ne dicam viam huic errori admodum pœnitendo patefecit recentioribus maximæ famæ viris Ulpianus, Demoſthenis vetus enarrator, ſive ſcholiaſtes, qui p. 266. ait: Τρία ταῦτα γυμνάσια παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις· ἦν

δὲ

δὲ καὶ ἱερὰ, ἐπὶ μὲν τοῦ Λυκείου, λυκοκτόνου Ἀπόλλωνος· ἐπὶ δὲ τοῦ Κυνοσάργους, τοῦ Ἡρακλέους· ἐπὶ δὲ τῆς Ἀκαδημίας, αὐτοῦ τοῦ Ἀκαδήμου τοῦ ἥρωος, ἐξ οὗ καὶ ὁ τόπος ἐκλήθη, quæ ita verto: *tria hæc gymnaſia apud Athenienſes; erantque ſacra, in Lyceo, Apollini lupi interfectori: in Cynoſarge, Herculi: in Academia, ipſi Academo heroi, a quo locus nomen accepit:* in cujus grammatici veluti magiſtri verba omnes ſervorum inſtar deinceps eruditiſſimi quique jurarunt; ita ut quem non pigeat inde lectitare in Deorum templis ſumma religione cultis tot liberrimos gymnicos agones celebratos, quos in profanis locis agitatos certo ſcimus? Atque miror tanti valuiſſe penes P. Fabrum eam infrunitam Ulpiani ſententiam, ut nihil dubitarit in Agoniſt. pleno bonæ frugis libro pag. 118. in marg. adſerere: *Gymnaſia fuere Athenis tria, quod ſatis Græcorum pueris notum*, cum certum ſit Demoſthenis mentem aſſecutum non eſſe Ulpianum. Igitur luce clarius eſt ſummum hunc oratorem accepiſſe hic τὰ γυμνάσια non equidem pro ternis illis ἰδίοις philoſophorum ædificiis, verum pro publicis locis; erant autem Athenis quamplurima, in quibus corporis vires experirentur adoleſcentes, ſcil. thermæ, balnea, xyſta, δίαυλοι, ſtadia, quæ cuncta γενικῇ *gymnaſiorum* nomenclatura audiebant. Præter Fabrum huic Ulpiani ſcholiaſtæ ſententiæ, tanquam oraculo, (in pejus ſemper ruimus,) Mercurialis, & Petitus, Potterus, Weſellingius tres viri de legib. Atticis benemerentiſſimi, Falconerius, & ſæpe laudatus Vandalius adhæſerunt, quos quanquam apprime doctos ea in re vites rogo, ne te fama atque auctoritate abripiant, cum potior ſemper habendus unus Demoſthenes. Diverſum ſane fuiſſe Λύκειον a γυμνασίῳ divitem teſtem habeo Plutarchum in Ψηφίσματι to. 3. pag. 1565. edit. Steph. quam domi habeo, ubi ait de Lycurgo Butade, Καὶ τὸ γυμνάσιον, καὶ τὸ Λύκειον κατεσκεύασεν, quæ duo loca aperte diſtinguit: atque iſthæc verba facem præſtant iis, quæ paullo antè dixerat in vita decem rhetorum pag. 1546. de eodem Lycurgo: Καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε, καὶ ἐφύτευσε, καὶ τὴν παλαίστραν ᾠκοδόμησε. Lycurgus igitur prope Lyceum conſtruxerat quoddam gymnaſium, arbores plantaverat, addita etiam palæſtra: fieri enim haud poteſt, ut terna loca *gymnaſium, platanon, & palæſtra* unum Lyceum conſtituiſſent, in quo uni philoſophorum filii concertarent. Verum cum uterque Plutarchi locus non belle conſtet, nam in primo adſtruitur Lycurgum utrumque feciſſe & gymnaſium, & Lyceum, in altero circa Lyceum conſtruxiſſe gymnaſium, videtur ipſum Lyceum jam ab alio antiquitus erectum; ut autem minime ſibi ipſi obſtet Plutarchus, meo periculo priora illius verba ſic confinge tenui admodum mutatione: καὶ το γυμνάσιον ἐν τῷ Λυκείῳ κατεσκεύασεν, pro καὶ τὸ γυμνάσιον, καὶ τὸ Λύκειον, ut æqualis utrobique, & idem verborum & hiſtoriæ tenor ſit, uti revera in vita decem oratorum eſt, καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον ἐποίησε. Ceterum perdiu in Demoſthenis verbis illuſtrandis te detinui, quod me haud pœnituit.

Hic in mentem venit carus ſemper mihi, atque εὐκαιρότατος Dionis Chryſ.

Digitized by Google

Chryſ. locus, ubi narrat, quanta civium multitudine, & ſplendore ludos Neap. reſpub. celebraſſet, cujus omnem orationem 28. niſi tu ipſe legas, fidem haud impetrem: inibi enim ſophiſta Chryſoſtomus aperte præſtat γυμνάσιον, (de Neapolitano loquitur,) fuiſſe nomen non ædificii cujuſdam, verum agones, & loca ipſa γενικῶς accepta, ubi athletæ exercebantur. Ἀναβάντες ἀπὸ τοῦ λιμένος (Neapolis ſcil.) εὐθὺς ἐβαδίζομεν ὀψόμενοι τοὺς ἀθλητὰς, ὡς ἂν τὴν ὅλην ἐπιδημίαν πεποιημένοι κατὰ θεὰν τοῦ ἀγῶνος. Ἐπεὶ δὲ πρὸς τῷ γυμνασίῳ ἦμεν, κ. τ. λ. *Cum aſcendiſſemus a portu* (Neapolis) *confeſtim ibamus viſuri athletas, ut qui totam peregrinationem ſuſcepiſſemus ob certaminis* (ἀγῶνος) *ſpectaculum. Cum autem ad gymnaſium perveniſſemus, &c.* mox enumerat plures ſpecies gymnicorum ludorum, quos intuebantur, quoſdam ſcil. τρέχοντας ἐν δρόμῳ, *currentes in ſtadio:* vides igitur δρόμος, *ſtadium*, dici γυμνάσιον· addit deinceps τοὺς δὲ ἄλλους γυμναζομένους, *alios aliter exercentes*, ideſt in variis gymnicis locis, ludiſque vires ſuas expromentes: & ſane iſthæc loca, & ludos recte appellari gymnaſia nemo niſi moleſtus negaverit. Præterea Dio narrat ἐν Ἐξέδρᾳ Ἡρακλέους cum innumerabili ſpectantium turba vidiſſe τοῦ γυμναζομένου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰς χεῖρας ἀναπεπτακότος, *juvenis athletæ caput manuſque extenſas:* igitur Dio quod antea γενικῶς dixit γυμνάσιον, mox ἰδίῳ nomine vocat *Exedram Herculis;* & paullo ante δρόμον, *ſtadium*. Hinc jure opportuniſſima hæc Dionis verba ab initio ſalutavi, cum, & quam tueor ſententiam; apprime faveant, & circa Neapolitanum gymnaſium, quod huic longiori diatribæ cauſam dedit; verſentur. Neque obliviſcar Tullii locum, quem mihi præſtat Laſena noſter pag.227. & ſuſque deque verſat pag.228. inde cum Mercuriali adhæreſcens diu ſollicitaſſet, extricare atque enodem reddere nil potis fuit, & quo tandem ejus ſermo tendat, ignores; ceterum Tullius vocat *palæſtram*, *ſedes*, *porticus*, quibus & philoſophi, & gymnici exercebantur, mox terna hæc vocabula unica ῥήσει dicit *gymnaſia*, quo omnia exercitationum loca complectatur; vide Tullii verba in Laſena, longiuſcula enim ſunt; atque vir doctus *gymnaſia* hic oratorem adhibuiſſe ratus eſt pro peculiari ædificii fabrica, cui adnexæ eſſent *porticus*, *ſedes*, *& palæſtra*, monſtroſumque opus una cum Mercuriale exſtruxit, ut tabulam Horatianus pictor expreſſerat. Adde tam γενικὴν eſſe vocem gymnaſium, quanta eſt *forum*, quod me docuit Vitruvius lib.7. cap.5. circa fin. *In gymnaſio eorum, quæ ſunt ſtatuæ, omnes ſunt cauſas agentes; in foro autem diſcos tenentes, aut currentes, ſeu pila ludentes.* Imo & γενικωτέρως uſus eſt Aurelius Victor in Hadriano, (quem Antoninum fuiſſe vult Burmannus de vectigal. p.170.) dum inquit, *ſalaria, & gymnaſia doctoribus data*, & Themiſtius dicit *gymnaſium, & menſam* pag.318. edit. Harduini.

IV. His ita animadverſis, quæ contraria in antiquis Scriptoribus ſpecie tenus ſunt, facile ſecum conſpirant, licet eruditos quoſque valde torſerint; non enim eorum animi mentem venit gymnaſium in utraque lingua γενικὸν

nomen

nomen eſſe cujuſcumque loci, ubi agones celebrarentur: hinc haud ſatis fuere expromere, cur Tacitus lib.15. Ann. c.22. Suetonius in Neron. cap.12. & Xiphilinus p. 1001. vocent gymnaſium (a Nerone exſtructum, indeque ictu fulminis incenſum,) quod unus Capitolinus cap.8. p.266. in Antonino illud ipſum ædificium appellat *Græcoſtadium*, dum ait: *Opera hæc ejus* (Antonini) *exſtant Romæ, templum Hadriani honori patris dicatum, Græcoſtadium poſt incendium reſtitutum, inſtauratum amphitheatrum, &c.* prona ſiquidem ratio ſuccurrit, ſi dicas Tacitum, Suetonium, ac Xiphilinum vago ac γενικῷ ædificii athletici nomine uſum eſſe, notiore ac peculiari Capitolinum. Eodemque pacto interpretari mihi liceat Amm. Marcellinum lib.16. Hiſt. Xiphilinum pag.1152. in Trajano, cum quod *ſtadium* ille appellat, hic γυμνάσιον dicat; præſto ſunt utriuſque hiſtorici verba: *Templum, forumque Pacis, & Pompeji theatrum, & odeum, & ſtadium, aliaque inter hæc decora urbis æternæ*. Τὸν δ' Ἀπολλόδωρον τὸν ἀρχιτέκτονα τὸν τὴν ἀγορὰν, καὶ τὸ ᾠδεῖον, τό τε γυμνάσιον, τὰ τοῦ Τραϊανοῦ ποιήματα ἐν τῇ Ῥώμῃ κατασκευάσαντα . . . ἀπέκτεινε. Vides jam quod alter vocat *ſtadium*, alter τὸ γυμνάσιον· hoc enim tanquam genus, *ſtadium* veluti ſpeciem complectitur, ita ſane nil Marcellinum Xiphilino contrarium dices.

Præterea idem fuiſſe *gymnaſium*, ac *balineum* docemur ab hiſtoricis Herodiano, & Lampridio: ille enim lib.1. cap.XI. circa med. ait: Μέγιστον δὲ γυμνάσιον κατασκευάσας (Κλέανδρος) λουτρὸν δημόσιον ἀνῆκεν αὐτοῖς· hic vero cap. 17. p. 521. *Opera ejus* (Commodi Imp.) *præter* LAVACRUM, *quod Cleander nomine ipſius fecerat, nulla exſtant, ſed nomen ejus alienis operibus inciſum ſenatus eraſit*. Angelus Politianus videtur duas res feciſſe γυμνάσιον, & λουτρόν, dum ita Herodianum vertit: *Gymnaſium quoque maximum exædificaverat* (Cleander,) *publicatis etiam balneis*: præſertim cum τὸ *etiam* Græce non exſtet: quare ut ſibi σύμφωνοι ſint Herodianus, & Lampridius, ita verba Latine reddas: *Cum maximum gymnaſium*, (ideſt lavacrum, thermas, Cleander) *ædificaſſet, lavari publica impenſa Romanis indulſit*: & ſane λουτρόν ubique Scriptorum potius eſt aqua, qua abluebantur, quam locus. Miror ſane Mazochium virum in interpretandis Græcis voluminibus capitalem & ſollertem, cum uſus ſit his Politiani verbis Latinis in Camp. Amphit. p.142. in adnotat. nihil immutaſſe. Idem eſſe gymnaſium, ac balineum tenes etiam ex Plin. epiſt. ad Trajan. pag.760. etenim quod in ejus epiſtolæ initio *gymnaſium* dixerat, in ima ejus cera vocat *balineum*. Scias me reperiſſe iſthæc verba a Platone mutuatum Herodianum, quæ utpote opportuna, ſed corrupta, & contra fidem verſa apponam, & medelam faciam interpretamento, de legib. lib.6. pag.259. edit. Aldi, Πανταχῇ δὲ ἐν τοῖς τοιούτοις γυμνάσια χρὴ κατασκευάζειν τοὺς νέους αὐτοῖς τε, καὶ γέρουσι γεροντικὰ λουτρὰ θερμὰ παρέχοντας ὕλην παρατιθέντας αὔην, καὶ ξηρὰν ἄφθονον, quæ ita dat Latine Ficinus, *ubique autem in his gymnaſia juvenes tam ſibi commoda, quam ſenibus præpa-*

præparent, *calidis balneis conſtitutis* , *&* *copioſe ſiccis appoſitis lignis;* quare ſine periculo confingas τοῖς νέοις αὐτοῖς, atque vertas, *Ubique autem in his* (locis) *gymnaſia exſtrui neceſſe eſt pro ipſis juvenibus* , *&* *pro ſenibus*, *quæ propria ſenum ſunt*, *balinea calida præparentur*, *lignis aridis ingenti copia collectis:* vides Platonem juſſiſſe , ut urbs ædificanda in ſuis etiam locis habeat gymnaſia, in queis juventus exerceretur, & balinea, ubi ſenes reficerentur; non vero , ut refudit Ficinus , & Serranus tom. 3. pag. *761*. quem hic conſulere me non piguit, Platonem voluiſſe, ut adoleſcentes γυμνάσια , & λυτρὰ ſibi ipſis , & ſilicerniis conſtruerent appararentque ; qui enim fieri potuit , ut parvula ætas tantam pecuniæ vim erogaſſet, & ea ingentis molis opera excitaſſet, queis exſtruendis vix res omnis publica ſuffeciſſet ? Non igitur iſthæc intenderat Philoſophus, ſed quæ in interpretamento nos dedimus: & Ficini mentem turbavit librariorum error in voculis τὰς νέας αὐτοῖς , pro τοῖς νέοις αὐτοῖς, quem non advertiſſe tantum virum miratus ſum . Interea etiam ex Platone conſtat *gymnaſia* eſſe dictionem γενικὴν omnium ædificiorum pro adoleſcentum inſtitutione.

Neque mihi poſthabendus locus Spartiani H. A. pag. 717. de famoſa Antonini Caracalli cæde Alexandriæ patrata : *Inde Alexandriam petiit: in gymnaſium populum convocavit* , *eumque objurgavit: legi etiam validos ad militiam præcepit ; eos autem* , *quos legerat* , *occidit exemplo Ptolemæi Evergetis* , *&c.* ex quibus verbis facile quis opponeret gymnaſium fuiſſe ædificium proprio nomine; verum reponam ſicuti falſus eſt Spartianus in hiſtoria hujus teterrimæ cædis, ita etiam in nomine gymnaſii ; licet adſerere poſſem hanc vocem γενικῶς accepiſſe, nempe pro quovis incerto ludorum apparatu, uti ſæpe a Scriptoribus adhibetur . Quin hic Hiſtoricus erraverit, ne dubites; nam Herodianus aperte dicit Caracallum populum Alexandrinum non in gymnaſium, ſed in *planiciem* convocaſſe lib. 4. cap. *9.* Πᾶσαν τὴν νεολαίαν εἴς τι πεδίον κελεύει συνελθεῖν , in Herodiani verba jurarunt Jo. Antiochenus, & Suidas. Dio Caſſius, qui itineris Caracalli ſocius fuit , & quem rei geſtæ ratio fugere haud quivit, ſcribit pag. 130*6*. hunc principem Antiochenos juſſiſſe trucidari univerſos domi manentes: Μετὰ δὲ τοῦτο πάντα τὸν ϛρατὸν ἐξοπλίσας ἐς τὴν πόλιν ἀνέβαλε, πᾶσι μὲν τοῖς τῆδε ἀνθρώποις προπαραγγείλας οἴκοι μένειν, κ.τ.λ. itaque ſibi gymnaſium ὕλικον, vel ludum finxerat Spartianus, antiquiorum, & maximæ famæ hiſtoricorum biga ei palam contradicente ; quare jure advertit Reimar. p. 1307. *Dioni præſtandam fidem* , *ceteros famam incertam ſequentes locis*, *&* *temporibus pro ingenio quiſque ſuo accomodaſſe*. Conſulas etiam Tillem. in Caracall. art. 12. Quod de hoc Spartiani loco a me dictum eſt, idipſum cogites de verbis Valer. Maximi lib. *9*. cap. 11. de ſimili civium Alexandrinorum licet antiquiore internecione facta a Ptol. Evergete: *Frequens juventute gymnaſium armis*, *&* *igni circumdedit* , *omneſque*, *qui in eo erant*, *partim ferro*, *partim flamma necavit:* et-

 enim

Digitized by Google

enim Juſtinus lib. 38. cap. 8. longe aliter rem teterrimam eveniſſe narrat, nec gymnaſii meminit, ſc. per urbem omnem circumcurſaſſe milites, *queis licentia cædis data, & omnia quotidie ſanguine manaſſe*; quare Maximus, ſive is inficetus, qui Maximi libros contraxit, de ſuo appoſuit vocem *gymnaſium*, quam fortaſſe a Spartiano furatus eſt; vide adnotat. Hiſt. Aug. Interea advertas hanc unam ῥῆσιν quot Scriptores tranſverſos egiſſe etiam vetuſtiores quoſdam, quod veram *gymnaſii* notionem minime penſitarint.

Ne autem longius ſpatiari, & plurium veterum auctorum lectionem jactare videar, unum denique Pauſaniæ locum addam, qui, quem *hippodromum Olympicum* vocat, mox dicit γυμνάσιον τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, in Eliac. cap. 21. pag. 505. 506. cujus verba utpote inficete, & contra Græcam ſinceritatem converſa, ac oſcitanter diſtincta, hic adſcribendi indulgentia ſit, atque interpretandi: Τὸ δὲ ἕτερον τοῦ ἱπποδρόμου μέρος οὐ χῶμα γῆς ἐστὶν, ὄρος δὲ οὐχ ὑψηλὸν, ἐπὶ τῷ πέρατι τοῦ ὄρους ἱερὸν πεποίηται Δήμητρι ἐπίκλησιν Χαμύνῃ . . . καὶ φασιν ἀπὸ τοῦ Χαμύνου τῆς οὐσίας τῇ Δήμητρι οἰκοδομηθῆναι τὸ ἱερὸν, (ἀγάλματα δὲ ἀντὶ τῶν ἀρχαίων, Κόρην, καὶ Δήμητρα λίθου τοῦ Πεντέλησιν Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν Ἡρώδης,) ἐν τῷ γυμνασίῳ τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ· πεντάθλοις μὲν καθεστήκασιν ἐν αὐτῷ, καὶ δρομεῦσιν αἱ μελέται· quæ ita a me Latine accipias: *Altera hippodromi pars non eſt terra aggeſta, ſed collis non arduus, in cujus ſummitate templum exſtructum eſt Cereri cognomento Chamynæ . . . ajuntque ex Chamyni tyranni hereditate Cereri ædificatum templum, (novas ſtatuas pro veteribus, Filiam, & Cererem ex lapide Pentelico appoſuit Herodes Atticus,) in eo Olympico gymnaſio: quinquertionibus, & curſoribus cura ejus templi concredita.* Mox ceteras hippodromi partes Pauſanias enumerat, quem ſemel atque iterum *gymnaſium* vocat. Aperta igitur mens eſt Pauſaniæ, fuiſſe templum Cereri ex bonis Chamyni tyranni conſtructum, (ubi poſtea temporis Herodes novas ſtatuas erexit,) in hippodromo, ſive γενικωτέρῳ nomine, *gymnaſio*; illiuſque templi curam athletæ, & curſores gerebant: ita ut nova ſigna dedicarit Herodes in templo, ubi ſtatuæ opportuniſſimæ ſunt, non autem in gymnaſio, quod Cereri minime ſacrum erat: ratum etiam eſt curam templi, non autem gymnaſii, datam πεντάθλοις, & δρομεῦσι· etenim illud ἐν τῷ αὐτῷ referendum certe ad templum, non ad vicinam vocem gymnaſium, alias ſiquidem dixiſſet ἐν τούτῳ, & piget ſæpe interpretes in id genus puerilia peccata impegiſſe. Hæc autem pluribus expoſui, nam Xylander, Sylburgius, & Kuhnius treſviri Græce doctiſſimi omnia turbarunt, κόμμασι male interpunctis, παρενθέσει etiam poſthabita. Verum mea potius intereſt oſtendiſſe Pauſaniam, quod γενικῶς appellavit γυμνάσιον, jam antea dixiſſe ἰδίῳ nomine ἱππόδρομος.

Plautus etiam, ut Græcis Latinos adnectam, quod dicit *gymnaſium*, mox vocat *hippodromum*, Bacch. 3. 3. v. 21.

Gymnaſii præfecto haud mediocris pœnas pendes.

Et

Et v.27. *Inde de hippodromo, & palæſtra ubi reveniſſes domum.* Quoniam autem Plauti mentio eſt, addam bina hujus comici loca, ubi quam vaga & incerta fuerint ædificia τὰ gymnaſia, uſque noſcites, Amphitr.4. 1. v.1.

Naucratem quem convenire volui, in navi non erat,
Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit:
Nam omnis plateas perreptavi, gymnaſia, & myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palæſtra, atque in foro:
In medicinis, in tonſtrinis apud omnis ædis ſacras:
Sum defeſſus quæritando, nuſquam invenio Naucratem.

Fere eadem verba recinit in Epidic. 2. 2. v.12.

Age, ſi quid agis, Dii immortales, utinam conveniam domi
Periphanem, per omnem urbem quem ſum defeſſus quærere,
Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias,
Rogitando ſum raucus factus, pæne in curſu concidi.

Et Livio idem eſt *gymnaſium*, ac *Academia* lib.31. c.24. edit. Drakenborchii: *Et extra limes mille fere paſſus in Academiæ gymnaſium ferens pediti, equitique hoſtium liberum ſpatium præberet.* Nunc etiam lux eſt legi *6.* §.8. D. de excuſat. ubi *philoſophi*, *rhetores*, *grammatici*, *medentes* donantur immunitate γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπιστατμιῶν, κ. τ. λ. ideſt a *gymnaſiorum cujuſvis generis præfectura*, &c. ita ut etiam hic γυμνάσιον ſit quodcumque publicum ludorum exercitium; ſicuti nomina γενικά officiorum ſunt ἀγορανομίαι, ἱερωσύναι, ac ἐπιστατμίαι· quare ne adſentiaris cl. Cujacio coarctanti hic γυμνασιάρχας ad ſolos xyſtarchas. Iratus mihi ipſe vivo, quod initio hujus part. VII. oblitus ſum adnotaſſe Vitruvium ipſum, qui Græcanicæ palæſtræ, ſive gymnaſii partes delineare aggreſſus eſt, licet omnia commiſceat, in proœm. lib. *6.* vocem gymnaſium γενικῶς accepiſſe, dum ait, (ejus longiora verba contraham,) *Ariſtippum naufragio ejectum in Rhodienſium littus advertiſſe geometrica ſchemata, atque exclamaſſe, hominum veſtigia video, & contendiſſe ſtatim in Rhodum, & recta in gymnaſium, ibique de philoſophia diſputantem*, &c. vides ipſum architectorum principem, qui inter Græcos aſſeruerat gymnaſium, ſive palæſtram fuiſſe peculiaris ædificii nomen, etiam ad philoſophorum ſcholam detorquere; quare majorem fidem, ac conſtantiæ vim ei optandam quiſque animadvertit.

Quoniam autem gymnaſium non ſolummodo quorumcumque agonum locum ac ſpatium adnotat, verum etiam non raro ludos ipſos, ſpectacula, & certamina, ut ab initio admonuimus, idque lubenter quis exemplis præſtare poſſet tum Græce, tum Latine, bina, aut terna ex utraque lingua deprompta affatim fore reor, Propert. lib.3. el.13. v.1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona gymnaſii.

 Con-

Digitized by Google

Conſtat hic *virginum gymnaſium & palæſtram* valere peræque ac puellarum gymnicas exercitationes. Et Tacitus de Nerone ſcripſit : *Gymnaſia, & otia, & turpes amores exercendo, principe, & ſenatu auctoribus* Annal. lib. 13. cap. 20. Ab Galeno habes, ἀμέτρητα, πλεῖα, & πλειότατα γυμνάσια, quæ ſcis verti oportere, *immodicas*, *diuturnas*, & *laborioſiſſimas exercitationes:* quæ ſane altera gymnaſii notio bene multis veterum Scriptorum lucem etiam parit : & vide ejus librum, cui titulus, Πότερον ἰατρικῆς, ἢ γυμναστικῆς ἐστὶ τὸ ὑγιεινόν· & ſenos hujus ſummi medentis longiores λόγους ὑγιεινῶν, ſive *de ſanit. tuend.* quorum fere ſingulis capp. vox γυμνάσια, quatenus *exercitationes* cujuſcunque generis ſunt, ad ſatietatem illinitur. Adde Plutarchum in Ῥωμαϊκοῖς edit. Pariſ. tom. 2. p. 274. ajentem gymnaſia & palæſtras induxiſſe πολλὴν ἄλην, καὶ σχολὴν, καὶ κακοσχολίαν, κ. τ. λ. vide longiorem locum. Verum ſatis ſit exemplorum, cum verear, ne diu tædium jam crearim, qui pro brevitate juraveram. Ceterum unum rogatum te volo, ut, cum præterea ſexcenta inviſerim in antiquis auctoribus loca, Græca præſertim, in quibus gymnaſiorum, & gymnaſiarcharum mentio ſit, eo pacto intelligas, quo huc uſque a me διὰ βραχέων explanatum eſt: ſi vero quis ita vecors ſit, atque acerbus, ut quæ ediſſerui, quippe ab aliis haud obſervata antehac, temere a me ac inconſulto prolata traducat, is ſane confuſa ac perturbata pſeudogymnaſii notione, ſeriſque ſuis ſtudiis fruatur abunde: aliud huic non imprecari mihi in animo eſt, quam ut ipſum perdiu lateat hæc non fucata vocis *gymnaſii* διάγνωσις.

v. Ut autem ad περιβόητον noſtratem Titi Aug. lapidem ſermo relabatur, unde ſatis porro diſceſſerat, veſtigandum ſiquidem nobis erit, quodnam publici operis ædificium Titus decoraverit : eapropter, ſi his multis paratiſſimis argumentis probatum ſit gymnaſium nullum peculiaris publicæ ſtructuræ nomen prætuliſſe, & tranſverſos actos eſſe, quotquot edixere ſaxum illud gymnaſio affixum, (nam ſane ulterius quiſque ſciſcitari poſſet, cuinam gymnaſio appoſitum, nomenque peculiare ejus ædificii gymnici jure exquireret: peræque ac ſi quis reſponderet, *ludo*, *agoni*, *palæſtræ* adjectum marmor, cum ternæ hæ voces γενικώτατα nullum ſane peculiare publici ædificii opus menti offerant;) probe a me ſuperne dictum eſt grandem hunc Titi lapidem theatro adhæſiſſe, propterea quod vocem eſſe ἰδίαν publici operis, quod, Nerone concinente, motu terræ concuſſum, non uno divite teſte, certi ſumus. Si vero a Petro Laſena noſtro volumen de Gymnaſio Neapolitano male inſcriptum eſt, & quæ congeſſit de hoc a ſe ficto ædificio, & quotquot libros eruditiſſimi quique in ejus verba jurantes ſcripſere, ut eſt *commentarium* noſtratis Dominici Auliſii, viri ſummi de *gymnaſii conſtructione*, omnino corruant, neminem noſtrum pœniteat, ne videamur, dum patriorum Scriptorum famæ conſultum volumus, veterum concordem tum Latinorum, tum Græcorum auctoritatem minoris feciſſe.

Scio

Digitized by Google

Scio equidem Strabonem lib. 5. pag. 377. in cauſa fuiſſe, quo Laſena librum *de gymnaſio*, veluti de peculiari aliqua ludorum ſtructura publica confecerit, quippe qui aperte geographiæ ſuæ membranis illeverat ab Athenienſibus ultimis Neapolitanæ urbis colonis inductarum inſtitutionum veſtigia quamplurima adhuc ævo ſuo ſervari, ſcil. *Fratrias*, *Ephebia*, *Gymnaſia*: verum nunc primum quiſque ſatis eſt dignoſcere geographi mentem, qui perquam appoſite πληθυντικῶς ſcripſit γυμνάσια, quo teſtatum relinqueret Neapolitanos plurima gymnicæ exercitationis genera celebraſſe, non vero ei ſermonem eſſe de peculiari aliquo publicæ fabricæ ædificio; etenim ἑνικῶς dixiſſet γυμνάσιον · id quod firmant etiam voces φρατρίαι, & ἐφηβεῖα, quarum vocum ſcimus fuiſſe unam φρητόρων collegia, alteram valuiſſe puerorum ingenuas inſtitutiones, non vero ἴδια quædam ædificia. Quare amicis meis αὐτόχθοσι, & doctiſſimis ternam hanc a Strabone ſatis ſuperque commendo non temere factam partitionem, ſcilicet *rerum ſacrarum*, quarum cura φρήτορσι concredebatur: *ingenuarum diſciplinarum* pro epheborum inſtitutione, animique cultu: demum *gymnaſticorum ludorum* & *certaminum* vel ad delicias, vel pro corporis viribus reciperandis. Strabonem igitur vocem γυμνάσια accepiſſe dicas pro *ludis* & *certaminibus*, quæ in theatro, ſtadio, thermis, διαύλῳ, xyſto, hippodromo agitabantur, quæ loca cuncta γενικῷ vocabulo *gymnaſiorum* etiam celebrari poſſunt. Ne autem dicas geographum in ea voce *amphitheatrum* etiam accluſiſſe, cum nullum Neapoli fuiſſe ſatis conſtet, quippe urbe Græca, in eaque re cum Laſena conjuro, non vero cum clariſſimo Mazochio ad membranas monaſterii S.Sebaſtiani provocante in Amphit. Camp. p.142. in adnotat. quæ quanti ſint pro antiquitate tuenda pulchre novimus. Si autem quaſdam urbes Græcas originatione amphitheatrum inde exſtruxiſſe edocent vetera monumenta, exempli ergo Puteolos, id profecto accidit, quando jam Romanum imperium ſubiere, & diu ῥωμαϊστὶ victitarunt; quæ vero omnino ἑλληνικῶς, uti Neapolis, adminiſtrabantur, eas ſane amphitheatrum habuiſſe minime ſe probaturum ſperet Mazochius; & noſter Statius, cum fere omnia publica Neapolitanæ urbis ædificia enumeret, amphitheatri nunquam meminit. Græca enim elegans indoles, & humanitate politiſſima ſtrages, & tot gladiatorum paria ante ſpectatorum oculos miſere morientium longe abhorrebat: & norunt tirones Trajanum ad Plinium epiſt. pag. 761. deridere Græculos, eo quod theatris indulgebant ſemper, cum Romana ſævities amphitheatris humano ſanguine redundantibus delectaretur.

VI. Deveni tandem ad Auguſtini verba, in quæ veluti in ſyrtim me urgeri dicas, ajentis Neapoli revera fuiſſe gymnaſium, atque ad ea provocant plerique omnes Scriptores noſtrates, qui illud fuiſſe peculiare ædificii opus rati ſunt, contra Academ. to.1. lib.3. c.16. p.218. Antuerp. *Perſuadebis nimirum tanquam in Cumano gymnaſio, atque adeo Neapolitano nihil eum peccaſſe, nec erraſſe, &c.* Verum hoc Auguſtini κείμενον omnium diffi-

difficillimum dicas, tum ſi de Neapolis urbe noſtrate accipias, tum niſi hic gymnaſium γενικός locus ſit. Cum enim certum ſit Auguſtinum Tullium, ejuſque Academicos inſectari, neque ab hiſtoria notum, neque fieri potuiſſe, ut Latialis orator in urbe Græcanici oris, atque in publicis conventibus de philoſophorum ſcitis garriiſſet, quos nunquam curarunt Neapolitani elegantibus otiis florentes, & in omne genus ludos ac gymnica certamina effuſiſſimi; dicendum ſane aliam ab urbe noſtra Neapolim Auguſtinum cogitaſſe, eamque divinare haud arduum mihi futurum reor; qua detecta, dignoſces etiam hic gymnaſium eſſe vocem γενικήν. Nil dubii eſt, quin Aurelius eas urbes intelligat, dum Cumas, ac Neapolim meminit, in queis Cicero perdiu habitavit, imo & villas fabrefecit, in iiſque tanquam in gymnaſio Academicas quæſtiones ſcripſit, amiciſque communicavit, quarum binis libris adhuc fruimur, atque ab Auguſtino exagitantur. Notum autem eſt Tullium in regione circa Puteolos bina prædia ſibi exſtruxiſſe propter Cumas alterum, alterum non longe a Puteolis, ad Lucrinum ſcilicet, quod præclaro nomine *Academiam* dixit, vide Cluverium Ital. ant. ut taceam, qui oratoris vitam ſcripſere; quare paucarum litterarum mutatione pro *Neapolitano gymnaſio*, repone *Puteolano;* cujus quidem medelæ non una mihi ſuppetunt momenta; ſiquidem ſomniculoſi librarii non vice ſimplici binos hoſce populos, ac urbes inverterunt, vide quæ multa a me dicta ſunt pag. 456. de eorundem oſcitantia, qui in Rull. *Puteolos* apposuere pro *Neapolim*, & contra.

Præterea teneo ab Tullio libros Academ. quæſt. in Cumano exaratos, quod bis init. ipſemet fatetur: *Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum eſſet una Pomponius, &c.* inde paucis poſt verſibus: *In Cumano nuper, cum mecum Atticus noſter eſſet, &c.* Quin Plinius eos libros in Academia conſcriptos eſſe nos docet, in eamque ſententiam jurat Turnebus, conſule ejuſdem adnotat. Pliniique locum recitat; quare merito Auguſtinus utrumque locum meminit, cum lis eſſet, ubi quæſtiones illas Tullius membranis illeverat; quare vides importuniſſimum in Aurelii verbis τὸ *Neapolitano* pro *Puteolano*, cum Neapoli nihil prorſus commentatum eſſe Ciceronem conſtet. Adde, quo rem firmem, ſæpe Tullium binas haſce villas ita appellitaſſe, uti Aurelii locum ſanavimus, veluti in ep. 16. lib. 14. ad Att. *Perpaucis diebus in Pompejanum, poſt in hæc Puteolana, & Cumana regna renavigaro;* quare nemo Auguſtinum ab Tullii verbis deſciviſſe contendet, aut mendacii arceſſet edicentem quæſtiones Academicas Puteolis ab oratore conſcriptas. Quæ cum omnia bene conſpirent, ut etiam ſermo collineet, vides hic Auguſtinum, dum gymnaſium meminit, minime de peculiari ædificii ſtructura locutum, at contra γενικῶς eam vocem adhibuiſſe, cum ipſam Tullii Academiam eo nomine compellarit, eique gratiam habeo, quod nuperrimam gymnaſii notionem, quam tutamur, magis ratam fecerit.

Porro, licet fortaſſe iſthæc ſat vendibilis ſit de corruptis Auguſtini ver-

verbis conjectatio, teneo præterea quid opportunius, etiamſi quis locum integrum eſſe contendat, nempe *gymnaſium Neapolitanum* minime ſpectare ad Neapolim urbem principem Campaniæ, ſed ad illam novam atque puſillam, quæ Strabonis ævo exſtruebatur, ejuſque bis meminit geographus, inde Plinius, Plutarchus, & ſæpe Dio Caſſius, eratque proxime Tullii Academiam; neque te turbet, ſi Neapolim alteram audias in Puteolana regione Lucrinum & Bajas juxta: in mentem revoces eam jam ipſum Peregrinium advertiſſe, licet veterum Scriptorum loca tum pauca inviſerit, tum ſine ἀκριβείᾳ interpretatus ſit, vid. pag. 272. & 757. ubi inter cetera contra Leunclavium apponit: *Avendo egli troppo ſconvenevolmente appreſo, per non avere avuta buona notizia di queſti luoghi, che la NUOVA CITTÁ a Bauli vicina, era Napoli, la quale, come ſi è veduto, era Baja*. Quod cum verum ſit, haud neges Auguſtinum, quando iſthæc chartis contra Academicos inſcripſit, *in Cumano gymnaſio*, *atque adeo Neapolitano*, inſpexiſſe *Neapolim*, quam prope Lucrinum, & Ciceronis elegantem villam condiderant tot Romani proceres, qui ad eas oras amœnitatis & deliciarum plenas veluti facto agmine confluebant; in qua etiam ſententia neque gymnaſium eſt peculiare ædificii opus, ſed hæc eadem Tullii Academia, ſive prædium, quod & ipſe ſæpe vocat *Puteolanum*, & *regna Puteolana*. Sed neſcio, cur tantum iraſcatur Leunclavio Peregrinius, qui Dionis loco haud dubie corrupto & luxato nil medelæ fecit; magnus Reimarus pag. 920. non pauca adjecit in adnotat. quo Dionis verbis lucem afferret, & plurium Scriptorum ſententias collegit, quibus poſthabitis, apponit ſuam: otii longioris ſpatio res agenda eſſet, quo nunc careo; vix mihi nunc licet Dionis verba exſcribere cum ipſius Reimari interpretamento, inde quo pacto eſſe reſtituenda ratus ſim: Γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε Πυτιόλων, καὶ τῶν Βαύλων· τὸ γὰρ χωρίον τοῦτο κατ' ἀντιπέραν τῆς πόλεώς ἐστι, διέχον αὐτῆς σταδίους ἕξ καὶ εἴκοσι· *ponte injecto ei maris parti, quæ eſt inter Puteolos, ac Baulos; is locus eſt e regione urbis Puteolorum ſitus, diſtans ab ea millibus paſſuum tribus ac quadrante;* vides de ſuo adjeciſſe Latine vocem *Puteolorum* Reimarum, cum Græce non exſtet, qui ita nodum ſolvere exputavit. Itaque ipſe in Puteolanæ regionis deſcriptione confingam iſthæc verba, τὸ γὰρ τοῦτο χωρίον κατὰ νεωτέραν τὴν πόλιν ἐστὶ διέχον αὐτοῖς (Πυτιόλοις) σταδίους, κ. τ. λ. & vertam, *hic autem locus* (Bauli) *eſt prope novam urbem*, *diſtans ab ipſis* (Puteolis) *ſtadia*, *&c.* neque me audacem traducas, nam ex aliis Dionis locis hanc medelam opportunam oſtendam.

Utinam hic apponere poſſem omnia, quæ non inerti cura ex Græcis, Latiniſque libris corraſi, quo hanc Bajanam, ut ita dicam Νέαν-πόλιν contra omnium exſpectationem firmarem, ſed plures membranas implerem; exquiſita enim non pauca ad eas oras illuſtrandas ſuggeſſerunt: interea, ut te ea de re certum reddam, accipias bina apertiſſima Strabonis loca, qui curatiſſime, atque ad delicias eam regionem deſcribit init. pag. 378.

Digitized by Google

378. Ἐκεῖ (ἐν Βαΐαις) γὰρ ἌΛΛΗ ΠΌΛΙΣ γεγένηται, συνῳκοδομημένων βασιλείων ἄλλων ἐπ' ἄλλοις οὐκ ἐλάττων τῆς Δικαιαρχίας, *nam ibi* (prope Bajas) *NEAPOLIS ædificata eſt non minor Puteolis*, *aliis juxta alias conſtructis regiis villis*; & clarius pag. 375. Τοῦ Κοκκηΐου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα ἐκείνην π(ἀπὸ Ἀόρνου μέχρι Κύμης,) καὶ ἐπὶ ΝΕΑΝ ΠΟΛΙΝ ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ ταῖς Βαΐαις, *Coccejo cryptam ducente illam* (ab Averno ad Cumas,) *atque aliam ad NEAPOLIM ex Puteolis juxta Bajas*, vides igitur geographo ἀκριβεστάτῳ teſte Νέαν-πόλιν prope Tullii Academiam, quæ urbs veluti in dies augeſcebat, nam Titi aug. ætate de eadem iſthæc tradidit Joſephus Antiq. Jud. lib. 18. c. 9. Βασίλειοί τε εἰσιν οἰκήσεις αὐτόθι πολυτελεῖ κεχρημέναι κατασκευαῖς, φιλοτιμηθέντος τῶν αὐτοκρατόρων ἑκάστου προγεγονότας ὑπερβάλλεσθαι, *& regia ibi* (Bajis) *ſunt ædificia magnificentia, ac cultu elegantiſſimo exſtructa*, *imperatoribus majores ſuos ſuperare certantibus*. Nunc mihi ægre poſthabenda ſunt reliqua veterum tam Graja, quam Latiaria de hac *Nova urbe*, Νέᾳ πόλει, teſtimonia, præſertim non una Dion. Caſſii, Plutarchi in Mario, & in Lucullo, Plinii, ut Varronem taceam; ſed a me exſpectes rogo Puteolanam chorographiam, quam paratiſſimam habeo, in eaque impeditiſſima bene multa expediam.

Scias autem cum duplicem hanc Neapolim, noſtram ſcil. ac Puteolanam minime diſtinxerint noſtrates, exterique Scriptores, loca ſibi confinia longiſſime diſtraxerunt, & perquam ſejuncta innexuere: imo factum eſt, ut non una nomina locorum prope Bajas ob binæ Neapolis ὁμωνυμίαν in noſtra littora ab medii ævi Scriptoribus inſcitiſſimis, ac omnia confundentibus translata ſunt, veluti Luculli villa, & Vedii Pollionis χωρίον, ita ut nihil magis in noſtris hic littoribus celebretur ab doctis meis civibus, quam Lucullanum, & Pauſilypum, quæ juxta Lucrinum, & Bajas fuiſſe ab veterrimis membranis certum teneo. Tandem Mazochius, quem etiam duplicem Neapolim haud ſecreviſſe quiſque mirabitur, in Eccl. Neap. ſemper unica in Diatr. de Caſtro Lucullano hanc Bajanam Luculli villam, cujus magnificentiæ cauſa *Xerſes togatus* ſalutatus eſt, in ora prope inſulam Neſida tranſtulit, ita ut jam ipſa veluti errabunda terna vice locum commutarit; neque vir magnus advertit & inſulam, & vicinam plagam ſemper fuiſſe iniquiſſimi ſoli ac peſtilentiſſimi, ut habes ab Statio noſtro, ac Lucano; quæ aggeſſit veterum monumenta, & quæſitiſſima interpretamenta, quo hic Lucullanam immenſi operis villam ſiſtat Mazochius, vehementibus infeſta difficultatibus σὺν Θεῷ oſtendam.

Tandem, propterea quod inter gymnaſium diu ac jucunde verſati ſumus, eam vocem veluti ἀποθεώσει quadam conſecrandam exputo, quippe in ſanctis lib. Machab. 1. c. 1. 15. & 2. c. 4. 9. & 12. eam legimus: cumque Jaſon plurimis talentis ab Antiocho rege exſtruendum gymnaſium impetraſſet, nunc primum ſcimus nos latere, quodnam ethnicum ædificium gymnicum edificarint Judæi Hieroſolymis, cum γενικῇ voce γυμνάσιον eos erexiſſe Machabæorum auctor teſtatum reliquerit.

CA-

Digitized by Google

* *

C A P U T IIX.

De Fratriis Athenienſibus, ac Neapolitanis, eorumque nominibus, quas haud magnam partem urbis, vel civium, ſed breve ἱερατικὸν σύστημα fuiſſe oſtenditur, prolatis ex non uno noſtrate ſaxo eorundem antehac ignotis nomenclaturis.

P A R S I.

Φρατρία , & φράτορες quinam fuerint , γενικῶς pateſit , corpus ſcilicet paucorum virorum rebus ſacris faciundis addictorum Athenis , ac Neapoli , peræque ac erant in aliis urbibus ὀργεῶνες , ac θιασῶται.

I. NON *uni de fratriis Scriptores commentati ſunt , quorum extremus Mazochius , de ejuſque labore judicium .* II. *Φρατρίαν non eſſe partem urbis , ſive cu*riam , *ſed ſacram κοινωνίαν , juxta ac* orgeones , *ac* thiaſotæ , *aggeſtis veterum Scriptorum monumentis , præſtatur : numerus φρατόρων divinatur , triginta nimirum .* III. *Hinc multa lux eſt antiquis Scriptoribus . Quædam ſacræ φρατόρων ceremoniæ , ſcil. victimas excipere pro filiorumſam. γνησιότητι , &c. non unæ veterum membranæ illuſtrantur .* IV. *Eorundem ſacra miniſteria pro fauſto puellarum , quæ nuptui dabantur , eventu : querelæ de Salmaſio , Petito , &c. Δίχεσθαι , & φρατριάζειν quid in Suida . Neapolitanorum voces* fratanciæ , & fratanciarii *honeſtiſſime , contra ac Mazochius edicit ; eſſe noſtræ Atticæ vetuſtatis reliquias pateſit .* V. *Fratores fuiſſe ἱερατικὸν σύστημα etiam ex Neapolitanis non unis ſaxis , & ex eo præſertim , quod longiſſimum eſt , & περιθρύλλητον · etiam ex Phœnicia originatione* פרט, *atque ex communi vita , quam agitabant . Fabella Accæ Laurentiæ , & fratrum Arvalium in novam lucem educitur .* VI. *Adſtipulatur Homerus , qui docet dictionem ἀφρήτωρ ſacram eſſe , ejuſque verſum præpoſtere Tullius interpretatus eſt : querelæ de Blanchardo . Notio vocum φρατρία , & φράτορες non ab cujuſcumque ætatis , ac pretii grammaticis deſumenda ; imo neque a Græcis Scriptoribus Romanenſibus , uti Caſſio , &c. ſed a Græcis αὐτόχθοσι , & felieiſſimi ævi , licet erudītiſſimi noſtræ ætatis viri contra ſint . Quid στρατόπεδον . Platonis locus obſcurus illuſtratur , ac ſanatur , vox φυλή pro φρατρία .*

I. TAndem ad extremum reip. Neapolitanæ , & maximum decus illuſtrandum aggredior, quod unum reſtat, ut omnia fere Græcanicæ olim civilitatis noſtræ ornamenta percenſeam , licet veluti raptim ea percurrere ſuperiori capite in ſeptenas partes diſciſſo tentaverim ; quis enim res tanti momenti intra breves , quos mihi ipſe præſcripſi cancellos, univerſas pro dignitate ſimul explicet atque colluſtret ? De Neapolitanis fratriis ſermo mihi inceptandus eſt , quas cum tot doctiſſimi

 viri ,

Digitized by Google

viri, atque ἐξοχώτατοι explanandas ſuſceperint, angebar ſane adhuc tenebris obſitas jacere, & tot diatribis, imo editis tot libris, oppreſſiſſe magis magiſque, atque involviſſe, ita ut res difficultatis plena videretur, ne ἀδύνατον dicam, ut fratriarum noſtrarum notio in ingenitam veritatem tandem proſiliat. Verum grande voluptatis argumentum ceperam, cum inaudiviſſem Mazochium, noſtrarum antiquitatum promum condum ſumma ſedulitate ob cujuſdam concertationem cauſæ, quæ ab parvis initiis profecta eo crevit, ut Romæ, & Neapoli pro partium patrocinio ingentia volumina pervolarint: proque litigantium victoria intererat profecto vetus inſtitutum fratriarum noſtrarum, originationem, & nomen penitius ſcrutari, Mazochium inquam id argumentum pertractandum ſuſcepiſſe; rebar enim quæſitiſſima Græcanicæ eruditionis apparatione omnia præoccupaſſe, & materiam elegantiarum plenam, atque ad maximum Neapolitani nominis incrementum etiam Hebræis luminibus exornaſſe.

Itaque appetentiſſimus, vix ut lucem vidit diſſertat. hiſt. de Eccl. Neap. docta ſane, ac laborioſa, arripui; verum reperi pag. 139. longiuſculæ adnotationis illuſtrem titulum: *De antiquis Neap. Reip. Fratriis. Earundem nomina quædam ex marmoribus eruuntur:* res vero ipſas adverti ab Reineſio jam occupatas in binis locis, quos ſumma fide recitat Mazochius, cl. 1. 156. & cl. 6. 37. atque ipſe Reineſius, quæ noſtrates Scriptores, præſertim Capacius, exprompſerant, recoquit. Unum autem mirari non deſinam notam ſatis, & bene longam Vandalii diſſertationem IX. de Fratriis, Thiaſis, & Orgeonibus, &c. p. 728. Mazochium aſſidua lectione diligentem latuiſſe, ubi melius quæſita, deque noſtris fratriis plura, quam Reineſius illevit. Verum ipſe Vandalius fere omnia corraſit ex Salmaſio, qui etiam Mazochium fugit, & omne caput 4. ad jus Att. & Rom. a pag. ſcil. 89. ad 156. impendit, quo explicet terna nomina *Fratores*, *Orgeones*, ac *Thiaſos*, ubi eruditiſſima quæque interſerit ſacco, non manu, ſed omnia turbata vides, atque quo tandem tendant, vix percipere ſatis fui. Corſinius in Faſtis Att. quem ſpes erat fore, ut docte more ſuo de fratriis commentaretur, pauca admodum to. 1. pag. 198. adjecit. Quare adhuc eorum, quæ de fratriis ſcripturum ſe deſponderat Laſena, deſiderio tenemur. At in votis erat, ut, ſi egregie mereri de Neapolitanis fratriis voluiſſet Mazochius, enodaſſet τῶν φρητόρων inſtitutum, unam ſaltem, aut alteram noſtrarum fratriarum nomenclaturam in lucem extraxiſſet, præter eas, quas adnotarunt Capacius, Reineſius, Vandalius, &c. quo enim plures enumeramus, eo Neapolitanæ urbis amplitudo potius commendatur; demum ejus vocis φρατρία etymon vero propius ex orientis linguæ gazis, quibus ipſe ditiſſimus eſt, exprompſiſſet. Quæ cum mihi excutienda reliquerit vir ſummus, ea pro viribus, & διὰ βραχέων dicturum ſpondeo.

Nemo ſane mihi inficiabitur, niſi ſit valde pertinax, Athenis dumtaxat, & Neapoli fuiſſe fratrias, cum nuſquam aliarum civitatum id nominis reperire ſit; (non curandus, ſi quendam ex ſcholiaſtis hac in re adverſarium

rium quis mihi opponat:) quare cum deſtituamur Scriptoribus, qui nos doceant Neapolitanarum fratriarum inſtitutum, contrario iis abundemus, qui ſatis luculenter illud Athenienſium explicarunt, oportet ſiquidem ab fratriis Athenienſium rationem ac naturam noſtrarum dignoſcamus, cum utramque rempublicam eadem ἑλληνικῶς victitandi norma floruiſſe fundos dedimus ſuperne Strabonem p.499. & Philoſtratum p.489. quorum alter ſatis aperte vocat Neapolitanos Athenienſes, alter aſſerit fuiſſe Ἀςυκὸς. Cum autem hoc caput, uti ſuperius prolixitate laboret ſua, in ternas partes diſtractum tenes, quo res clarior ſit; atque in prima de fratriis γενικῶς agetur, in altera, ac tertia ſingillatim de iiſdem ſermonem inſtituam, & ſenas antehac ignotas in lucem proferam.

II. Porro φρητρία nomen, & φρήτορες in Homeri poematis conſecratum eſt, unde poſtea ſibi arceſſivere Athenienſes, & Neapolitani, qui divini vatis ſtudio arſere ſemper, vid. Il. β. v. 362. 363. licet hic dicatur φρήτρη, non φρητρία. Et Il. ι. v. 63. ubi legere eſt, ἀφρήτωρ· de quibus Homeri verſibus paullo inferne. Edico igitur φρητρίαν, ſive Attice φρατρίαν non fuiſſe Athenienſis urbis partem vel ὑλικὴν, vel ſat multorum civium cœtum, veluti Romanas curias, uti vult Mazochius, & quotquot novi longiores ea de re commentarios conſcripſiſſe; ſed dumtaxat quoddam collegium paucorum Athenienſium in unaquaque tribu, ſeu potius δήμῳ templis Deorum, ſacriſque ceremoniis addictorum; ita ut δῆμος unuſquiſque φρήτορας hoſce ſibi eligeret, qui res ſacras, victimas, ſacrificia curarent; quam ſodalitatem φρητρίαν ipſi vocarunt: eæque tribus, ſive φύλαι peculiare numen ſibi quæque colendum adſciverunt. Quod adeo ratum ac certum dicas, ut ubique litteratorum marmorum legas ΘΕΟΙΣ ΦΡΗΤΟΡΣΙ, quo intelligas marmor illud erectum auſpicio Deorum, quorum templi cura erat penes ſuos φρήτορας, numenque κυρίῳ nomine ſæpe etiam apponunt, vide id genus lapides apud Reineſium, Capacium, Vandalium, & qui a me adſcripti ſunt inferius.

Sexcentena argumenta mihi præſto ſunt, queis comprobem φρήτορας fuiſſe ſolummodo paucos numero miniſtros rerum ſacrarum. Porro nullusdum adhuc dubitavit ὀργεῶνας, ac θιάσυς fuiſſe quorundam Deorum ſacerdotes in aliis Græciæ civitatibus, vid. Vandal. p.730. Et Salmaſium in toto, quantum eſt, cap. IV. in jus Att. & Rom. qui quidem vel Baccho, vel Apollini, vel Herculi litabant ex unoquoque δήμῳ ad id muneris adlecti: in re certa unum, aut alterum exemplum proferam: Etymologicus in voce Γεννῆται ait: Γεννῆται, συγγενικῶν ὀργίων, ἢ Θεῶν, ἀφ' ὧν Ὀργεῶνες ὠνομάσθησαν, ἢ οἱ ταύτυ γένυς μετέχοντες, ἢ ἀπ' ἀρχῆς κοινὰ ἱερὰ ἔχοντες, quæ ſic vertas: Γεννῆται, *ob ejuſdem gentis orgia, & Deos, Orgeones vocati ſunt, aut quia erant ejuſdem generis, aut ab initio communia ſacra habebant*. Idipſum clarius dicit Pollux, utpote Etymologico antiquior, lib.8. fragm.27. Ὀργεῶνες, οἱ κατὰ δήμυς ἐν τακταῖς ἡμέραις θύοντες θυσίας τίνας, *Orgeones ſunt, qui ſtatis diebus in ſuis tribubus*

 ſacri-

ſacrificia offerunt. Et vide locum, quem ex Suida affert Vandal. p. 735. rem, qua de mihi ſermo eſt, cum primis firmantem: quare merito Salmaſius pag. 104. *Ex his*, ait, *ſane conſtat certum corpus, & collegium conſtituiſſe orgeonas, & eorum munus fuiſſe ſtatis temporibus ſacrificia quædam Diis, & heroibus facere, atque etiam defunctorum memoriam, qui ea fieri teſtamento caviſſent, celebrare*. Præterea θιάσυς, & θιασώτας, ſeu θιασίτας etiam fuiſſe ſacrorum adminiſtros quoſvis teſtes habeo: ſatis ſit Harpocration in lexico: Θίασος ἐςί τι ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ, ἢ τιμῇ τῶν Θεῶν, *Thiaſus eſt multitudo collecta ob ſacrificia, & cultum Deorum*. Rogatumque te volo, ne hos θιασώτας, ſeu θιάσυς cum Bacchi thiaſis confundas, quos aperte diſcernit Heſychius: Θίασος, εὐωχία, καὶ πλῆθος, ἐ μόνον τὸ Βακχικὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐργατικόν· quorum verborum mens eſt: *Thiaſus eſt epulum*, Bacchantium ſcil. *aut quivis cœtus non ſolum Bacchicus, ſed & eorum, qui aliquod ſacrum operantur*. Verum doctius præ me, & quamplurimis exemplis aliis tum orgeonas, tum thiaſotas ἱεροποιὲς fuiſſe laudato cap. comprobavit Salmaſius, comparatque collegio augurum, pontificum, & fratrum arvalium: imo p. 147. ut clarius, qui ſint θίασοι, explicet, hæc ſcribit: *Collecta igitur multitudo, & in collegii, vel ſocietatis corpus redacta ad honorem cuicumque Deo exhibendum, & ſacra ejus celebranda* Θίασος *vocabatur, &* θιασῶται *ejus ſocietatis conſortes: tales ſunt, quas hodie vocamus confratrias in honorem alicujus Divi congregari ſolitas ex artificum, vel opificum plebe; cum ſingula opificia Sanctum ſuum, cui ſe conſecrarunt, & quem proprio cultu venerantur, habeant: quæ confratriæ* θιάσοις *veterum Græcorum plane ſimiles deprehenduntur: quemadmodum enim Græci* θιάσυς *Baccho, Herculi, Apollini inducebant, ita hodie confratriæ huic, aut illi Divo ſe addicunt, & natales ejus celebrant feſtis.*

Cum igitur orgeones, & thiaſotæ audiant in Græcis φύλαις miniſtri ſacrorum, non tribuum δῆμοι, vel urbis alicujus portio, in eadem ſane notione neceſſe eſt, accipias φρητείαν, & φρήτορας, cum veteres ternas has voces confuderint, idemque adnotare edixerint: Etymologicus enim Ὀργεῶνες, ait, σύνταγμά τι ἀνδρῶν, ὡς τῶν γεννητῶν, καὶ τῶν φρατόρων, ἀπὸ τῦ κοινῇ ὀργιάζειν, καὶ θύειν τοῖς Θεοῖς, ex quibus verbis etiam perſpicis orgeonas, & fratores res Deorum, & ſacrificia curaſſe. Et ut antiquiores, & maximæ famæ Scriptores proferam, idipſum habes ab Athenæo, cujus verba mihi præſtat magnus Salmaſius ibid. p. 134. ſimul recenſente τὰ φρατρικὰ, καὶ ὀργεωνικὰ δεῖπνα. Quin & Suidas in collectan. ne poſthac quid vel moleſtiſſimus dubitet, eos ἰδίῳ nomine Sacerdotes appellat: Σελευκὸς δ' ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν Σόλωνος ἀξόνων ὀργεῶνας φησὶ καλεῖσθαι τὺς συλλόγυς ἔχοντας περί τινας ἥρωας, ἢ Θεὺς· ἤδη δὲ μεταφέροντες καὶ τὺς ἱερέας ὅτω καλῦσιν· *Seleucus in commentario in Solonis leges orgeones*, (ergo etiam & fratores,) *inquit appellari eos, qui ſimul conveniunt pro iis, quæ Semideorum, vel Deorum ſunt, curandis; quos tranſlato nomine etiam ſacerdotes vocant;*

Digitized by Google

cant ; quibus verbis nihil pro mea de fratriarum ſententia optabilius ac concinnius.

Quid ſi numerum etiam horum fratorum, ſive ſacerdotum in unaquaque φύλῃ divinare ſatis fui ? eos autem triginta fuiſſe reor ; iſque numerus nec ſacra ratione caret, cum terna δεκάδι conſtantem vides; quantum autem veteres τριάδα amarint protrita res eſt: qui quidem admodum exiguus numerus aperte præſtat nonniſi quoddam collegium virorum electorum audiviſſe fratriam, non civium multitudinem partem grandem urbis incolentium, uti vulgo in animum induxere omnes. Jubent ſiquidem Atticorum leges edit. Weſſeling. pag. 647. tit. XI. *de convivis*, τὺς κεκλημένυς μὴ εἶναι ἐπὶ τοῖς τριάκοντα, *convivæ plures triginta ne ſunto:* φρήτορας autem ſimul cœnas celebraſſe, & vocatos eſſe συσσίτυς & ὁμογαλάκτυς nec non ὁμοκάπνυς inferius oſtendam. Præterea legere etiam eſt in Athenæo lib. 6. cap. 11. ſtatutos fuiſſe inſpectores, qui perquirerent, an plures, quam 30. una cœnarent, & celebrarent convivia: Οἱ γυνοκόμοι μετὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἐσκόπυν ἐν ταῖς οἰκίαις συνόδυς ἔν τε τοῖς γάμοις, καὶ ταῖς ἄλλαις θυσίαις. Et ne dubites de φρητόρων conviviis, & ſacris cœnis, nam opportune habes ex Athenæo interdictum numerum majorem triginta etiam ἐν ταῖς ἄλλαις θυσίαις. Adde demum hos φρήτορας, utpote ſacerdotes habuiſſe ἐπόνυμον templum φρατρεῖον, Pollux lib. 3. frag. 52. in quo, quæ ſacrificabantur oves, vel capræ, ait idem onomaſticographus dictas, ὄϊς φρατήρ, atque αἴξ φράτριος, & quædam ſacrificia pro puerorum oblatione μεῖα appellata.

Ex quibus clariſſime elucet hæc omnia, quæ ad φράτορας, & φρατρίαν ſpectant, conſpirare in ἱερατικὴν κοινωνίαν, ſacrumque miniſterium. In quibus omnibus multam facem mihi præſtitit Pollux laudato fragm. quod antehac tenebricoſum ſatis, & in quibuſdam verbis affectum, & nunc forte in clara luce verſatur: qui, poſtquam vocabula φράτωρ, φρατριάζειν & Θεοὶ φράτριοι enumeraſſet, inquit: Τὸ δὲ ἱερὸν, εἰς ὃ συνῄεσαν, φρατρεῖον ἐκαλεῖτο· καὶ τὸ σύστημα, φρατρία· οἱ δὲ καθ᾽ ἕκαστον, φράτορες· καὶ ὄϊς φρατήρ, καὶ φράτριος αἴξ ἡ θυομένη τοῖς φράτορσι, (corrige Θεοῖς φράτορσι· quæ ſequuntur binæ voces, ἐκαλῦντο δὲ καὶ φρήτορες, nihili ſunt, atque ex mundo in contextum immiſſæ,) φρατρίαι δ᾽ ἦσαν δυοκαίδεκα, καὶ ἐν ἑκάστῃ γένη τριάκοντα, ἕκαστον ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν· ἐκαλῦντο δ᾽ ὗτοι καὶ ὁμογάλακτες, καὶ ὀργεῶνες, κ. τ. λ. quæ ſic vertas: *Templum, quo conveniebant, dicebatur fratrium, & collegium, fratria; ſinguli vocabantur fratores; ovis, & capella etiam fratria dicta eſt, quæ Diis fratriis mactabatur ; fratriæ autem erant duodenæ, atque ex triginta familiis in unaquaque fratria erant triginta viri, qui vocabantur* ὁμογάλακτες, *& orgeones*, (ſacerdotes ſcil.) *&c.* inde de puerorum ſacrificio, quod μεῖον dicebatur, loquitur Pollux: cujus diligentiſſimi grammatici auctoritate, quæ de vera fratriarum notione diſſerui, affatim firma ac rata, & tricenum horum virorum numerum vides. Ne reprehendas haud apte interpreta-

men-

mentum Græce fidei reſpondere in verbis, κ̀ ἐν ἑκάςῃ γένη τριάκοντα, ἑκαςὸν ἐκ τριάκοντα ἀνδρῶν, *atque ex triginta familiis in unaquaque fratria erant triginta viri*, cum reddere oportuiſſet, *& in unaquaque fratria familiæ triginta, ſingulæ familiæ ex triginta viris conſtabant;* at advertas iſthæc Pollucis verba ſat ſubleſta; nam adnotat Kuhnius in quibuſdam membranis legi γένη τριάκοντα ἀνδρῶν, & Jungermannus aſſerit in MS. deeſſe τριάκοντα, ἕκαςον ἐκ· quare ad verbum vertas, *in unaquaque fratria familiæ tricenum virorum*, quod proxime accedit ad primum a me adjectum interpretamentum, atque ea eſt mens Pollucis. Idipſum etiam firmatur ex eo, quod ſi in 12. fratriis ſint familiæ 30. & quæque familia conſtet etiam ex 30. viris, eſſet numerus virorum 360. in ſingulis fratriis; at qui fieri poteſt, ut una capella, ſive ovis tantæ multitudini ſufficeret; præſertim cum per Græcanicas leges cautum ſit, ne plures, quam triginta ſimul celebrent convivia? & nemo in animum inducet ſuum in quavis πολυανθρωποτάτῃ urbe reperiri poſſe tricenas familias triginta virorum prole, vel ſaltem agnatione beatiſſimas, jure igitur dicendum eſt Pollucis κείμενον librariorum ſtupore corruptum, & ex unis 30. viris conflatum unumquodque fratriarum σύςημα.

III. His animadverſis, facile bene multa veterum Scriptorum loca obſcuriora in lucem ſuam reſtituuntur, noſtræque ſententiæ mutuam opem præſtant: veluti illud Ariſt. Polit. l. 6. c. 4. p. 418. Φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείες, κ̀ φρατρίαι, κ̀ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα, κ̀ κοινά· κ̀ πάντα σοφιςέον, ὅπως ἂν ὅτι μάλιςα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον, quæ mecum ita vertas: *Aliæ autem tribus conſtituendæ, nec non & fratriæ, privata vero ſacra contrahenda in pauca, & communia: & ſedulo cogitandum, quo pacto omnes ſimul congregentur, & priſtina conventicula diſtrahantur:* jubet igitur philoſophus numero plures conſtitui fratrias, quo ab iis ſacra publice celebrentur; ceterum ſemper junctim legimus fratrias, ac ſacra miniſteria. Si vero quis præterea optet noviſſe quaſdam horum fratorum ſacras ceremonias, nobis reliquas fecit Demoſthenes, cujus ſummi oratoris auctoritate etiam atque etiam illos Deorum adminiſtros fuiſſe firmamus: ait contra Macartatum circa init. orat. p. 659. (apponam ſolummodo interpretamentum, de cujus fide ne dubites, cum Græca prolixiora ſint:) *In quo ego ei obſecutus, ut qui Eubulidæ filiam haberem judicio adeptus, eo quod genere proximus: atque adduxi puerum hunc ad Hagniæ, & Eubulidis fratores, in quorum numero erat etiam Theopompus, dum vixit, Macartati pater, atque hic ipſe: fratores porro Macartati optime gnari generis videntes hunc ipſum tentantem periculum fugitare, neque victimam ab ara abducere, quaſi non illegitime puer hic adduceretur, contra vero optare, ut ceteri jurarent: calculis ab ara Jovis fratrii, dum victima incenderetur, acceptis præſente Macartato, id quod juſtum erat, decreverunt, recte legitimeque puerum hunc Eubulidæ filium in Hagniæ*

Digitized by Google

gniæ familiam immitti : quibus decretis per fratores Macartati , puer iſte exſiſtens filius Eubulidis accuſavit Macartatum de Hagniæ hereditate , &c.

Cum vero hæc fere eadem repetit ſummus orator in fine orationis pag.670. Græce adſcribenda autumo, quippe quæ breviora : Οὗτος εἰσπεποίηται εἰς τὸν οἶκον τὸν Εὐβουλίδου, ϗ εἰσῆκται εἰς τοὺς φράτορας, οὐκ εἰς τοὺς ἐμοὺς, ἀλλ' εἰς τοὺς Εὐβουλίδου, ϗ Ἁγνίου, ϗ Μακαρτάτου τουτουΐ· ϗ ὅτε εἰσήγετο , οἱ μὲν ἄλλοι φράτορες κρύβδην ἔφερον τὴν ψῆφον. οὑτοσὶ δὲ Μακάρτατος φανερᾷ τῇ ψήφῳ ἐψηφίσατο ὀρθῶς εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν τὸν παῖδα τουτονί· οὐκ ἐθελήσας ἅψασθαι τοῦ ἱερείου, οὐδ' ἀπαγαγεῖν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, ὑπεύθυνον αὑτὸν ποιήσας· ἀλλὰ ϗ τὴν μερίδα τῶν κρεῶν ᾤχετο λαβὼν παρὰ τοῦ παιδὸς τουτουΐ, ὥσπερ ϗ οἱ ἄλλοι φράτορες, *Hic adoptatus eſt in Eubulidis familiam, atque ad fratoras non quidem meos , ſed ad eos Eubulidæ , Hagniæ , & Macartati adductus eſt: ipſo autem adducto, ceteri quidem fratores ſecreto ſuffragia ferebant , hic autem Marcartatus patenti ſuffragio decrevit legitime admitti in Eubulidis familiam hunc puerum : cum victimam tangere nollet , neque ab ara abducere , ſe reum exiſtimans, carnis fruſtum accipiens a puello hoc, quod & ceteri fratores fecerant, diſceſſit*. Ex quibus binis principis oratorum locis multas ſacerdotii ceremonias & miniſteria exercuiſſe fratoras diſcimus , veluti puellos ad eoſdem adductos, quo legitimi probarentur, eis oblatas victimas , jus jurandum præſtitum ante aram Jovis fratrii, & ſacras dedicatarum carnium epulas: hinc recte ex Polluce ſuperne recitavimus αἶγας, & ὄϊς φρατρίους. Præterea ex eodem Demoſth. in Eubulid. p. 542. teneo fratoras templorum cuſtodiæ addictos : Ἀλλὰ παιδίον ὄντα μὲ εὐθέως ἦγον εἰς τοὺς φράτορας , εἰς Ἀπόλλωνος πατρῴου ἦγον , εἰς τἆλλα ἱερά, *ſed puellulum adhuc me ſtatim ad fratoras adduxere, ad Apollinis patrii templum, & ad reliquas ſacras ceremonias ſubeundas*. Et ne te exemplis obruam, ſimilia de his fratoribus, ſacrorum miniſtris leges init. orat. in Bœotum pag.636. & paſſim, atque adverſus Neæram p.525. ubi meminit orator, aut quiſquis ſit auctor hujus declamationis, populi Brytiadarum in Attica, (quos oblitus eſt diligentiſſimus Corſinius accenſere intes δήμους Atticos vid. to. I. Faſt. Attic. pag. 223.) Miror ſane magnum Salmaſium, qui tot de fratriis in laud. loco congeſſit, non unas has Demoſthenis auctoritates latuiſſe.

Ut autem nihil dubii reliquum ſit, quin fratores ἱερατικὸν σύστημα conſtituerint, uti certo conſtat fuiſſe orgeonas, & thiaſotas, ut ab initio mihi dictum eſt, teſtem do Iſæum in orat. pro Aſtyphili hæreditate, in qua, quas ceremonias Athenis fratores celebrabant in templis, ipſiſſimas alibi civitatum ſervaſſe dicit thioſotas, qui certo ἱεροποιοί erant : quam porro Iſæi auctoritatem, niſi mihi nimium indulgere videar , in ea, in qua verſamur diſputatione, totius momenti mihi eſſe duco: Εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ, ὥσπερ ϗ ἐμὲ πανταχῆ· ϗ εἰς τοὺς θιάσους τοῦ Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγεν, ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας·

αὐτοὶ

αὐτοὶ ὑμῖν οἱ θιασῶται μαρτυρήσουσι, *ad templum igitur pater meus puerum Aſtyphilum, ſicut & me ipſum ſecum tulit; atque ad thiaſos Herculis Sacerdotes illum adduxit, ut civitatis jurium particeps eſſet: ipſi thiaſotæ teſtes futuri.* Igitur eodem miniſterio functos docemur & fratores in Demoſthene, ac thiaſotas in Iſæo, adſcribendi ſcil. filiosfam. inter cives, ſacris quibuſdam ceremoniis peractis: quare utrumque virorum σύστημα erat profecto ἱερατικόν. Quibus etiam collegiis, qui præerant, audiebant ἀρχιθιασίτης, & φρατρίαρχος, vide Spon. Miſcell. p.343. ex longiore inſcriptione . . . επι αρχιθιασιτου Διονυσιου του Διονυσιου, ιερατευοντος δε του Δωροτεου. Et Demoſth. καλεῖ δὲ τοὺς μαρτυρέας τοὺς τῶν φρατόρων, ὡς εἵλοντο μὲ φρατρίαρχον. Et in Neap. lapide, Capac. p.138. φρήταρχος· adeo in omnia id genus ſacræ corporum coitiones conſpirabant. Demum idipſum etiam, ſi quid video, clarius eruitur ex Athenæo p.185. inquit enim, τῶν δὲ νῦν δείπνων προνοοῦντες οἱ νομοθέται τά τε φυλετικὰ δεῖπνα, καὶ τὰ δημοτικὰ προέταξαν· ἔτι δὲ τοὺς θιάσους, καὶ φρατρικὰ, καὶ πάλιν ὀργεωνικὰ λεγόμενα, *inter cœnas, quæ noſtra ætate celebrantur, provide legiſlatores tribules cœnas, & populares præſcripſerunt; præterea thiaſos, quæ fratorum, & orgeonum dictæ:* ubi aperte diſtinguit primum πολιτικὰ bina convivia, φυλετικὰ ſcil. & δημοτικὰ· tria deinde ſacra, & ἱερατικὰ, nempe θιάσους, φρατρικὰ, & ὀργεωνικὰ· quare, niſi quis moleſtiſſimæ indolis, mihi inficiabitur φράτορας ejuſdem generis ſodalitatem fuiſſe, ac θιάσους, & ὀργεῶνας, cum dipnoſophiſta tria hæc nomina ſimul clare confundat miſceatque.

IV. Præterea gratulor me etiam reperiſſe φράτορας non ſolummodo infantes in φρατρίᾳ puellos adcenſuiſſe, accepto munere ovis, vel capellæ pro ſacrificii opere, ac cœnæ apparatione; verum etiam, ſi puella nuptui danda eſſet, his φράτορσι pro fauſto nuptiarum eventu donum comportare lex jubebat, ut Deos propitios, atque ἐπηκόους redderent hi ſacrorum adminiſtri, quod γαμηλίαν vocitabant: & ut teſtimonium ſcriberent puellam revera civem Athenienſem eſſe: id me docuit Demoſth. in Eubulidem pag. 541. Ὡς οὖν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, καλεῖ μοι πρῶτον μὲν τοὺς τοῦ Πρωτομάχου υἱεῖς, ἔπειτα τοὺς ἐγγυωμένῳ παρόντας τῷ πατρὶ, καὶ τῶν φρατόρων τοὺς οἰκείους, οἷς τὴν γαμηλίαν εἰσήνεγκεν ὑπὲρ τῆς μητρὸς ὁ πατὴρ, κ. τ. λ. quæ ſic vertam aliquantulum a Wolfio diſcedens: *Ut conſtet me vera dicere, voca mihi Protomachi filios, inde eos, qui ſponſalibus patris interfuerunt, & fratoras proprios, queis nuptiale ſacrificium pro matre obtulit pater, &c.* & idipſum ab oratore repetitum vides p. 544. in fin. Ἀλλὰ μὴν καὶ φράτορες τῶν οἰκείων αὐτῆς (μητρὸς), καὶ δημόται ταῦτα μεμαρτυρήκασι· τίνος οὖν ἂν προσδέοισθε; καὶ γὰρ ὅτι κατὰ τοὺς νόμους ὁ πατὴρ ἔγημε, καὶ γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν εἰσήνεγκε, μεμαρτύρηται, *Quin & fratores proprii matris, & qui e populo, idem teſtificati ſunt: quid igitur inquiritis ultra? nam ex legis præſcripto duxiſſe uxorem patrem, & ſacrificii munus obtuliſſe fratoribus, teſtes confirmarunt.* Nec me fugit Pollux, qui rem

clarius

clarius diſtinguit lib. 8. c. 9. n. 96. Περὶ φρατόρων. Εἰς τούτους τούς τε κόρους, καὶ τὰς κόρας εἰσῆγον, καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντων ἐν τῇ καλουμένῃ κουρεώτιδι ἡμέρᾳ· ὑπὲρ μὲν τῶν ἀῤῥένων τὸ κούρειον ἔθυον, ὑπὲρ τῶν θηλειῶν τὴν γαμηλίαν, *De fratoribus. In hos deducebant ſimul pueros, & puellas, eos nim. qui juſtam habebant ætatem die cureotide; & pro maſculis ſacrificabant oblationem puerilem, pro femellis donum nuptiale.* Pro quorum verborum lucem, quo non dubites de ſacrificio, & quin fratores Sacerdotio quodam fungerentur, hæc adnotat Kuhnius: Γαμηλίαν, *ſcil.* θυσίαν, *ſacrum nuptiarum nomine factum Junoni* γαμηλίᾳ· *in gloſſ. veterum Cinxia,* γαμήλιος· *neque enim ante puellæ ad phratores introducebantur, quam ætatem haberent nubilem, idque faciebat maritus ejus,* ὁ ἐγγυῶν, *vid. tamen Meurſ. lib. 1. Græc. fer. in Apaturia, & quæ contra affert Petitus in LL. Atticas p. 150. 151. alias filiæ legitimæ referebantur inter phratores a patribus juniores, & ſine* γαμηλίᾳ, *& de illo agit Iſæi orat. 2. illud enim ſignum erat genuinæ filiæ pariter & heredis; videatur iterum Iſæus loc. cit. p. 403. &c.* Ceterum hoc argumentum perquam longius protrahere potis eſſem, undique collatis exemplis; verum præ me doctius, ac curatius veterum Græcorum loca collegit magnus Petitus in leg. Att. ab pag. 222. ad 231. edit. Weſſelingii, ut eruditiſſimos Pollucis interpretes taceam, quos adeas te rogatum volo: atque inter ſexcenta veterum teſtimonia, quæ recitant, advertis fratoras inter res ſacras verſari, eorundemque cœtum ſat exiguo numero conſtitiſſe; porro, queis videt vel ovem, vel capellam oblatam, & id genus donaria ad ſacram cœnam celebrandam, unuſquiſque facile in animum inducet ſuum illos fuiſſe σύστημα ἱερατικόν, nec magno numero floruiſſe, cum eiſdem ad cœnam ovis ſatis eſſet, quam nemo diceret ſuffecturam, ſi φρατρία, & φράτορες, ingens urbis pars, ut antehac in omnium animis inſedit, fuiſſet. Interea mireris oportet, cur tot ἐξοχώτατοι in re litteraria viri, quos nuper indicavi, eiſque addas magnum Salmaſium, quum ſane multa de fratorum collegio graviter ediſſeruerint, in multa luce non viderint illud ἱερατικὴν paucorum κοινωνίαν fuiſſe, & omnia nobis ſuſque deque commixta ac turbata commendarint; quos inter piget me etiam adcenſere Corſinium in faſt. Attic. to. 1. pag. 306. ea in re cum ceteris conſpirantem.

Hinc lux erit obſcuro ſatis Suidæ loco, ſed mihi caro, habeo ſiquidem Philochorum in ſententiam meam juratiſſimum: Περὶ δὲ τῶν ὀργεώνων γέγραφε καὶ Φιλόχορος· τοὺς δὲ φράτορας ἐπαναγκὲς δέχεσθαι καὶ τοὺς ὀργεῶνας, quem ita transfuſum lego vel ab ipſo Salmaſio p. 104. *Phratoribus neceſſitatem incumbere recipiendi orgeonas;* cum ignariſſimis ignoro, quid ſibi velit *phratoras recipere oportere orgeonas;* potius fuiſſet tanto viro iſthæc Suidæ verba Latine haud reddere, ut moris ſui eſt, dum Græca recitat; quis hic non ei ſcribendi celeritatis noxam objiciat? ſiquidem nihil ſententiæ in his verbis ineſſe quiſque novit: quare, ſi quid Græce

Digitized by Google

ſapio, vertam: *De orgeonibus ſcripſit etiam Philochorus: neceſſe eſt fratoras eadem ſignificatione accipere, ac orgeonas*; peræque igitur valere ait Philochorus vocem φράτορας, ac ὀργεῶνας· etenim erant utrique κοινωνία ἱερατική, atque etiam ab lexicis habemus τὸ δέχεσθαι vocabulum eſſe grammaticorum, cum explicent, qua in ſignificationis vi voces *accipiendæ ſint*. In eundem lapidem impegere doctiſſimi quique interpretes in his etiam Suidæ verbis: Ἀναστάσιος Σιλεντιάριος, ὁ μετέπειτα βασιλεύσας, ἐπὶ Εὐφημίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καθέδραν κατασκευάσας μετά τινων ἐφρατρίαζεν· ὁ δὲ Εὐφήμιος μετὰ ἀπειλῆς λέγει αὐτῷ, ἢ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ θαμίζοντα τὰ ταύτης φρονεῖν, ἢ μηδόλως ἐπιβαίνειν πρὸς τὸ διαστρέφειν τοὺς ἀπειροτέρους, κ. τ. λ. quæ mecum nil dubius vertas: *Anaſtaſius Silentiarius, qui deinde fuerat imperator, cum cathedram erexiſſet ſub Euphemio patriarcha CPno, ſacris rebus ſe cum quibuſdam immiſcebat: Euphemius autem minitabundus ei dixit, aut cum Eccleſia, quam frequentabat, ſentiret, aut ne penitus in eam cathedram aſcenderet ad imperitiores corrumpendos, &c.* Salmaſius ad jus Att. pag. 139. φατριάζειν, ſive φατριάζειν transſudit, *conventicula agebat*: Kuſterus appoſuit, *cum quibuſdam cœtus agitabat*: ita etiam Tillemontius in Anaſtaſ. imp. art. 1. in fin. *Il ne laiſſoit pas de tenir des aſſemblées particulieres avec quelques perſones*; at contra hic φρατριάζειν ſacræ notionis verbum eſt, uti ὀργιάζειν ἐστὶ θύειν, teſte Harpocratione; idque palam etiam oſtendunt voces καθέδραν κατασκευάσας, & ῥῆμα hoc ἐπιβαίνειν, quod omnes invertերunt *ingredi*, cum vel tirones interpretarentur *aſcendere*, ſcil. in cathedram, quam paullo ante meminerat.

Atque adeo verum eſt vocabula φράτορες, ὀργεῶνες, & θίασοι, & quæ inde enaſcuntur, ἱερατικὰ eſſe vocabula, ut meminerim Theodoretum appellaſſe Chriſtianos Χριστοῦ θιασώτας, & θιασώτας ἀληθείας· probe igitur legitur apud Suidam καθέδραν κατασκευάσας ἐφρατρίαζεν· atque in Neapolitanis ſacris monumentis jucunde ſæpe illitum intuemur quaſdam noſtrates κοινωνίας in Eccleſiaſticis miniſteriis φρατριάζειν. Hinc neſcio, cur doctiſſimus Mazochius amaris maſculæ eloquentiæ ſuæ dicteriis vocem hanc, ſacrum Atticæ πολιτείας veſtigium in plurimis eruditi operis de Eccl. Neap. pagellis undecunque vexet atque inſectetur: tantoque horrori ſunt ſummo viro voces hæ noſtrates *Fratanciæ*, & *Fratanciarii* ab Græcanico & bono ſemine enatæ, ut oſtendere multis adnitatur eas ſurripuiſſe Neapolitanos a monachorum cœtu, qui paſſim *fratres* ſalutantur; verum contra eſt, nam ubique gentium ambæ ῥήσεις *fratanciæ*, & *fratanciarii* audirentur, cum monachorum συστήματα ubivis reperire ſit; attamen bina ea nomina ſolummodo Neapoli celebrantur, & in ceteris noſtræ majoris Græciæ urbibus ejus nomenclaturæ nec vola exſtat, nec veſtigium: quippe Strabo, & Varro aperte teſtantur τῶν φρατριῶν vocabulum Neapolitanos ſervare: & ſane ubique tot noſtrorum lapidum adhuc ſcalptum legimus; quare ſi verum amamus non a monachorum ἀδελφότητι, ſed a

priſcis

priſcis Atticiſmi noſtri reliquiis tracta ea vocabula dicamus; præſertim, cum Mazochius multa aggerat, nullum veſtigare valuit exemplum, quo oſtenderet monachos vocitatos unquam eſſe *fratanciarios*. Verum miſſa hæc faciamus, ne cauſæ, quæ mea nihil prorſus intereſt, patrocinari videar; ſatis ſuperque mihi eſt pro notione vocum φρατρίας, & φρατόρων inde detortas *fratancias*, & *frantanciarios* eſſe virorum σύστημα in noſtratibus antiquioribus, ac perilluſtribus Eccleſiis conflatum, quo rite ſacris ceremoniis operentur; quare ſervatum volventibus annis veterum illorum φρατόρων inſtitutum ἱερατικὸν ſui miniſterii; & tirones norunt Chriſtianos ſæpe nomina, & ethnicorum munia non commutaſſe, ſed inductis veris ritibus, ac ſanctioribus myſteriis, conſecraſſe.

v. Ne vero credas me adeo ſegnem, aut hoſpitem in patriis rebus, ut non extundere elaborarim aliquod monumentum Neapolitanum, quod reliquum nobis eſſet, quodque ſententiæ, quam tueor, grande pondus adderet, & præſeferret etiam φρήτορας noſtrates ſacrificiis, ceteriſque rebus religioſis operam navaſſe: porro non iratis muſis natum me ſentio, cum ingens marmor Neapolitanum repererim apud Gruterum pag. 125. & Capacium p. 238. in quo ſaxo quanquam obſcuriſſimo, utpote ab ſtupido exſcriptore in membranas translato inter cetera hæc clare proſtant: ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ, κ. τ. λ. *alius quis ex Ariſtæorum fratria ſacrificium, & convivium celebrare debet ſecundum ſtatutos dies; &c.* vides igitur etiam Neapolitanorum φρήτορας devotos ſacris ſaciundis, uti eos; qui Athenis erant, ut conſtet in ambabus urbibus id muneris viros φρήτορας obiiſſe, & ſolas res religioſas curaſſe: quare haud ſcio, an poſthac mihi moleſtus quis intercedat verum fratriarum inſtitutum me minime divinaſſe: vides etiam ſacrificiis adjunctas epulas, uti tunc temporis ſollemne erat; quare bene definit Salmaſ. ad Jus Att. & Rom. p. 144. *Omnia ejuſmodi συστήματα κοινωνικά, vel ἑταιρικά duabus rebus præcipue conſtabant, in quibus magna pars κοινωνίας & ſocietatis conſiſtebat, θυσίᾳ, & δείπνῳ, ſacrificio, & epulo communi;* & quæ ſequuntur, omnia appoſitiſſima ſunt, quæ legas rogo. Jure igitur, ut ſuperne dictum eſt, capella, aut ovis φράτειος huic collegio offerebatur a filiis familias, pro ſacrificio ſcil. & epulo ſactitando. Præterea gemma Indica contra meliorem Neapolitanum cippum, (quo de plura inferius,) habeo, in quo legere eſt adeo dediſſe operam noſtrates fratoras rebus ſacris, ut Calliſtus Aug. libertus grandem ſcyphum cum ſimpulo pro Θεῶν φρατόρων Κυναίων ſacrificiis dedicaverit.

Suffragatur demum ſententiæ de hoc ἱερατικῷ fratorum officio etiam vocabuli originatio, quam ne Græcam dicas, licet omnes grammaticorum filii in id conſpirent, dum a φρέαρ, *puteus*, extorquent, &, riſum teneamus, ajunt φράτορας eodem puteo uſos, quo biberent; verum ἀμέσως educas ab Phœnicio פרש, quæ vox quicquid *peculiare eſt & ele-*

 ctum

ctum etiam ſecundum Rabbinos adnotat; his autem familiares ſunt dictiones פרט, *individuum*, & *particulare*, בפרט, על פרט, *ſpeciatim*, *particulariter*, פרטיות, פרטים, *ſingularitates*, & fem. פרטית, פרטי, *ſpecialis*, *electa*; ſacrorum autem adminiſtros partem electam, atque ἀπὸ τοῦ λαοῦ ſejunctam tam apud Hebræos, quam Chriſtianos fuiſſe res adeo protrita eſt, ut dixiſſe etiam pigeat. Et miror facile hoc etymon nec Mazochium, nec ipſum Salmaſium vidiſſe, qui loco ſæpius laudato docta ad miraculum de hac voce φρατρία congeſſit, & non ſemel ad Hebræos provocat, vid. p. 120. 127. &c.

Id genus συντάγματα ſacrorum virorum etiam communem vitam agitaſſe colligo ex eo, quod ubique veterrimorum Scriptorum συσσῖτοι, atque ὁμογάλακτοι vocitantur, & gratiam habeo Salmaſio eodem loc. pag. 147. ajenti, συσσῖτοι *ſemper una veſcebantur*: atque nativa vis ambarum vocum aperte id oſtendit, ſcil. qui ſimul pane, & lacte nutriuntur, & convivia συσσίτια audiebant: ea de re Scriptorum teſtimonia hic adſuere fruſtra eſt, cum plurima vir æternæ lectionis Salmaſius excerpſerit: quare male omnes invertunt vocem ὁμόγαλακτοι, *collactanei*, quando de φράτορσι ſermo inſtituitur; verum dicas, *viri commenſales*, uti ſunt ipſi συσσῖτοι. Quas turbas commoverint Heraldus, & Salmaſius in jus Att. & Rom. pag. 149. &c. pro dictione ὁμοτάφοι in lege Solonis de colleg. & pollicitation. vid. Weſſeling. in leg. Att. quam Heraldus in ὁμόκαπνοι, Salmaſius *parum feliciter*, ut ait idem Weſſeling. p. 524. in ὁμόγαλοι confinxere, tutemet legas, nam membranarum plurimum complerunt ultro citroque iratiſſimi; ſed ſi tanta libido viget immutandi voces, ipſe libere etiam, ac ἀναλογικωτέρως aptarem ὁμοφάγοι, quod æque valet, & συσσῖτοι· verum res hæc tanti non eſt, nec tantarum irarum argumentum.

Vellem autem, ut ne quis mihi cito ſuccenſeat, ſi fabellam duodecim fratrum Arvalium ab uſque Acca Laurentia eorum parente, & Romuli nutrice deductam duumvirum Plinii 18. 2. & Gellii 6. 7. teſtimonio fultam elevem & traducam, ſed Arvalium fratrum corpus ἱερατικὸν conflatum edicam ad Græcorum φρατόρων exemplar, & a Romanorum majoribus inſtitutum: utriuſque etenim collegii omnia probe conjurant; quiſnam mihi inficiabitur vocem *fratres* enatam eſſe a φράτορες, & caſca Romanæ gentis tempeſtate idem adnotaſſe? fundum do Varronem, qui lib. 4. de L. L. p. 23. Amſt. 1623. *Fratres dicti ſunt* (inquit) *quia fratria dixerunt: fratria eſt Græcum vocabulum partis hominum, ut Neapoli etiam nunc*; cumque olim γεννικῶς *ſodalitatem* adnotarent, factum eſt deinceps, ut ternis quibuſdam adjunctis vocibus *fratres* diſcriminarentur, hinc ſæpe audis *germani*, *conſanguinei*, *uterini*. Præterea Arvales fratres συσσίτους, atque ὁμογαλάκτους fuiſſe, id eſt eadem menſa victitaſſe veteres tradidere: demum novimus etiam ἱερατικῷ munere honeſtatos, ſacriſque ſtatis diebus operatos pro arvorum fertilitate, ac ubertate frugum; quare a fratoribus nihil diſſidere fatendum eſt; & ſicuti Romuli nepotes in tribus, & curias

rias gentem omnem Romanam Græcorum more diſpeſcuere, ita etiam pro negotiis Deorum ſuorum φρατόρων collegii inſtitutionem mutuari oportuit. Et nunc primum, rejecta Accæ Laurentiæ fabella, ultro citroque vides lucem ſibi præſtitiſſe Græcam φρατόρων, & Latinam fratrum Arvalium σύνταξιν. Enata eſt illa igitur ex ignorata plena vocis *frater* διαγνώσει, cum olim idem valeret, ac φρήτωρ, inde factum, ut finxerint Accam πολύτεκνον, & duodena filiorum prole beatiſſimam, cum purum putumque fuerint ſacrorum miniſtrorum σύνταγμα.

VI. Peccarem ſane, ſi ipſe, quem ὁμηρικώτατον amici ſalutant, tantum vatem in meam ſententiam de voce φρήτωρ non traherem; nam ſi me Homeri amor non fallit, divinus vir id vocabulum pro re ſacra, & Diis devota accepiſſe viſus eſt, cum ἀφρήτορας, ἀθεμίστους & ἀνεστίους proſcribat, quotquot bellum inteſtinum concoquunt publicam rem poſthabentes Il. *ι*. v. *63*.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

Ternæ ſiquidem hæ voces, quibus diris devovet duces a bello Trojano abhorrentes, ſacræ ſunt, & religionis plenæ, uti certum eſt de duabus ἀθέμιστος, & ἀνέστιος, unde habemus Latine *Themis*, & *Veſta*, numina περιθρύλλητα, ergo etiam ἀφρήτωρ, quo terni hi ἀναθεματισμοί ſint ἰσοδύναμοι, quibus nihil exſecrandius in ſceleſtos imprecari ſollemne fuiſſe veteribus reor. Scio Tullium binos hoſce ſummi vatis verſus Latine dediſſe Philip. 13. num. 1. verbis longioribus, quo vim Græce inſitam, & pondus, quantum Romanæ linguæ indoles, ne dicam pauperies ferebat, adſequeretur: *Nam nec PRIVATOS FOCOS, nec PUBLICAS LEGES videtur, nec LIBERTATIS JURA cara habere, quem DISCORDIÆ, quem CÆDES CIVIUM, quem BELLUM CIVILE delectat:* verum Tullium omnia turbaſſe quiſque dicat, cum nihil ſacri in Homeri verſibus inſpexerit, ſed eos πολιτικῶς dumtaxat intellexerit; quare languoris plena bina carmina vides; & nemo erit, qui dubitet, quin vates luctuoſiſſima omnia, ac deterrima a Diis contra tumultuantes Græcos imprecetur, & niſi a rerum ſacrarum, & ſacrificiorum κοινωνίᾳ interdictum vocem potiſſimum ἀφρήτωρ accipias, (quæ prima eſt, ſed Cicero ultimo loco apponit,) rerum ordinem immutaſſet Homerus, divina enim humanis poſthabuiſſet: & nil Achæos terruiſſet ab inteſtino bello, atque a tot animorum divortiis, niſi unas Deorum iras eiſdem obtendiſſet. Igitur non dubites, quin vox φρήτωρ, & ἀφρήτωρ religioſa ſit, rebuſque ſacris etiam a beata Homeri tempeſtate addicta; porro laudandi, ſi hujus vatis filii in eadem notione in tantum parentem jurantes illam acceptarint. Quæ in hos verſus allevere interpretes, Euſtathius, ſcholiaſtæ, & Daceria poſthabere te jubeo, ſunt enim vel vulgaria, vel ἀπροσδιόνυσα. Rebar autem, cum vir eruditiſſimus Blanchardus longiorem diatribam exornaſſet de publicis imprecationibus to. *16*. Academ. inſcript. edit. Pariſ. in lucem prolatam an. 1741. hunc Homericum ἀναθηματισμόν omnium veterrimum, ac minaciſſi-

naciſſimum colluſtraſſe , indolui ſane Blanchardum dira hæc divini vatis verba penitus oblitum ; & quis non crimini id vertat tanto viro , qui, cum quaſdam inferioris ævi imprecationes collegiſſet, ternas haſce Homeri, Scriptorum omnium principis immemor poſthabuerit?

Fateor nunc eſſe pretium operæ , ut reponam , quare veteres quidam grammatici , veluti Pollux , Harpocration , auctor Etymologici , Suidas, Heſychius, &c. φρατρίας cum majoribus civitatum partibus confuderint, veluti cum δήμοις, γένεσι, ἔθνεσι, τριττύσι, φυλαῖς, & ſi quæ aliæ ſint, ita ut, ſi verum dicant hi grammatici, ἱεροποιοὺς fuiſſe φράτορας omnino negandum, cum haud fieri ſane potuiſſet, ut bona reipublicæ portio ſacris addicta ſegnis eſſet ac otiaretur, nec bello, nec πολιτικοῖς negotiis vacaret. Verum ſciendum eſt tantis tenebris adſperſas me reperiſſe uniuſcujuſque Græcarum civitatum diviſiones ac partes, ut, quotquot doctiſſimi viri illuſtrare, atque eas diſtinguere aggreſſi ſunt, etiam atque etiam obſcurarint: ſi quid otii tibi eſt, evolve omne longiſſimum caput 4. Salmaſii ad jus Att. & Rom. quod, undique quæſita eruditione , circa hoc abſtruſiſſimum negotium a ſummo viro impenditur, turbata releges omnia, & quæ prius dicta, ac jam firma reputas, ab aliis, quæ ſequuntur, convulſa vides, ac deleta penitus, ut jure conqueratur ipſe Salmaſius : *Grammatici, qui hæc tria confuderunt*, (ſcil. τριττὺς, ἔθνος, φρατρία,) *ad ætatem poſteriorem Athenarum reſpexiſſe videntur*, *&c.* Neque tanti fuit vir ſummus, quo tot veterum grammaticorum, & Scriptorum diſſidia cerneret; verum facilius ſe expediiſſet Salmaſius, neque temeritatis culpandus , ſi illos deceptos pronuntiaſſet , quippe longe Atticorum finium vixerunt, & jam peſſumdatæ Græciæ tempeſtate ſcripſerunt; & nomina rerum annis vertentibus permutari ſcimus, atque a priſca notione ſæpe deſciſcere.

Id unum in numerato habemus remp. Athenienſium terna hæc partitionis nomina præſetuliſſe φυλὴν, δήμους, ac φρατρίας affatim nota ; & ne actum agam, plurimas refero gratias Corſinio in faſt. Atticis to. I. in ternis Diſſert. 3. 4. & 5. qui eam diviſionem uberi eruditionis apparatione tutatur, τῶν φυλῶν ordinem, ac nomina retegit digeritque, δήμους etiam improbo labore enumerat , & poſthabita principum virorum litteratorum auctoritate ac ſama, nova omnia cudit, & tenebricoſa quæque in lucem reſtituit ; piget dumtaxat virum de Atticis φυλαῖς , ac δήμοις feliciſſime meritum φρατρίας non curaſſe , mihique id ponderis reliquiſſe; fortaſſe ſi Salmaſius, ac Vandalius Corſinium non latuiſſent, Athenienſes, ac Neapolitanas φρατρίας doctis ſane commentariis etiam celebraſſet. Poſthabitis igitur cum Corſinio tot minutis, obſcuriſque Athenienſis populi diviſionibus, ternas haſce ſatis futuras reor , quo veterum Scriptorum libros evolvas, in eorumque intelligentia nihil hæreas . Nil ſane ex illorum grammaticorum inconſtantia, ac tenebricoſis verbis de fratriarum διαγνώσει, & natura ſententia, quam præſtiti, quidquam læditur , cum de earum ἱερατικῇ no-

κῇ notione ſexcenta documenta & veterum Scriptorum, & lapidum prolata ſint, vociſque etymon etiam adſtipuletur; fratrias proinde minimas reip. partes fuiſſe, utpote ex ſacrorum miniſtris conflatas, uti orgeones, teſtem do Ariſtotelem in Moral. ad Eudemum lib. 7. cap. 9. qui cum a magnis κοινωνίαις rerump. tranſeat ad peculiares, vocat φράτορας, *particulam civitatis:* Αἱ δ' ἄλλαι κοινωνίαι εἰσὶν, μόρια τῶν τῆς πόλεως κοινωνιῶν, οἷον αἱ τῶν φρατόρων, ἢ τῶν ὀργέων, quæ ſic reddit ipſe Salmaſius: *aliæ vero communitates ſunt, aut particula communitatum civitatis, ut illa eſt fratorum, vel orgeonum.* Erant igitur majora συστήματα φυλέται, & δημόται, parva φρήτορες.

Sed eſt, quod nunquam mirari deſinam non ſolum unos veteres grammaticos, & lexicographos in voce φρητρία, ſive φρατρία tranſverſos iviſſe, quos ſæpe falli jam notum eſt, verum etiam ſummi nominis hiſtoricos, qui non feliciori Græciæ ævo ſcripſere, & præſertim qui poſt Auguſtum res Romanas, moreſque, ac magiſtratus Grajo vocabulo dicere aggreſſi ſunt, & inter Romanos vixere; hi ſane vocem φρατρία accepere pro *curiæ* ſignificatu, atque dictionem ſacri cœtus paucorum virorum non exiguæ parti hominum civiliter viventium deſtinarunt, ita ut nil frequentius legere eſt in eorum voluminibus, quam φρατρίαι pro *curiæ*, & νόμος φράτριος, vel φρατριάτικος (barbara vox eſt) pro *lex curiata:* ad cultioris ſtili ſcriptorem appello Dion. Caſſium, vide loca ex indice ſat locuplete Reimari, ne multos recitem; quod peccatum ob incogitantiam accidiſſe reor, quæ non inſolens erat Græcis Romanenſibus facile accipientibus vel latius, vel ſtrictius vocabula, cum ad exterorum ritus, & mores detorquerent; & ut non multis exemplis utar, τὸ στρατόπεδον, *exercitus*, *caſtra* apud Xenophontem, &c. Caſſius ipſe pæne ſemper pro *legione* adhibuit pag. 794. Τρία δὲ δὴ τότε καὶ εἴκοσι στρατόπεδα... ἐτρέφετο... Αὐγούστειον... Γαλατικόν... Σκυθικόν... Μακεδονικόν... Κλαυδίειον, κ. τ. λ. *legiones viginti tres tunc alebantur... Auguſta... Gallica... Scythica... Macedonica... Claudia, &c.* longe ſiquidem diſtat *exercitus a legione;* quare in iis loquendi anguſtiis potius fuit quibuſdam ῥωμαΐζειν, itaque dixere λεγίωνες. Hæc ideo breviter adnotanda exputo, ne quis mihi horum ingentis famæ Scriptorum exempla contra notionem *fratriæ*, fuiſſe nim. paucorum hominum κοινωνίαν, quod multis a me firmatum eſt, opponat; ceterum nulluſdum melius præſtet fidem his peregrinis, ac inferioris ævi Scriptoribus, quam Demoſtheni, Æſchini, Iſæo, & ceteris id genus oratoribus antiquis, atque Athenienſibus, & noſtratibus litteratis lapidibus, & ſæpe dictum eſt Neapolitanos Attice vixiſſe: non igitur tanti vocabula in Romanenſibus libris Græce ſcriptis nobis curanda ſunt, cum antiquioribus monumentis, & γνησιωτάτοις abundemus.

Denique ſervavi mihi divini Platonis cariſſimum locum in fine lib. 5. p. 745. de legibus, quo omnino ſtabiliam φρατρίας fuiſſe ἱερατικὰς κοινωνίας· & jure mihi conqueri ſinas de tot doctiſſimis viris, qui fratriarum negotium

gotium ſuſque deque agitarunt, quorum principes Salmaſium, & Mazochium ſalutes, tam præclara magni philoſophi verba oblitos; & quem non piget hos eruditione ſua minime inſperſiſſe. Itaque hæc jubet Plato: quamcumque τὴν πόλιν ἱδρῦσθαι δεῖ τ̃ χώρας ὅτι μάλιστα ἐν μέσῳ . . ἀφ' ȣ̃ τὰ δώδεκα μέρη τέμνειν τήν τε πόλιν αὐτὴν, ϗ πᾶσαν τὴν χώραν, ἴσα ϭ δεῖ γίγνεσθαι τὰ δώδεκα μέρη· inde poſt paucos verſus: Καὶ δὴ τὸ μετὰ τȣ̃το δώδεκα Θεοῖς δώδεκα κλήρȣς θέντας, ἐπονομάσαι, ϗ καθιερῶσαι τὸ λαχὸν μέρ☉ ἑκάστῳ τῷ Θεῷ, ϗ φυλὴν (apponas φρατρίαν) αὐτὴν ἐπονομάσαι· poſthabito Ficini, & Serrani interpretamento, vertas: *Urbem exſtruere neceſſe eſt, quoad fieri poteſt, in medio regionis . . . deinde ipſam in partes duodecim partiri cum omni regione, quas æquales eſſe oportet... Præterea duodecim Diis duodenas portiones dedicare, & eorum nomine appellare, ſacramque habere, quæ ſorte unicuique Deorum pars contigit, & fratriam vocitare.* (Etiam Pollux adſerit duodecim fuiſſe fratrias lib. 3. n. 52. φρατρίαι δ' ἦσαν δυοκαίδεκα.) Ex his ſat ponderoſis Platonis verbis antehac obſcuris advertis duodecim fuiſſe etiam Neap. urbis partes, & fratrias, cum multis præſtitum ſit ſuperiori cap. par. 5. veteres cives meos Attice publicam rem geſſiſſe: & lætiſſimus vivo, quod nomina noſtrarum fratriarum novena ſcrutatus ſim, quas ſingillatim in binis hujus cap. ſequentib. partibus proferam, ac commentariis honeſtare aggrediar; quæ reliquæ ſunt tres omnes feliciori ævo e telluris ſinu fortaſſe extrahentur, omneſque urbis noſtræ partes, earumque nomina ad ceterarum maximæ famæ civitatum invidiam, quod ſuperi annuant, adipiſcemur.

Præterea ab hoc Platonis, philoſophorum maximi κειμένῳ teneo valide firmari ſententiam, quam multis tutatus ſum, φρατρίας ſacrum vocabulum fuiſſe, & homines præſertim rebus Deorum addictos comprehendiſſe, atque unamquamque unius, vel plurium Deorum nomine illuſtrem, uti etiam Neapolitanas fratrias paullo inferius reperies: quod præ ceteris Plato in recitatis verbis expreſſit: Καὶ τὸ μετὰ τȣ̃το δώδεκα Θεοῖς δώδεκα κλήρȣς θέντας ἐπονομάσαι, ϗ καθιέρωσε τὸ λαχὸν μέρ☉ ἑκάστῳ τῷ Θεῷ, ϗ φρατρίαν (non vero φυλὴν) αὐτὴν ἐπονομάσαι. Nil te turbet, ſi vocem φυλὴν eraſerim, & veram φρατρίαν appinxerim, cum tot documenta jam aggeſſerim, queis præſtitum eſt unas fratrias ſacram ῥῆσιν eſſe, non φυλὴν, quæ γενικωτέρας notionis eſt, & urbis maximam partem denotat. Sed quid te in re certa diu moror? ipſe Plato paucis poſt verſibus dum ternas urbis partes repetit, utitur voce φρατρία, primoque loco nominat, utpote res ſacræ πολιτικοῖς anteſtant, dum ait requiri in urbe φρατρίας, δήμȣς, ϗ κώμας· ſane quis rure inficetior librarius vel a margine vocem φυλὴν mutuatus eſt, vel eandem, quæ ſibi viſa eſt opportunior, & clarior, contra omnium optimi ævi Scriptorum Græcorum conſenſionem adſcripſit. Habes igitur etiam ex Platone φράτορας fuiſſe ἱερατικὸν σύστημα. Nunc ſingula fratriarum nomina percenſeamus, a quibus etiam apertiſſime, & clarius illas ſacrorum virorum cœtum fuiſſe conſtabit.

PARS

P A R S II.

De Fratriis Neapolitanis ſingillatim : earum nomina, etyma, lapides, & monumenta recenſentur : ſitus etiam veſtigatur : & primum Εὐμηλεῖδαι, Ἀρτεμίσιοι, Ἀρισταῖοι, *atque* οἱ ἐν τῇ Ἀγαῤῥεῖ.

I. DE *Neap. fratriis ſingillatim :* ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙ, *ſaxa, in quibus hoc nomen inſcriptum eſt, illuſtrantur. Notæ* M. Γ. *denotant* Μεγάλης Γραικίας. *Affectiſſimus Dionis locus ſanatur.* II. *Quid* δίαυλ☉ παιδῶν πολιτικῶν· *acta S. Aquilinæ, & Oppianus explicantur.* Τάγμα *in ſaxo multa luce donatur. Alterum epigramma expenditur.* III. *Corſinii interpretamentum elevatur. Quis hic* Eumelus, *qui fratriæ nomen impertitus eſt ; non fuiſſe Parthenope parentem etiam adverſus Mazochium oſtenditur :* Eumelis *in Statio non Parthenope, ſed ipſa* fratria Eumelis. IV. *Situs fratriæ Eumelidarum in urbe Neap. definitur, & Dii fratrii, Apollo, Ceres, & Caſtores ; templa horum Deorum divinantur ex certis veſtigiis. Inſolentiſſima imago* Salvatoris veteris *cumprimis Apollinis ædem firmat, non antehac adverſa, licet de ea multa ediſſerat Mazochius.* V. *Templum Cereris nobis ſiſtit Capacius ; illud Caſtorum adhuc præſeferunt grandes reliquiæ, epigraphe, & ſtatuæ. Hanc Eumelidarum fratriam ceterarum principem fuiſſe pateſit : hujus urbis regionis, & Campanæ curiæ ampliſſimæ laudes. Statium, & Menecraten in eadem victitaſſe ex ejus carminibus eruitur.* VI. ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ *ex ſaxo etiam noti ſunt. Dianam Neapolitani ardenti ſtudio coluerunt, quod ex Statio, & ex patriis numiſmatis ratum eſt. Etymon vocis* Ἄρτεμις *Homero cariſſimæ ab omnibus* ἀρχαιολόγοις *poſthabitum ex Phœnicio ſemine extrahitur* חרטום. *Homero* Ἕκατ☉, Apollo, *celebratur, nunquam* Ἑκάτη, Luna: *vox* Ἕκατ☉ *non ab falſa ῥίζει* אחתא, *quam fingit Clericus, ſed ab vera* חגר: *multa lux Iſaiæ.* VII. *Fratriæ Artemiſiorum ſitus proponitur, etiam ex litterato ſaxo.* VIII. ΑΡΙΣΤΑΙΟΙ *fratores non ab* Ἄρης, Mars, *uti vult Mazochius, ſed ab heroe* Ariſto: *Mars nunquam ab Neapolitanis cultus. Saxum longiſſime ſcriptum præſtat hanc* φρητρίαν, *cujus omne interpretamentum etiam Græce doctiſſimis arduum, nunc Latine profertur ; eſtque elegantiſſimum* ψήφισμα, *quod partim illuſtratur.* IX. *Neapolitani Atticorum more menſes appellabant, dieſque enumerabant ; cur ſeptima die contractus celebrarent. Situs Ariſtæorum ſat obſcurus.* ΟΙ ΕΝ ΤΗ ΑΓΑΡΡΕΙ *fratores ex eodem* ψηφίσματι *noſcuntur : hujus vocis veriloquium : horum ſitus opportune divinatur.*

I. AGGREDIOR igitur poſt γενικήν, veramque nominis φρητριῶν notionem de ſingulis dicere, quas ſollers reperire ſatis fui inter Neapolitanæ urbis rudera, præter eas, quas Scriptores noſtrates in membranis ſervarunt, præſertim Mazochius, qui omnium tot doctiſs. virorum extimus de his κοινωνίαις præclara ſcripturus omnes in ſpem bonam erexerat ; verum, ut dictum eſt, ternas ab Reineſio mutuatus eſt, Εὐμηλείδας, Ἀρτεμισίους, atque Ἀρισταίους, nam binas, quas addit, Mazochius, Θεοταδαίων, & Ἡβωνιτῶν, nunquam exſtitiſſe par. III. oſtendam. Fateor tantam mihi

Digitized by Google

dicendorum copiam, quæ curioſa ætas omiſit, obverſari, ut perquam longiſſime me pervagaturum ſentiam; ſed amicorum ſelectiſſimi culpandi, qui me recuſantem iſthæc ſcribere importuniſſime coegerunt: interea ipſe dubius vivo laudanduſne ſim, an culpandus. Itaque principem locum teneant

ΕΤΜΗΛΕΙΔΑΙ

Fratria omnium ἐξοχωτάτη tum ob monumenta, queis vetus ætas pepercit, tum ob ſitum honeſtiſſimum, quem in urbe occupabat. Reliquum ſane eſt marmor ab Capacio exſcriptum pag. 35.

ΕΤΜΗΛΟΝ·ΘΕΟΝ·ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ·ΕΤΜΗΛΕΙΔΩΝ
Τ·ΦΛΑΤΙΟΣ·ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ·ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΤΝ·Τ·ΦΛΑΤΙΩΙ·ΤΕΚΝΩΙ

Capacius, Reineſius, Corſinius in diſſert. agoniſt. pag. 105. ὁμοθυμαδόν verterunt, *Eumelum Deum patrium Phratoribus Eumelidarum T. Flavius Pius curator dedicavit cum T. Flavio filio:* Mazochius nihil immutavit, unumque addidit, nempe, *curiæ ſodalium Eumelidarum;* ipſe paullo ante p. 601. dedi φρητρίας non eſſe *curias;* ut autem bona ſit ſyntaxis, & ſententia clarior, reponerem, *Eumelum Deum patrium honorans T. Flavius Pius phrontiſtes una cum Tito Flavio fil. pro ſuis phratoribus Eumelidarum ſtatuam dedicavit:* vide, quæ dicta ſunt de voce τιμήσας *honorans*, quæ in lapidibus paſſim reticetur, pag. 523. Phrontiſten fuiſſe unum ex adminiſtris fratarchi ſcimus ex alio noſtrate ſaxo, de quo mox in fratria Ariſtæorum. Ne ſollicitus ſis, quin ita accipiantur φρήτορσιν Εὐμηλειδῶν, uti verſa ſunt, etenim in ſequenti ſaxo in eadem fere ſententia legere eſt, ανχθεντι εν τηι φρετριαι ανδριαντας Διοσκουρων. Ceterum opus & labor eſt, cur iſthæc fratria *Eumelis* ſalutetur, ſed a me id exſpectes rogo in hujus fratriæ extima cera.

Alter elegantiſſimus cippus in trina facie ſcriptus objicitur, quem ipſe accuravi, ut archetypi fidem adſequeretur, quo noſtratia monumenta, quoad fieri poteſt, antiquam ſinceritatem oſtentent: quare exſculptum do. De hoc illuſtri lapide jam quædam adnotavi p. 516. nunc longiuſculus ſermo redit, & ſat opportunus, cum in hac Eumelidarum fratria erectum intuearis; legas, quas Corſinius de eo laudes intexuit in diſſert. agoniſt. p. 103. Apponam minuſculis etiam litteris princeps epigramma, ut citius illud perluſtres, ſuiſque στιγμαῖς diſtinctum: inde alterum, poſtquam brevem commentarium adnexuero; & Corſinianum interpretamentum, ejuſque longiores adnotationes expendam.

T. ΦΛΑ-

Τ·ΦΛΑΒΙΩΙΤΥΙΩΙ
ΕΥΑΝΘΗΙΝΙΚΗΣΑΝΤΙ
ΙΤΑΛΙΚΑΡΩΜΑΙΑΣΕΒΑΣΤΑ
ΙΣΟΛΥΜΠΙΑΤΗΣΜ·Γ·
ΙΤΑΛΙΔΟΣ·ΠΑΙΔΩΝ
ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ·ΔΙΑΥΛΟΝ
ΑΝΑΘΕΝΤΙΕΝΤΗΙΦΡΗΤΡΙΑΙ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ·ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ
ΣΥΝ·Τ·ΦΛΑΒΙΩΙ·ΖΩΣΙΜΩΙ
ΑΔΕΛΦΩΙΤΩΙΑΥΤΩΙΑΓΩΝΙ
ΤΑΓΜΑΝΙΚΗΣΑΝΤΙΚΑΙ
ΒΡΑΒΙΟΝΛΑΒΟΝΤΙ
ΕΥΜΗΛΕΙΔΑΙΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣΕΝΕΚΕΝ

Τ. Φλαβίῳ, Τ. υἱῷ
Εὐάνθει νικήσαντι
Ἰταλικὰ, Ῥωμαῖα, σέβαστα,
Ἰσολύμπια τῆς Μ. Γ.
Ἰταλίδος, παιδῶν
πολιτικῶν δίαυλον,
ἀναθέντι ἐν τῇ φρητρίᾳ
ἀνδριάντας Διοσκούρων
σὺν Τ. Φλαβίῳ Ζωσίμῳ
ἀδελφῷ τῷ αὐτῷ ἀγῶνι
τάγμα νικήσαντι, καὶ
βραβεῖον λαβόντι,
Εὐμηλεῖδαι φρήτορες
ἀμοιβῆς ἕνεκεν·

T. Flavio T. filio
Evanthi, qui vicit
Italica, Romana, auguſtalia,
Iſolympia Magnæ Græciæ
Italiæ, epheborum
urbanorum duplicatum curſum,
qui dedicavit pro fratria
ſtatuas Caſtorum,
& qui cum T. Flavio Zoſimo
fratre in eodem certamine
epheborum collegium vicit, &
victoriæ præmium adeptus eſt,
Eumelidæ fratores
remunerationis gratia.

Omnium primum advertas urbis noſtræ Græcanicæ magnificentiam, in qua omne ludorum genus agitabantur: de his vide laudatas Corſinii diſſert. agoniſt. qui præclara quæque ultimus congeſſit. Nil dubitandum, quin τὰ M. Γ. valeant Μεγάλης Γραικίας· id enim appoſuit auctor epigrammatis, ut poſteros doceret Neapoli inſtituta certamina *ſimillima Olympiis*, ἰσολύμπια, ac vocata τῆς Μεγάλης Γραικίας Ἰταλίδος, quo ab iis, quæ in vera, & antiquiſſima Græcia celebrabantur, diſtinguerentur; cum lapide belle conjurat Strabo p. 377. Νυνὶ δὲ πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς (Νεοπολίταις) μουσικός τε, καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἘΝΑΜΙΛ-

ΛΟΣ τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα, *nunc quinquennale ſacrum certamen muſicum, & gymnicum per aliquot dies ab ipſis (Neapolitanis) celebratur ludis ipſius Græciæ nobiliſſimis SIMILLIMUM.* Teneo a Pindaro certamina ab urbibus, atque a regionibus ſumpſiſſe nomina, Pyth. 9. v. 77. ἄεθλα Ὀλύμπια, ἄεθλα γᾶς βαθυκόλπε, ἄεθλα ἐπιχώρια, vide hic adnotat. & ſcholia, quæ ſit γῆ βαθύκολπ☉, &c.

Scio te turbari, quod enumerarim inter bonas voces Γραικία, quæ ſemper audiit Ἑλλάς, imo addas te ne in ipſis quidem lexicorum maximis reperire; verum contra eſt, nam Plutarchus, & Athenæus vocem Γραικός, vid. Caſaub. adnot. p. 103. non ſemel uſurparunt. Imo Ariſtoteles inquit Meteorolog. lib. 1. c. 14 Καὶ οἱ καλέμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν ϛ Ἕλληνες. Nec prætereundus Strabo pag. 79. ubi hæc allevit apposite virorum ſummus Salmaſius: *Porro* Γραικῶν *appellationem, etſi vulgus Græcorum reſpuit, poetæ tamen non ſunt aſpernati, Lycophron v.* 532. Γραικῶν ἀέρ☉, ᾧ πάλαι τάχει τάφος· inde iraſcitur Heſychio putanti a Romanis *Græcos* appellatos: conſulas etiam Albertum in Heſych. pag. 590. ubi plura de hoc Strabonis loco ediſſerit, ſcil. de vetuſto hoc carmine, quod ipſe Albertus vertit, & Strabo de Colchis loquitur ibid.

Ἄστυρον ἐκτίσσαντο, τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.
Urbem conſtituere, appellat, quam Φυγάδων *quis*
Græcus, at illorum barbara lingua Polas.

Demum auctor chronici marm. Arundell. linea XI. eandem vocem meminit: Καὶ Ἕλλωες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλέμενοι. Neque credas φράσιν inſolentiſſimam μεγάλης Γραικίας Ἰτάλιδος, meque exemplis deſertum, eam etenim teneo ab Dion. Caſſio pag. 124. lin. 85. Πομπήϊ☉ ϛ ἐπειδὴ ϗ ἐκεῖνα κατέπραξε, πρός τε τ Πόντον αὖθις ἦλθε, ϗ παραλαβὼν τὰ τείχη, ἐς τὴν Ἀσίαν, κἀντεῦθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα τ Ἰταλίας ἐκομίσθη, *Pompejus autem bis rebus peractis, rurſus in Pontum perrexit, & receptis caſtellis, in Aſiam, inde in Græciam Italiæ advectus eſt;* vides igitur peræque eſſe Ἑλλὰς τ Ἰταλίας, ac Γραικία Ἰτάλιδος, ut in noſtro ſaxo: præterea Lucianus to. 1. pag. 546. de Pythagora: Ἰταλιώτης δοκεῖ τις εἶναι τῶν ἀμφὶ Κρότωνα, ϗ Τάραντα, ϗ τὴν ταύτῃ Ἑλλάδα, ſupplendum τὴν ἐν ταύτῃ Ἰταλίᾳ Ἑλλάδα, quam *Italiam* jam meminerat in voce Ἰταλιώτης.

Haud incuſes me Caſſii verba interpolaſſe, cum magnus Reimarus ibi legat τὴν Ἑλλάδα τήν τε Ἰταλίαν, vertatque, *per Græciam in Italiam advectus eſt*, unamque provinciam in duas diſſecet: verum a tanto viro venia implorata, placet magis medela Xylandri p. 1391. n. 38. quam ſecutus ſum, nempe εἰς τὴν Ἑλλάδα τ Ἰταλίας, præſertim cum ipſemet Reimarus in variantibus adſeveret, *vulgo omittitur* τε, & revera importuniſſimum eſt, dum hiſtoricus de Græcia Italiæ loquitur, nam Pompeji navem paucis poſt verſibus p. 125. Brunduſium appulſam dicit, ἔς τε τὸ Βρεντέσιον ἐπεραιώθη. Ceterum in Dione vocem Ἀσίαν infeſtiſſimam dicas, quæ

Pom-

Pompeji iter reddit ἀγεογραφώτατον, etenim hunc ducem primum vides in Ponto, mox in Aſia, tanquam ſi Pontus extra Aſiam ſit, inde ſine interjacentium locorum commemoratione in Italiam trajeciſſe: id quod Reimarum adegit, ut voces Ἑλλάδα τῆς Ἰταλίας disjungeret. Quare, ut conſtet Dio, quin pro Ἀσίαν reponendum ſit Ἀχαΐαν nemo obſiſtet, quo nomine tunc temporis Græcia, & præſertim ab Caſſio vocitabatur, vide indicem Lat. ipſius Reimari voce *Achaja:* in iſthæc geographica grandia peccata impegiſſe librarios cuique notum eſt, quædam me adnotaſſe memini p. 457. quare ſine diſcrimine reficias Dionis κείμενον, *Pompejus autem, his rebus peractis, in Pontum rurſus porrexit, receptiſque caſtellis, in Achajam, inde in Græciam Italiæ advectus eſt*; quæ Caſſii verba ſanaſſet Reimarus, ſi ſaxum hoc noſtrum ei innotuiſſet, ubi Γραικίας Ἰταλικῆς ſcriptum eſt: id unum miror neque etiam Xylandrum, neque Leunclavium vocem Ἀσίαν hic omnino ἀπροσδιόνυσον advertiſſe; nunc ad cippum redeundum.

II. Verba παιδῶν πολιτικῶν δίαυλον præſtant etiam hunc agonem Neapoli celebratum, qui Laſenam noſtrum fugit in Gymnaſio: nomen Latiale ignoramus, Jo. Lydus etiam διαυλοδρομίαν vocat. Quodnam certamen hoc fuerit, vide Vandalium in diſſert. de Gymnaſiarch. Salmaſ. in Solinum pag. 637. & Academ. inſcript. tom. 7. pag. 219. ut ſexcentos taceam. Haud prætercam Mazochium, qui in Kalend. pag. 608. occaſione corruptæ vocis διυλιζομένη in actis S. Aquilinæ luculenter more ſuo explicat hanc vocem δίαυλος: illam vero confingendam jubet in διαυλιζομένη, & Heſychii auctoritate fultus vertit *labefactata:* verum ſi conjecturis indulgendum, reponerem διολιζωμένη nullo addito elemento, *comminuta, confracta*. Optaſſem potius, ut me docuiſſet vir eruditiſs. quinam ſit in capris ſilveſtribus αὐλὸς πνοῆς in dentibus, & δίαυλος πνοῆς in cornibus reſpirationis meatus, & *duplex ejuſdem canalis*, ſive *fiſtula* in Oppiani Cyneget. lib. 2. v. 338. & 342. dum docte, & multa digeſſit de *ambabus arteriis* in egregio opere Kalend. p. 496. quem locum tantum virum fugiſſe perquam ægre mihi eſt, nam multa luce perfudiſſet, cum neque Joſ. Scaliger, neque Rittershuſius quid boni protulere, ut ait Cornelius Paw in Horopoll. pag. 384. ſibique plaudit, quod Oppiani verſus interpretatus ſit, medelamque fecerit, ſi tibi otii eſt hujus adnotationes adeas. Vides epigrammatis auctorem, quos dicit παῖδας πολιτικούς, mox vocare τάγμα, *corpus, collegium*, & gratulandum mihi eſt antiquis meis civibus, qui chorum adoleſcentium alebant, ut reliquæ magni nominis Græcanicæ civitates, pro id genus ludis. Τάγμα autem cum idem ſit ac τάξις, *corpus*, ea de ῥήσει adeas Reineſ. p. 510. & Noriſium in cenotaph. p. 434. illam etiam in lapidibus inviſimus, τάξις παιανιστῶν Grut. pag. 314. conſulas & Vandal. diſſert. 7. de agonoth. pag. 580. Ceterum nemo doctius, ac uberius docet, quid ſit τάγμα, quam D'Orvillius in Chariton. p. 60. *Quod aliquando effertur νικᾶν ἐν παισί, ἐν ἀγῶνι, ἐν χόρῳ, vel νικᾶν ἀγῶνα παιδῶν,*

δῶν, *&c.* tantum virum adeas rogo. Nec præteream Salmaſium, qui in Solin. pag. 432. hæc affert: *Joſephus loquens de Eſſenis oppidum nullum inquit eos ſeorſim habuiſſe, ſed in ſingulis urbibus* μετοίκυς *fuiſſe, & corpus aliquod feciſſe, ſive collegium,* τάγμα *ipſe vocat*, ita Salmaſius, ſed locum non indicat, ut moris eſt ſummo viro. Præterea pag. 645. ait: *In theatro cuneus, qui Græce eſt* φυλή, *dicitur etiam certum* τάγμα, *nam ſuus cuique tribui cuneus adſignabatur.* Atque ita ſollemnis erat hoc puerile certamen, ut ubique membranarum Pauſaniæ illud reperire ſit, vid. pag. 394. 456. 457. 491. &c. ac in pag. 485. quater, aut quinquies ejus ἀγῶνος meminit. Nec antiquiorum Scriptorum obliviſcar, Demoſth. contr. Ariſtocrat. pag. 516. in fin. edit. 1607. Ἐπιχάρης μὲν ὁ πάππος ὁ ἐμὸς Ὀλυμπιάσι νικήσας παῖδας. Illuſtre etiam dicas, & fortaſſe ſingulare hoc marmor ob vocem πολιτικῶν, *urbanorum;* hinc colligere eſt fuiſſe etiam Neapoli τάγμα παιδῶν ξένων, *peregrinorum*, quod non tanti ducebatur, quanti illud *urbanorum;* quæ bina vocabula ubique oppoſita reperire eſt, ut in Demoſth. ibid. pag. 457. qui diſtinguit δωρεὰς πολιτικὰς ab ταῖς τῶν ξένων.

Reliqua epigrammatis verba planiora ſunt; quare nil hæreas in ἀναθέντι ἐν τῇ φρητρίᾳ ἀνδριάντας Διοσκούρων, cum eandem fere φράσιν videas in ſaxo pag. 608. φρήτορσιν ἀνέθηκεν. Dioſcurorum hæ ſtatuæ, licet infractæ, adhuc ſuperſunt, de quibus pag. 517. pauca dicta ſunt. Quodnam ſit βραβεῖον, quod adeptus ſit Evanthes, cernimus ſcalptum in ſiniſtra lapidis facie, nim. coronam ex lauro, & palmam. Longiorem Corſinius adjecit commentarium ibid. p. 107. multiplexne ſit certamen, an unicum, nempe δίαυλος, quod vicerat hic adoleſcens, id mea non tanti intereſt, membranas eruditiſs. viri adeas, qui etiam voces Ἰταλικά, Ῥωμαῖα, Σεβαστά, Ἰσολύμπια illuſtrare adniſus eſt. Itaque unum reliquum eſſet, ut de Eumelo verba facerem, quod mox dabo.

Alteram cippi epigraphen recentibus etiam characteribus accipias, cu-



ΣΕΟΥΗΡΩΙΚΑΙΕΡΕΝΝΙΑΝ·ΥΠΑΤ
ΠΡΟ Ε·ΕΙΔΩΝΜΑΡΤΙΩΝ
Τ· ΦΛΑΒΙΟΣ ΖΩΣΙΜΟΣΚΑΙ
ΦΛΑΒΙΑ ΦΟΡΤΟΥΝΑΤΑ ΓΟΝΕΙΣ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΙΛΥΧΝΙΑΣΜΕΤΑ
ΛΥΧΝΩΝΚΑΙΒΩΜΟΥΣΔΙΟΣΚΟΥΡ
ΑΥΤΙΣΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝ



jus ſententia ſatis plana ac aperta nullis fere indiget adnotatiunculis:

Σεύη-

Σευήρω, καὶ Ἑρεννιάν. ὑπάτ.	*Severo, & Herenniano coſs.*
πρὸ ε εἰδῶν Μαρτίων,	*ante diem V. idus Martias,*
Τ. Φλάβιος Ζώσιμος, καὶ	*T. Flavius Zoſimus, &*
Φλαβία Φορτουνάτα γονεῖς	*Flavia Fortunata parentes*
χαριστάμενοι λυχνίας μετὰ	*voti compotes candelabra cum*
λύχνων, καὶ βωμοὺς Διοσκύρ.	*lucernis, & aras Caſtoribus*
αὖθις καθιέρωσαν.	*gratias agentes dedicarunt.*

Vides anno poſt Chriſt. nat. 171. propalam Neapoli ludos celebrari, numinum ſtatuas erigi, ac in eorum templis aras, & lychnuchos conſecrari ab Flaviæ gentis libertis, libertabuſque; addas famoſum Dioſcurorum templum, cujus adhuc binæ ſtant ingentes columnæ, eo anno non adhuc perfectum, etenim & ſtatuis deſerebatur, ariſque, ac candelabris; multo igitur Tiberii Aug. ætate, a quo erectum noſtrates Scriptores etiam primi ſubſelii conjurarunt, vid. pag. ſup. 469. recentius eſt.

III. Quoniam autem bina hæc epigrammata Corſinius cum paucis Græce gnariſſimus interpretatus eſt, & doctis adnotationibus exornavit, ac ipſe non unas voces a tanti viri ſententia longe alienas Latine dedi, nemo mihi invidebit, ſi verborum, quæ ego appoſui, cauſam agam: clariſs. Corſinii interpretamentum eſt:

Τ. Φλαβίῳ, Τ. υἱῷ	*T. Flavio. T. Filio*
Εὐάνθει νικήσαντι	*Evanthi, qui vicit*
Ἰταλικὰ, Ῥωμαῖα, σέβαστα,	*Italia, Romana, auguſtalia,*
Ἰσολύμπια τῆς. Μ. Γ.	*iſelaſtica Olympia XLIII.*
Ἰταλίδος, παιδῶν	*Italicæ Olympiadis duplicato puerum*
πολιτικῶν δίαυλον,	*urbanorum curriculo,*
ἀναθέντι ἐν τῇ φρητρίᾳ	*& dedicavit in fratria*
ἀνδριάντας Διοσκύρων	*ſtatuas Dioſcurorum*
σὺν Τ. Φλαβίῳ Ζωσίμῳ	*una cum T. Flavio Zoſimo*
ἀδελφῷ τῷ αὐτῷ ἀγῶνι	*fratre ſuo, atque in eodem agone*
τάγμα νικήσαντι, καὶ	*aciem ſuperavit, &*
βραβῖον λαβόντι,	*bravium obtinuit,*
Εὐμελεῖδαι φρήτορες	*Eumelidæ ipſius fratores*
ἀμοιβῆς ἕνεκεν.	*remunerationis cauſſa.*

Fateor me non advertere vocem *iſelaſtica*, ſed *iſolympia*, quam magnus Corſinius neſcio, cur diſſecuerit in binas *iſelaſtica*, *Olympica*: quis enim ſcalperet ΙΣ ſyllabam breviſſimam pro longiori vocabulo ΕΙΣΕΛΑΣΤΙΚΑ, præſertim cum videas in principio hujus ῥήσεως jota; jure igitur appoſitum eſt, Strabone certo vade, Ἰσολύμπια. Miratus ſum eundem virum, cui tantum debet res litteratorum publica ob immortale opus de notis Græcorum, reddidiſſe ΤΗΣ Μ. Γ. ΙΤΑΛΙΔΟΣ, *XLIII. Italicæ Olympiadis*,

dis, atque accepiſſe M. Γ. pro numerorum ſignis; inde ſuo hoc interpretamento docte, ſed importune aggreditur ſtatuere Neapolitanarum Olympiadum, & Auguſtalium ludorum originem ac principium *hactenus*, ut ipſe ait, *incompertum*. Verum quoniam ſuperius reddidi notas illas M. Γ. Μεγάλης Γραικίας, longum Corſinii laborem fruſtra eſſe plerique omnes haud dubii exputabunt. Sed nil magis tam belle quæſitum tanti viri interpretamentum elevat, quam quod bis cerneres in eodem lapide annum agonum victoriæ, ſcil. tum Olympiade 43. tum coſs. Severo, & Herenniano; quod quam ſit novum atque inſolens quiſque exputat: & cum hi Flaviorum gentis liberti Evanthes, Zoſimus, & Fortunata Roma Neapolim ſe recepiſſent, ab eiſdem Latinorum more, conſulum nempe nominibus annos, non vero Olympiadum numero, (quas vergente ſecundo Chriſti ſæculo ne in ipſa quidem Græcia celebratas reperies,) adnotandos oportuit. Quare litterarum M. Γ. Μεγάλης Γραικίας divinationem vero propiorem dicas; & mox aperiam, nimirum in Ariſtæorum fratria, Neapolitanos, utpote Ἀστυκοὺς, veterum Athenienſium ritu, quos Olympiadas haud noviſſe tirones ſciunt, tempora adnotaſſe. Pace tanti viri dictum ſit, verba, *duplicato puerorum urbanorum curriculo*, ἀσωυτάκτως appoſita forte quis moleſtus aſſereret. Τάγμα Latine *aciem* neque ex animo fert ipſe Corſinius: vocula *ipſius* in verſu penultimo turbat omnem epigraphes ſententiam, & Græce non exſtat. Secundum epigramma ita verſum eſt:

Σευήρῳ, κ̀ Ἑρεννιάν. ὑπάτ.
πρὸ ε εἰδῶν Μαρτίων,
Τ. Φλάβιος Ζώσιμος, καὶ
Φλαβία Φορτυνάτα γονεῖς
χαριστάμενοι λυχνίας μετὰ
λύχνων, καὶ βωμοὺς Διοσκούρ.
αὖθις καθιέρωσαν.

Severo, & Herenniano conſulibus
ante diem V. idus Martias
T. Flavius Zoſimus, &
Flavia Fortunata parentes
filiis obſequentes candelabra cum
lucernis, & aras Dioſcurorum
iterum conſecrarunt.

Ignoro, cur Corſinius de ſuo appoſuerit *filiis* vocem importunam, & marmoris ſententiæ adverſantiſſimam; nam parentes ſe prædicant Dioſcuris obſequentes: ipſe verti *voti compotes*, quod proxime tangit τὸ χαριστάμενοι. *Dioſcurorum* in caſu patrio prorſus ἀπροσδιόνυσον eſt: & ΔΙΟΣΚΟΥΡ. extendas Διοσκούροις, queis eas res ſacras dedicarunt Zoſimus, & Fortunata. ΑΥΘΥΣ refuſum *iterum* ab lexicis petitum eſt: ipſe verti, *gratias agentes*, quoad ſententiam auctoris epigrammatis; & ſane αὖθις ſæpe eſt *viciſſim*, licet lexicographi id non adnotarint, ecce tibi omnium Scriptorum princeps Homerus Il. η v. 33. Τὸνδ' αὖθις προσέειπε Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη, atque omnes vertunt, *viciſſim reſpondit Minerva*; reliquos vatis locos bene multos tutemet ſcruteris; itaque in marmore eam voculam reddas *remunerationis ergo*, ſive quod idem eſt, *gratias agentes*.

Brevi admodum luce in bina epigrammata ſuffuſa, atque abſterſis, quæ in

in Corſiniano interpretamento importuna viſa ſunt, reſtat, ut de Eumelo Deo Neapolitanorum, quem a duobus ſaxis nacti ſumus, & Statius etiam ſervavit, pauca adjiciam, licet nomen ſit obſcuritatis plenum. Id unum ſemper miratus ſum exteros, ac noſtrates Scriptores, etiam qui erectiſſimæ eruditionis ſunt, veluti Mazochius, edixiſſe Eumelum fuiſſe Parthenopes parentem, inquit enim pag. 140. col. 1. *Alii enim Eumelidæ vocabantur, ab Eumelo patre Parthenopes ita dicti;* verum unde id tractum ſit, ignotum ſane eſt, neque aliam originem hujus rumuſculi quæras, quam quod ita avus, atque pater eorum auribus inſonuit. Haud inficior Laſenam in Gymn. p. 202. id etiam pernegaſſe, ſed in grandius peccatum incurrit, dum Eumelum eundem facit, ac Phalerum, nixus verbis Apollonii Argonaut. lib. 1. v. 95. εὐμμελίης τε Φάληρος, ſed ſat oblivioſus haud advertit tum aliter ſcribi ἐϋμμελίης, ac Εὔμηλος, tum vocem illam eſſe προσθετόν cujuſcumque fortiſſimi ducis ab μελία *haſta*, eo quod καλῶς τῇ μελίᾳ χρῶνται, ut notant Græculi, & ſcholiaſtæ; hinc Homerus Od. γ. v. 400. vocat Piſiſtratum ἐϋμμελίην, quampluresque heroas; verum eam ῥῆσιν ibridam eſſe reor, ut ſexcentæ ſunt in Hom. & educendam ajo ab εὖ, *bene*, & מלא, *completus*. Cur Nymphas Μελίας vocet Heſiodus Theog. v. 187. & Μελίττας Porphyrius in quæſt. Homeric. p. 63. ed. H. Steph. explicat Clericus in Heſiod. ibid. deducitque vocabula Νύμφαι Μελίαι ab נפשות מלואות, nempe *animæ plenæ*, ſive *perfectæ*: vides igitur ſollemne fuiſſe Græcis voces mutuari ab מלא. Cum igitur monumentis veterum prorſus deſeramur, quinam fuerit hic Eumelus, riſum ciet ſane, qui hunc heroem Parthenopes parentem tueri velit.

Et perdiu novi Statium noſtratem in cauſa fuiſſe, ut Scriptores hi univerſi ψευδοπάτορα Parthenopen fecerint, etenim in his pro urbe noſtra honeſtiſſimis verſibus ſe hujus Sirenis patrem certo deprehendiſſe dejerant Silv. lib. 4. 8. v. 45.

Dii Patrii, quos auguriis ſuper æquora magnis
Littus ad Auſonium devexit Abantia claſſis:
Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice ſedentem
Reſpiciens blande felix Eumelis adorat:
Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ:
Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbroſæque magis coluere Terapnæ:
Hos cum plebe ſua patrii ſervate Penates.

Data fide omnes cujuſcumque nominis interpretes edixerunt Eumelin eſſe Parthenopen ita appellatam ab Eumelo patre; atque fingere oportet Papinium deſcripſiſſe ſtatuas binas, Apollinis unam in ſiniſtro humero columbam habentis, alteram Sirenis noſtræ ipſum reſpicientis, atque adorantis; quod quantum ſit a poetæ verbis alienum, nunc accipies, iique

Digitized by Google

verſus priſcam lucem, quam commentariorum moles preſſit occultavitque, acquirent. Itaque in Statio *Eumelis* eſt ipſa *fratria Eumelis*, quam teneo etiam ex ſuperioribus ſaxis, nempe *Eumelidæ fratores*, ut dictum eſt; quod aperte ex poeta colligitur; etenim cum Menecrates Neapolitanus alterum filium procreaſſet, Statius eo in carmine fratriæ Deos precatur, ut illum incolumem ſervent, principem Deum Apollinem ab Eubœa columba duce advectum, ſummaque religione ab Eumelidarum fratoribus cultum; inde Cererem, cujus Statius ſe dicit myſtam; demum Dioſcuros, quos majori obſequio iidem fratores proſequebantur, quam Taygetæ, & Terapnæ. Quis igitur poſthac contendat Papinium de Sirene Eumelide locutum ab Eumelo parente nomen adepta? & quem non pigeat ac pudeat tot noſtrates, exteroſque doctiſſimos viros ea de re tot membranas conſumpſiſſe? Quis autem fuerit hic Eumelus, quem Deum ſuum fecit hæc Neapolitana regio, divinet quivis, non ego, cum tot heroas hujus nominis commendet antiquitas: id unum mea intererat avitum errorem ab civium meorum animis detergere, Eumelum fuiſſe Parthenopes parentem; neque quis eam divinationem ſperet, cum monumentis careamus, ſicuti haud noſcere ſatis ſumus, a quonam *Ariſto* vocitata ſit fratria *Ariſtæorum*, qua de paullo inferne.

IV. At contra civibus meis ſat gratulor, quod Eumelidarum ſitum, ſive regionem certam in noſtra urbe nactus ſum, & adhuc reliquiæ non exiguæ viſuntur; & gratiæ habendæ Statio, qui in laudatis verſibus & fratriæ nomen, & Deos in ea indigetes, & ἐγχωρίους ſervavit. Itaque non exiguo urbis ſpatio, ſituque honeſtiſſimo omnium Eumelidarum δῆμος concludebatur, ut ex dicendis dignoſces, ſed certos fines ne a me exſpectes; id ſane exploratum habemus eos principem urbis regionem occupaſſe, ſcilicet ubi nunc Campana patriciorum curia eſt, Pontificale templum, locus omnis prope D. Laurentii, ac D. Paulli, uſque ad ſacerdotum ædes, quos Cruciferos vocitamus, & plurimum finitimarum viarum, atque domorum uſque ad Divi Januarii ad diaconiam. Porro Eumelidas conſtat hoc urbis ſpatium occupaſſe, cum lapides inibi repertos legamus, & cippus Flaviorum, de quo multa ſuperne, adhuc inviſatur in μαγειρείῳ ſacerdotum Cruciferorum, iratiſſimus dicam, coquinaria pinguedine ſordidus, quorum ædes, & templum inter fratriæ ambitum concludebantur.

Sed teſtis vehemens eſt Papinius Statius συμπολίτης, qui in recitatis verſibus non ſolummodo hanc regionem vocat *Eumelida*, ſed & templa enunciat, & Deos φρητρίους, Apollinem ſcilicet, Cererem, & Dioſcuros, quorum adhuc grandia rudera, vel veſtigia ſat indubia hic relicta ſunt. Quod attinet ad Apollinem, ſive Solem, ejus templum in principe hujus fratriæ ſitu erectum oportuit, cum huic numini, majeſtatique devotiſſimos Neapolitanos fuiſſe quotquot vis monumenta docent, & primus omnium Statius Apollinis ſignum deſcribit cum columba, quæ in læva ſedebat cervice; inde laudat Eumelidas tanta tutela feliciſſimos, & viciſſim eoſdem obſequentiſſimos: *Tu*

Digitized by Google

Tu ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice ſedentem
Reſpiciens blande felix Eumelis adorat.

Ne dubites, quin *reſpicere* peræque ſit, ac *obſequi*, quod etiam ab Latinæ linguæ theſauro tenes. Præterea idipſum preſſius ſtatuam, quod via omnium celebratiſſima, quæ ad ingens judiciarium forum ducit, adhucdum *via Solis* audit, atque hoc nomine ab noſtratibus Scriptoribus ſalutatur, præſertim ea pars, quæ prope eſt S.Januarii columnam elegantiſſime exornatam. Labor eſt divinandi, quonam certo Eumelidarum regionis loco Solis, ſive Apollinis templum erexere veteres cives; ipſe bonis conjecturis fulcior, ſi pronuntiem fuiſſe, ubi nunc viſitur illud admirandæ molis ab regum Andegavenſium munificentia exſtructum; eſtque ſedes Neapolitanorum Pontificum; etenim certum eſt princeps hoc Chriſtianorum templum ex ingentibus alterius ædificii reliquiis compactum eſſe; etenim innumeris, & antiquis e marmore columnis undique fulcitur, licet ſub tectorio opere nunc latitent; & binæ illæ nobiliores, ac grandiores, quarum una nuper laudata proxime Solis viam æneam D.Januarii ſtatuam regit, altera ad Divi Paulli tranſvecta adhuc jacet muro tecta, atrium decorabant; pariles in vicinarum ædium fundamentis veluti conſepultas ſe vidiſſe majores noſtri ſcripſere. Itaque Apollinis templum ab ſeptentrione ad meridiem extendebatur, quo aditus illuſtrem Solis viam celebrantibus facile pateret.

Porro, ut firmem inibi revera templum Solis excitatum, præſto mihi eſt cariſſimum monumentum; introeas rogo hoc noſtrum Metropolitanum templum, & in ſacello, ubi ſanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum decentiſſime ſervatur, in pariete poſt aram inviſes ſat vetuſtam tabulam octonos circiter pedes altam, quaternos latam, in qua grandior Servatoris Chriſti domini imago depicta eſt ad majeſtatem ſedentis, librum ſiniſtra regentis bipatentem, in quo legere eſt, EGO SVM LVX MVNDI, atque, quod omnibus mirum futurum eſt, ipſe ambobus pedibus ingentem Solis rubentis diſcum conculcat premitque. Quis ex hac inſolenti peræque, ac veneranda imagine non ſtatim colliget 350. plus minus abhinc annis, quando depicta eſt, vividam fuiſſe famam, hoc princeps templum Apollini ſacrum, ſive Soli, converſum a Chriſtianis, ut moris erat, in verum cultum, atque θεραπείαν humani generis luminis, Soliſque juſtitiæ Chriſti domini? quare hujus aſtri grandem icona, ut quod factum fuerat, exprimerent, pedibus ejus premendam appoſuerunt: & hanc pingendi Servatoris in hoc templo rationem vetuſtiſſimam fateamur oportet; nam in ſummæ antiquitatis membranis, & lapidibus litteratis hæc pictura *veteris Salvatoris* ſalutatur, uti ſacellum ipſum; vide quot pagellas de hac poſteris admiranda icone implevit Mazochius de Eccleſ. Neapol. pag. 152. &c. vide etiam p. 178. &c. cui facile quiſque indulget, (ab tanto viro pacem poſco,) ſi eam exemplar faciat, non autographum, ad id enim urgebat cauſa, cujus

agit patrocinium. Unum me angit virum maximum, a quo præclara uſque exſpectanda ſunt, de Sole, quem pedibus terit imago iſthæc jam περιθρύλλητος, poſtquam tanta ſuſque deque aggeſſit, nihil omnino commentatum eſſe, quod aſtrum ſi vidiſſet, tabulam πρωτότυπον eſſe pronuntiaſſet, nam alibi ſimilem haud reperire eſt; quis enim fingere audeat Servatorem noſtrum, qui *Solis* nomine in ſanctis libris pluries ſalutatur, tam illuſtre ſymbolum pedibus conculcantem? repetas rogo, quæ a me pag. 297. præclari marmoris occaſionem nacto, in quo ter Chriſtus *Sol* dicitur, adnotata ſunt. Porro haud ſcio, an vendibilius hujus rariſſimæ tabulæ interpretamentum veſtiges; quod ſi Archiepiſcopi harum ſacrarum vetuſtatum amantiſſimi animo ſederit, rogatum vellem, ut quantivis pretii picturam honeſtiori loco appendi, reficique jubeat, nam quaſdam partes ob ævitatem exeſas indoleſcimus, quo & Neapolitanæ ſuperſtitionis æque, ac pietatis reliquiæ poſteris commendentur, ac exteri admirentur.

v. Hæc quoad Apollinis, ſive Solis templum in Eumelidarum fratria: pauca addam de ſacra Cereris æde, nam exigua monumenta ſuperſunt, quanquam Deam Neapolitani hujus regionis coluiſſent devotiſſimi, ac ſollemnibus ceremoniis honeſtaſſent, ut ex Statii laudatis verſibus docemur:

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada myſtæ.

Cur vocetur hæc Dea a poeta *Actæa* ſive *Attica* dictum eſt pag. 502. habes etiam pag. 416. haud loqui Papinium de curſu lampadico, ſed de ſollemni ſacrificiorum genere a Sacerdotibus celebrato, ne te locum adire pigeat. Gratiæ multum habemus Capacio, qui quaſdam ſervavit reliquias, nempe longiuſculum Neapolitanum marmor Græcanicum, Πλουτογενείας ἱερείας Δήμητρος θεσμοφόρου, *Plutogeniæ ſacerdotis Cereris legiferæ;* meminit & bina anaglypta ex marmore, quorum unum adhuc exſtat prope ſcalas ædium principum Colubranenſium, in quo & Proſerpinæ raptum, & Cererem filiam conquirentem ſcalptam vides, & ipſe Capacius ſchema affabre expreſſum incidi curavit pag. 213. Plutogeniæ cippum in extremo hujus lib. cap. reviſam. Licet obſcurum ſit, ubi hujus regionis Eumelidæ templum Cereri excitarint, haud Capacio p. 218. obſiſtendum reor, quin fuerit, ubi nunc viſitur elegantiſſimum illud S. Gregorii Armeni, Capacii tempeſtate conditum, in cujus fundamentis parietes, ſtatuas, & pavimentum pervetuſti templi reperta aſſerit pag. 218. atque non hinc procul marmor Plutogeniæ Cereris Sacerdotis affixum etiam tradit pag. 215.

Caſtorum templo in hac regione nihil eſt evidentius, egregiis, ac ingentibus reliquiis adhucdum exſtantibus ex ampla elegantique porticu, quæ an. 1688. vi terræ motus collapſa eſt: binas columnas Corinthii operis erectas cernimus altitudine palm. Neap. circ. 35. una cum capitulo, quod 4. palm. eſt cum baſi, quæ duorum; Deorum fratrum grandiora marmorea ſigna, licet quoad bonam partem mutila, præter epigraphen, quam noſtrates, exteriqne Scriptores ſervarunt:

TIBE-

Digitized by Google

ΤΙΒΕΡΙΟΣ · ΙΟΥΛΙΟΣ · ΤΑΡΣΟΣ · ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ · ΚΑΙ · ΤΗΙ · ΠΟΛΕΙ · ΤΟΝ
ΝΑΟΝ · ΚΑΙ · ΤΑ · ΕΝ · ΤΩΙ · ΝΑΩΙ · ΠΕΛΑΓΩΝ · ΣΕΒΑΣΤΟΥ · ΑΠΕΛΕΥΘΕ
ΡΟΣ · ΚΑΙ · ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ · ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ · ΕΚ · ΤΩΝ · ΙΔΙΩΝ · ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ

Hanc Latinam dedi pag. 470. etiam de ætate marmoris contra ceterorum ſententiam dictum eſt p. 469. Illud ΤΗΙ ΠΟΛΕΙ a me inibi verſum eſt *Parthenopæ*, conſtat enim urbes θεότητι donatas, eiſque erecta templa; & Palladius tom. 4. pag. 8. qui anaglypti marmorei figuras, licet ſubobſcure delineatas ſervavit, quæ in tympano viſebantur, exhibet Deam ſupra baſim, atque in dextra, ſiniſtraque, qui victimas mactandas ferunt. Quæ de hujus tympani ſcalptura aſſerunt Capacius pag. 219. & Gruterus 98. 7. nihili ducas contra tanti architecti auctoritatem. Cujus Auguſti fuerit libertus Pelagon, ignoratur, quare miratus ſum Gruterum alleviſſe in adnotatiuncula fuiſſe hunc Pelagonem Neronis ſpadonem, de quo Tac. lib. 14. cap. 59. Paullo ſuperius p. 613. allata ſunt, quæ ex Flavia gente quidam in hoc templo munificentiſſime dedicarunt. Demum tanta religione conſtat bigam horum pugilum Deorum proſecutos Neapolitanos, ut etiam nummos cum eorum equeſtri imagine percuſſerint, quos habes in Capac. pag. 218.

His prolixiori ſermone expenſis, jure mihi initio dictum eſt Eumelidarum δῆμον, & fratriam omnium primam fuiſſe, cum de ea non una ſcripta marmora relicta ſint, queis addas Deum patrium *Eumelum* pervetuſtum Neapolitanorum: vides hic cultam *Parthenopen*, quæ urbem fundaverat, & Solem, ſive Apollinem, qui primas colonias numine ſuo rexerat, quique peregrino, atque honeſtiſs. nomine *Hebo* ſalutabatur, quo de non pœnitenda in ima hujus cap. cera adjiciam; & Cererem Atticam, cujus Deæ tacitam religionem Athenienſes extremi Græcorum Neapolim advecti intulerunt; demum Caſtoras in maritimis plerumque urbibus famoſos. Sed me magis urgent, ut credam hanc fratriæ πρωτεῖον, hodiernus noſtræ urbis ſitus, ac reliquiæ bene multæ; etenim in hac regione cernere eſt adhuc templum metropolitanum *Salvatoris veteris* nomine, & pictam tabulam adhuc exſtantem Apollini, ſive Soli ab Chriſtianis oppoſitam; imo & ſtemma ipſum urbis, cujus areæ magna pars rubra eſt pro Solis ſymbolo. Hic etiam, nempe juxta S. Laurentii, erecta elegans domus eſt, ubi a patriciis pro reipublicæ negotiis expediendis comitia celebrantur: curiam Campanam ceteris antiquiorem, imo familiarum ædificia, quæ majorem ætatem prædicant: ingentia rudera ex latericio opere, quæ adhucdum audiunt *anticaglie*: addas inibi repertum coloſſicon ſignum equi ex ære omnibus admirandum, cujus caput in ædibus principis Colubranenſium etiam nunc inviſitur; columnas atrii Dioſcurorum, eorumque ſtatuas, ut mittam cetera. Quæ omnia cum hanc regionem, partem urbis principem, & ſpectatiſſimam reddant, haud negandum, quin id decoris majoribus priſcæ ævitatis acceptum referendum ſit. In civium meorum commoda peccarem, ſi non adverterem inter Eumelidas vixiſſe Statium, nam ſacerdotem Cereris

Digitized by Google

rerię ſe dicit, necnon Menecratem Pollii Surrentini generum, cujus familiæ *largum nitorem* commendat ipſe Statius, vocatque in præfat. lib. 4. Silv. *municipem ſuum*. Demum in mentem revoces ex iis, quæ de fratoribus Eumelidarum protuli, palam eſſe eos ſacrarum rerum, templorum, & myſteriorum adminiſtros fuiſſe, nam in binis lapidibus, ubi vox ΦΡΗΤΟΡΕΣ ſcalpta eſt, iiſdem ſtatuæ Deorum, Eumeli, & Dioſcurorum, aræ, candelabra, & id genus ſacra ſupellex comendantur, nec eos circa res profanas occupatos leges, quod etiam ex ſequentibus fratriarum nominibus melius firmabitur.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ

VI. Haud longe ablegandi ab Eumelidarum regione *Artemiſii*, ſicuti minime ab Sole Luna diſſocianda eſt: hunc Neapolitanum δῆμον, ac φρητρίαν ſervarunt nobis Summontius, & Capacius noſtrates, de antiquo Neapolitano nomine ſatis ſuperque meriti, quem e marmore exſcripſere, vid. Capacius pag. 75.

Λ·ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ·ΠΡΟΚΛΟΝ
ΥΠΑΤΟΝ·ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ·ΤΩΝ·ΙΛΙΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΟΙ·ΦΡΗΤΟΡΕΣ
ΑΜΟΙΒΗΣ·ΧΑΡΙΝ

Ab uno hoc ſaxo Artemiſios novimus, qui ſicuti Eumelidæ Apollinis, ſive Solis cultui ſe addixere principes totius urbis φρήτορες, ita Artemiſii *Dianæ*, ſive Lunæ, quæ illuſtri nomine, ac peregrino *Artemis* ubique gentium ſalutata eſt, ſacrificia, ac reliqua religionis opera præſtabant; quam ardenti ſtudio Neapolitani aſtra, & Chaldaicam artem amarint, ea enim etiam in vaſculis atramentariis affigebant, in extremo hujus libri cap. uberrime accipies. Pauca mihi hic apponenda de hujus L. Creperei Proculi coſ. & procoſ. Ilienſium, ſive Sardiniæ epigraphe, etenim ſuperne pagellas ſenas nempe ab 519. uſque ad 524. implevi, in queis labore non pœnitendo ipſum in conſulum albo a me repertum oſtendi adverſus virum ſummum Mazochium, qui Proculum hunc coſ. ſuffectum dixit, & vocem ΙΛΙΩΝ omnino reticuit; adjectum etiam eſt, cur Capacius male exſcripſerit ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ pro ΚΡΕΠΕΡΑΙΟΝ, tutatuſque ſum tum Reineſium ab Mazochio inertiſſimæ oblivionis arceſſitum, tum Neapolitanos, qui hanc vocem amarunt pro elegantiori ΚΡΕΠΕΡΗΙΟΝ, rogatum te volo, ut iſthæc omnia nunc ſatis opportuna adeas, parumque otii teras. Reliquum mihi unum eſt, ut advertas Proculum, eo quod de Artemiſiorum φρήτορσι egregie meritus eſt, jure εὐεργέτην ſalutatum, & ſtatuam, aut hanc lapidis litterati memoriam ab hoc ἱερατικῷ corpore honeſtatum; ſollemne enim tunc erat hanc ſacram κοινονίαν, vel etiam

Deos,

Deos, quos hi φρήτορες curabant, benefactis proſequi, vide Eumelidarum ſaxum pag. 612. & quos lapides in ſequentibus fratriis apponimus. Præterea ſcimus Neapolitanos Artemidem inſani religione coluiſſe, cum in hanc Deam obſequentiſſimi animi ſignum tot nummos flaverint loquentes ΑΡΤΕΜΙΣ, ex quibus unum argenteum exſcripſit Capacius pag. 211. & Golzius ad denos uſque retulit, in queis cernere eſt vel omnem vocem ΑΡΤΕΜΙΣ, vel mancam ΑΡΤ. quare tandem novimus, cur in bene multis antiquis noſtratibus nummis caput muliebre capillis ad elegantiſſimum cultum compoſitis cuſum, ſcilicet ut Artemidos majeſtati ac numini devotiſſimos ſe præſtarent; neque caput illud Parthenopen credas, ut vulgus ἀρχαιολόγων noſtrorum ratus eſt.

Antequam de hujus fratriæ in urbe noſtra ſitu mihi ſermo ſit, quædam de nominis Ἄρτεμις etymo delibanda; ſiquidem quotquot eruditiſſimi viri de ἐθνικῇ theologia quæſitiſſima ſcripſerunt, nil prorſus ab eiſdem de voce Ἄρτεμις dictum eſt, at contra de Aſtarte, & Hecate, ceteriſque Deæ nominibus ad miraculum docta commentatos ſcimus, vide Huetii Dem. Evang. pr. 4. c. 10. n. 3. & Clericum in Heſiod. Theog. in v. 411. ut Lilium Gyraldum, Bochartum, & Banierum taceam, quorum loca ex indicibus habes; quam vocem Artemis ab hoc miro ſilentio atque oblivione διὰ βραχέων vindicare mihi in animo eſt, ut de noſtratibus Artemiſiis fratoribus quid merear; & nemo mihi prohibeat, quominus de τῷ πάνυ Mazochio hic jure conquerar, qui me ab hoc onere levare unus quiviſſet, verum id ſolummodo in diatriba de Fratr. adſcripſit, *Artemiſii a Diana nomen invenerunt*, neque de etymo, eorumque ſitu quid curavit; quæ ambo ab tanto viro expetebant cives. Neque etiam Corſinio, quem tanti facio, parcam, qui inter Græcorum feſta haud adnumeravit *Artemiſia* to. 2. faſt. Att. p. 308. adeo parvi curata fuat, quæ tamen Potterus to. 1. pag. 393. Archæolog. adſcripſerat.

Principio te commeminiſſe jubeo inter ſexcenta Dianæ, ſive Lunæ nomina, illud *Artemis* omnium auguſtius, atque antiquius audire, etenim vatum parens maximus Homerus ubique ſuarum Iliad. & Odyſſ. hoc uno nomine Deam ſalutat, neque unquam, aut Phœben, aut Hecaten, aut Iſida, &c. appellat, imo tot προσθετοῖς eam exornat, ut nullum numen magis, & non ſemel iis binos complet verſus, Il. v. 70.

Ἥρῃ δ' ἀντέστη χρυσηλάκατος, κελαδεινή,
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα, κασιγνήτη Ἑκάτοιο.

Abutar hic parumper indulgentia tua legentis, quo loquendi Homericam κυριότητα admireris, qui dicit Solem, Artemidos fratrem, Ἕκατον, e contrario tanti vatis nepotes Lunam dixere Ἑκάτην· concors apprime eſt Homero Iſaias, qui Apollinem ἀρσενικῶς vocat הנר, unde ἀμέσως Ἕκατος, & hac de voce Joan. Clericus in Heſiod. Theog. v. 311. ingentes turbas ciet, miſcetque omnia, cum res ſat plana, & æqua ſit, imo in tam brevi vocula non unam immutat litteram, ita ut ex נר, ſive הנר confingat

חמא

חתא, & אחתא, quo tandem muliebrem formam reperiat, & voci Græcanicæ Ἑκάτη reſpondeat; verum cum τὸ חתא, ſive אחתא valeat *una*, quis in animum inducat, ut Luna *Hecate* dicatur, quod *una* ſit, ob nomenclaturam ſcilicet γεοικωτάτην; ceterum ne dubites, quin in Iſaia הגד ſit Ἕκατος, *Apollo*, nam paucis poſt verbis vides מני, μήνη, *Luna*, quæ vox etiam Homerica eſt Il. ψ. v. 455. Itaque hujus prophetæ verſ. XI. cap. 65. jure verti poſſet: *Et vos, qui dereliquiſtis Dominum, & obliti eſtis montem ſanctum meum, offerentes Apollini menſam, & coacervantes Lunæ libamina;* etenim in hoc cap. Iſaias idololatriam Hebræis objectat: Hieronymus interpretatus eſt: *Qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Septuaginta viri transſudere, Ἑτοιμάζοντες τῷ δαίμονι τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. Hunc prophetæ verſum grandi commentariorum ſtrue onerarunt doctiſſimi quique interpretes, quos adeas: nemo unus pro voce הגד ad Homericum Ἕκατον digitum intendit; interea vides, quantam lucem ab tanto vate in dies mutuamur. Porro, quoniam apud Hebræorum antiquiſſimos גד, ſive הגד ſit *felicitas*, & *felicitatem inducens*, vid. Geneſ. 30. v. XI. appoſite id nominis Soli datum eſt, qui illam præ ceteris aſtris hominibus abunde impertit: & poetæ præſertim id officii huic aſtrorum principi tribuunt, hinc Hom. vocat τερψίμβροτον Od. μ. v. 269. & in hym. 2. v. 411. Callim. in hym. βοηδρόμιον, & ἀοσσητῆρα· Orpheus ὀλβιοδώτην· & nil frequentius eſt in ceteris vatibus, quam Ἀπόλλων, & Ἥλιος βιοδώτης, φερέσβιος, ζωογόνος, *vitalis*, ὀλβιοεργός, λυσίπονος, σωτήρ, ζείωδρος, πᾶσιν ἀρωγός, κ. τ. λ. quare Græculos derideas, qui Ἕκατος interpretantur, *longe jaculans*. Sed ad Artemin redeundum, unde Homerus me abſtraxerat.

Si igitur hic divinus vates ex tot Dianæ nominibus Artemin ſelegerit, haud quis mihi intercedet, quominus præ reliquis ſit auguſtius, & univerſi Neapolitanos commendent, qui utpote Ὁμηρικώτατοι, unam ex ſuis fratriis *Artemiſiorum* dixerint potius, ceteris tot Dianæ nominibus poſthabitis. Etyma hujus vocis *Artemis*, etiam apud Græcorum vetuſtiſſimos, uti eſt Plato, Strabo, & inter Latinos Macrobius, adeo deridicula ſunt, ut de his inaniis ceram piget implere capacem, ea collegit Lilius Gyraldus, quem ſi tibi pectus patiens eſt, adeas in ſyntagm. de Diana. Itaque, ut dictum eſt, cum doctiſſimi quique ῥῆσιν *Artemis* parum curarint, ejus veriloquio adhuc deſtituimur, quod vel tyro ἑβραΐζων ſtatim traheret ab חרטום, *magus, genethliacus*, ſive is, qui aſtris ſtudet, eamque artem profitetur, quæ potiſſimum ab Luna, ſive ab Artemide pendet; hinc Gen. 41. 8. dicitur Pharao vocaſſe את כל חרטמי מצרים, *omnes aſtrologos Ægypti*. Nil igitur dubii eſt, quin ceteris Dianæ nominibus Ἄρτεμις antiquius, & potius ſit, tum quia Homerum id unum amaſſe palam eſt, tum quia pervetuſtis Hebræorum membranis vocem illitam vides. Et quis poſthac mecum non iratus vivat Seldeno τῷ πάνυ, qui in opere de Diis Syris ne vocem quidem *Artemis*, neque חרטום commeminit? In act. Apoſt. cap.

10.

10. non ſemel reperire eſt nomen Ἄρτμις, ſed nil de etymo a doctiſſimis viris, licet plurima de Dea appoſita ſint in adnotationibus.

VII. Scio cordi futurum Neapolitanis noviſſe, qua in urbis regione degerint hi Artemiſii, & quid reliquiarum hujus templi Dianæ ſuperſit, quod horum fratorum curæ commiſſum erat. Sane non longe viarum diſſociandam dicas ſacram huic Deæ ædem ab ea, quæ Apollini erat; quare inſignia veſtigia ſervamus; ſiquidem non modo ſtemmatis civitatis bini colores ad Solem, & Lunam ſpectant, ſed etiam adhuc audimus viam illam, quæ Solis dicitur, vid. ſup. pag. *616.* initium ſumere ab nomine *Lunæ*, quod etiam teſtatur Capacius pag. 212. *Solis, & Lunæ ſimul numina in antiqua Neapolitana religione adhuc vicus oſtendit, qui ea nomina retinet;* obſcure ſe habet Capacius, ſed clarior bonus Carolus Celanus noſter, qui rer. Neap. tom. 1. viam Lunæ eam eſſe adſtruit, quæ prope Sanctæ Mariæ majoris templum eſt: imo ipſam viam a proximo hoc templo id nomen accipere; atque ipſe Celanus, dum illud ſe vivo, ac vidente, ea, quam cernimus, magnificentia, ædificabatur, docet in fundamentis rudera non pauca reperta eſſe aperte præſtantia illud fuiſſe Dianæ ſacrum; cui viro hac in re danda fides eſt, dum id adſtruit non ex divinatione, uti ſuus eſt mos, ſed ex reliquiis, quarum αὐτόπτην ſe prædicat; & quidem adhucdum in novo templo fragmina viſuntur ingentis, ac antiquiſſimi, interque cetera affabre elaboratum grandis columnæ capitulum, quod baptiſterii baſis eſt. Addas Chriſtianos ſicuti templum Apollinis, ſive Solis Chriſto Servatori, ita illud Dianæ, ſive Lunæ Virgini Mariæ dedicaſſe; atque propterea dicitur *Mariæ majoris*, quod præ omnibus antiquius tantæ matri conſecratum eſt, nam quiſque novit, *major* peræque eſſe, ac *antiquior*. Demum ut firmem fratoras Artemiſios huic templo Dianæ addictos, teneo a Capacio Hiſt. Neap. pag. 75. cujus ingenuitatis plena verba cariſſima mihi ſunt, ſupernum lapidem ab Artemiſiis fratoribus Crepereio Proculo, ſuo εὐεργέτῃ erectum ſervari ab ejuſdem templi Sacerdotibus: *Artemiſiorum in ædibus Hippolytæ Ruffæ erat memoria, quæ ad Sacerdotes Theatinos D. Mariæ majoris templum incolentes devenit; obſecravi eos, ut relictam ex marmore tabellam publice collocarent, ne tot monumenta ædificiis concinnandis ſimul perirent;* verum irrita Capacii vota fuiſſe ſcias, nam tanti pretii lapis fortaſſe in fruſta conciſus pro cementis dejectus eſt. Atque hæc de Artemiſiorum fratria.

ΑΡΙΣΤΑΙΟΙ.

VIII. De etymo hujus δήμου, quod cudit Mazochius, vid. pag. ſeq. *629.* Horum Ariſtæorum nomenclaturam novimus ex ſequenti omnium elegantiſſimo, ac plurimorum verſuum ψηφίσματι, cujus initium ſervavit Capacius pag. 238. Gruterus omne protulit p. 125. ſed adeo miſere affectum, acciſum, & erroribus ſquallidum, ut conqueratur Gruterus ipſe fruſtra ei medicam manum apponi poſſe: etenim poſterioris ævi homines, Græca-

Digitized by Google

nicarum litterarum peſtis barbarico ritu lapidem ad quatuor principes partes late pertuſum, (quare bona pars elementorum præter aliam labem detrita eſt,) parieti obverſum affixere quaternis clavis; atque in poſtica inficeta quædam Latiaria verba ſcalpſere. Quare apponam marmoris epigraphen prius tot mendis horridam, atque hirtam, deinde iiſdem majoribus litteris a me reſtitutam, quo facilius dignoſcatur, quæ adhibita eſt medela tempeſtiva quidem, nec ſuſpecta.

.... ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΤΟΗ .... ΤΟΥ .... ΑΛΕΡΙΑΣ
ΜΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΔΕ ΕΧΕΤΩ
ΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙΔΙΟ..
ΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ
Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ
Κ ΑΧΕΙΛΙΑ ΚΑΙ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΑΝΕΙΣΕΣΘΩ ΜΗ Η Ο..
ΕΙ ΟΝΟΜΑΤΙ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΗΠ Ε Ι..
ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΕΤΩ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝ
ΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΣ...
ΦΡΗΤΟΡΑ ΥΠΕΡ ΤΟΥΤΩΝ ΤΩΝ ΟΝΟΜΑΤΩΝ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ ΟΥ...
ΠΙΣΤΕΙ ΔΟΘΗΣΕΤΑΙ ΟΝΔΕ ΑΝΟΔΑΝΕΙΖΟΜΕΝΟΣ ΔΙΔΩ ΑΛΛΟ ΦΡ..
ΤΟΡΑ ΕΝ ΑΓΑΡΡΕΙ ΕΙΣΔΙΔΟΣΘΩ ΚΑΙ ΕΑΝ ΔΟΞΗ ΤΗ ΑΓΑΡΡΕΙ
ΚΑΘΩΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΦΡΗΤΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΩΝ ΔΟΓΜΑΤΙΣ
ΤΑΙ ΤΟΤΕ Η ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΥΠΟ ΤΩΝ ΠΡΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝ ΓΕΙΝΕΣΘ..
ΤΟΥΣ ΔΕ ΧΑΛΚΟΥΣ ΟΙ ΔΕΔΑΝΕΙΣΜΕΝΟΙ ΚΑΤΑΦΕΡΕΤΩΣΑΝΤ....
ΕΒΔΟΜΗ ΤΟΥ ΠΑΝΘΕΩΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ ΕΙΣ ΑΓΑΡΡΕΙ...
ΠΛΗΘΗ ΟΥΣΑΝ ΚΑΙ ΕΠΙΨΗΦΙΣΕΤΩ Η ΦΗΤΡΙΑΘΟΙΣ ΘΕΛΕΙ ΔΑΝΙΖΕ...
ΚΑΙ ΟΥΤΩΣ ΤΟΤΕ ΑΛΛΗ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΓΙΝΕΣΘΩ ΚΑΘ ΕΚΑΣΘΟΝ..
ΤΟΣ ΕΝ ΤΕ ΤΑΙΣ ΗΜΕΡΑΙΣ ΤΑΥΤΑΙΣ ΤΑΙΣ ΔΥΣΙΝΑΙΣ ΘΙΟΝΤΕΣ Δ..
ΠΝΟΥΣΙΝ ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΟΥΣΗ ΔΙΔΟΣΘΩ ΤΑ ΚΑΤΑ ΧΕΡΑ ΤΟΔΕ ΓΡ...
Π ΟΤΕΘΕΝΗΤΟ ΠΡΟΣΗΛΩ ΟΕΝΟΦΕΙΛΕΤΟΣΑΝ Ο ΦΡΗ ΡΧΟ..
ΗΟ ΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ ΜΕ ΤΑ ΡΑΔ..
ΔΟΝΑΙΤΟΙΣ ΑΕΙ ΥΠΟ ΤΗΣ ΦΗΤΡΙΑΣ ΚΑΘΙΣΤΑΜΕΝΟΙΣ ΕΑΝΔΕ ΤΙΠ..
ΡΑ ΤΑΥΤΑ ΤΑ ΥΠΕΡΑΝΩ ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛ..
ΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΟΙ ΔΕΔΑΝΙΣΜΕΝΟΙ Η ΑΛΛΟΣ
ΤΙΣ ΠΟΙΗΣΗ ΑΠΟΤΕΙΣΑΤΩ ΙΕΡΑΤΩ ΝΩΕΩΝΤΩΝ ΦΗΤΡΙΩΝ ΑΡΓΥ
.... ΑΚΟΣΙΑ .... ΑΙ ΗΕΚΠΡΑΞΙΣΕΣΤΙ

Me valde mordebat patrium honeſtiſſimum monumentum tantis vitiis fœdum per orbem vagari; quare patientiſſimus poſt bonas, nec inertes horas ejus verba vel detrita, vel luxata confingenda, ſuoque loco reſtituenda curavi, vel quæ cum aliis commixta & confuſa explicui, ita ut omnis plurimorum verſuum ſententia, qua de deſperarunt plerique omnes doctiſſimi viri veluti revixit ingenitam, veteremque vim indepta. Rogaris, ut advertas

Digitized by Google

tas me nihil verborum de mea penu appoſuiſſe, ſed quæ depravata, vel mendoſiſſime ſcripta in nitorem integritatemque dumtaxat reſtituiſſe; more Herculanenſium Regiorum Statuariorum, qui diffracta veterum ſignorum membra, atque disjecta non aliunde adjiciunt, ſed fruſta loco ſuo reponunt inſtaurantque. Scio quoſdam moleſte in me ſe geſturos, quod in verborum medela mihi indulſerim, & quæ fortaſſe marmor non dixerat, adjecerim; illos valere jubeo, cum ad eos provocandum ſit, qui Græcas res diu verſarint.

ΕΠΙ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΟΥ ΨΗΦΙΣΜΑ ΥΠΕΡ ΟΥΑΛΕΡΙΑΣ
ΜΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΔΕ ΕΧΕΤΩ-
ΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙ-
ΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ
Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ
ΚΑΙ ΜΗ ΤΑ ΧΕΙΛΙΑ ΚΑΙ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΑΝΕΙΖΕΣΘΩΣΑΝ ΜΗΔΕ-
ΝΙ ΟΝΟΜΑΤΙ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΚΑΙ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΥΠΟ ΤΗ ΠΟΛΕΙ
ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΕΤΩ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η ΦΡΟΝ-
ΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΟΣ
ΦΡΗΤΩΡ ΥΠΕΡ ΤΟΥΤΩΝ ΤΩΝ ΟΝΟΜΑΤΩΝ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ ΟΥΔΕ
ΠΙΣΤΙΣ ΔΟΘΗΣΕΤΑΙ ΕΑΝ ΔΕ Ο ΔΑΝΕΙΖΟΜΕΝΟΣ ΤΙΝΙ ΑΛΛΩ ΦΡΗ-
ΤΟΡΙ ΕΝ ΑΓΑΡΡΕΙ ΠΙΣΤΙΣ ΔΙΔΟΣΘΩ ΚΑΙ ΕΑΝ ΔΟΞΗ ΤΗ ΑΓΑΡΡΕΙ
ΚΑΘΩΣ ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΦΡΗΤΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΩΝ ΔΟΓΜΑΤΟΣ
ΚΑΙ ΤΟΤΕ ΑΛΛΗ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΥΠΟ ΤΩΝ ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝ ΓΕΙΝΕΣΘΩ
ΤΟΥΣ ΔΕ ΧΑΛΚΟΥΣ ΟΙ ΔΑΝΕΙΣΟΜΕΝΟΙ ΚΑΤΑΦΕΡΕΤΩΣΑΝ ΕΝ ΤΗ
ΕΒΔΟΜΗ ΤΟΥ ΠΑΝΘΕΩΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ ΕΙΣ ΑΓΑΡΡΕΑ ΠΑΜ-
ΠΛΗΘΗ ΟΥΣΑΝ ΚΑΙ ΕΠΙΨΗΦΙΖΕΤΩ Η ΦΡΗΤΡΙΑ ΤΙ ΕΘΕΛΕΙ ΔΑΝΕΙΖΕΣΘΑΙ
ΚΑΙ ΟΥΤΩΣ ΤΟΤΕ ΑΛΛΗ ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ ΓΕΙΝΕΣΘΩ ΚΑΘ ΕΚΑΣΤΟΝ Ε-
ΤΟΣ ΕΝ ΤΕ ΤΑΙΣ ΗΜΕΡΑΙΣ ΤΑΥΤΑΙΣ ΤΑΙΣ ΘΥΣΙΝΑΙΣ ΘΥΟΝ ΓΕΣ ΔΕΙ-
ΠΝΩΣΙΝ ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΟΥΣΗ ΔΙΔΟΣΘΩ ΤΑ ΚΑΤΑ ΧΕΙΡΑ ΤΟΤΕ ΓΕΓΡΑ-
ΠΤΑΙ ΚΑΙ ΧΕΙΡΟΤΕΤΟΝΗΤΑΙ ΠΡΟΣ ΟΛΩΝ ΕΝΟΦΕΙΛΕΤΩΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ
Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ ΜΕΤΑ ΠΑΣΙ
ΔΑΝΕΙΣΤΑΙΣ ΜΗ ΥΠΟ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΚΑΘΙΣΤΑΜΕΝΟΙΣ ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ ΠΑ-
ΡΑ ΤΑΥΤΑ ΤΑ ΥΠΕΡΑΝΩ ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΑ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟ-
ΓΟΙ Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ Η ΟΙ ΔΕΔΑΝΕΙΣΜΕΝΟΙ Η ΑΛΛΟΣ
ΤΙΣ ΠΟΙΗΣΗ ΑΠΟΤΙΣΑΤΟ ΧΕΙΡΟΤΟΝΟΥΝΤΩΝ ΦΡΗΤΟΡΩΝ ΑΡΓΥ-
ΡΙΟΥ ΔΕΙΝΑΡΙΑ . . . . ΑΚΟΣΙΑ . . . . ΑΥΤΗ ΠΡΑΞΙΣ ΕΣΤΙ

Bonum operæ pretium duco idem nunc *περιθρύλλητον* decretum in ſequenti pagina minuſculis Græcis characteribus illinere, adjectis unicuique dictioni ſpatiolis, ſignis, quos *accentus* vocant, ac *στιγμὰς*, prout a me integritati redditum eſt, quo facilius legatur: inde etiam *ἀμέσως* Latiare *κατὰ λέξιν* interpretamentum, ut vel parum Græce gnaris affatim faciam. Adſcriptas etiam vides verſibus numerorum notas, quo ſta-

Digitized by Google

tim Græca Latinis reſpondentia percipiantur. Piget me conſequi haud quiviſſe in his minuſculis elementis æqualia verſuum ſpatia, quo quadratam veterem, ac elegantem ſpeciem præſeferrent, quam in majoribus intueris; quare ſi antiqua *συμμετρία* tum Græce, tum Latine careant, characterum diſparilitati id tribuas.

Ἐπὶ Ἀριστῶνος τοῦ Ἀρίστου ψήφισμα ὑπὲρ Οὐαλερίας Μούσης τῆς ἑαυτοῦ γυναικός. Μὴ ἐξουσίαν δὲ ἐχέτωσαν ὁ φρήταρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστὴς, ἢ οἱ διοικηταὶ, ἢ ἄλλος τις τῆς φρητρίας τῆς Ἀρισταίων τὴν θυσίαν, ἢ τὸ δεῖπνον ὑπερτίθεσθαι παρὰ τὰς πεταγμένας ἡμέρας· καὶ μὴ τὰ χείλια, κ̀ διακόσια δηνάρια δανειζέσθωσαν μηδενὶ ὀνόματι. Δηνάρια διακόσια καὶ πεντήκοντα ὑπὸ τῇ πόλει μὴ ἐξουσίαν ἐχέτω ὁ φρήταρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστὴς, ἢ οἱ διοικηταὶ, ἢ ἄλλος τις τῆς φρητρίας τῆς Ἀρισταίων φρήτωρ ὑπὲρ τούτων τῶν ὀνομάτων λαμβάνειν, οὐδὲ πίστις δοθήσεται· ἐὰν δὲ ὁ δανειζόμενός τινι ἄλλῳ φρήτορι ἐν Ἀγαρρεῖ, πίστις διδόσθω, καὶ ἐὰν δόξῃ τῇ Ἀγαρρεῖ, καθὼς καὶ ὑπὲρ φρητάρχου, καὶ χαλκολόγων δόγματος· καὶ τότε ἄλλη οἰκονομία ὑπὸ τῶν γεγραμμένων γεινέσθω. Τοὺς δε χαλκοὺς οἱ δανειζόμενοι καταφερέτωσαν ἐν τῇ ἑβδόμῃ τοῦ πανθεῶνος μηνὸς ἱσταμένου εἰς Ἀγαρρέα παμπληθῆ οὖσαν· καὶ ἐπιψηφιζέτω ἡ φρητρία τι ἐθέλει δανείζεσθαι· καὶ οὕτως τότε ἄλλη οἰκονομία γεινέσθω καθ' ἕκαστον ἔτος· ἔν τε ταῖς ἡμέραις ταύταις ταῖς θυσίναις θύοντες δειπνῶσιν. Οὐαλερία Μοῦσα διδόσθω τὰ κατὰ χεῖρα τότε γέγραπται, καὶ χειροτονήνται πρὸς ὅλων· ἐνοφειλέτωσαν ὁ φρήταρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστὴς, ἢ οἱ διοικηταὶ μετὰ πᾶσι δανεισταῖς μὴ ὑπὸ τῆς φρητρίας καθισταμένοις. Ἐὰν δέ τι παρὰ ταῦτα τὰ ὑπεράνω γεγραμμένα ὁ φρήταρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστὴς, ἢ οἱ διοικηταὶ, ἢ οἱ δεδανεισμένοι, ἢ ἄλλος τις ποιήσῃ, ἀποτισάτω, χειροτονούντων φρητόρων, ἀργυρίου δηνάρια . . . ακόσια . . . . αὕτη πρᾶξις ἔστι.

Sub Ariſtone Ariſti filio decretum pro Valeria Muſa ipſius uxore. Ne jus poteſtatemve habento fretarchus, aut chalcologi, aut phrontiſta, aut diæcetæ, aut alius quis fratriæ Ariſtæorum ſacrificium, aut cœnam ſuperaddere extra ſtatos dies: & ne mille & ducentos denarios mutuantor quovis obtentu. Denarios ducentos & quinquaginta ab republica ne poteſtas eſto fretarcho, aut chalcologis, aut phrontiſtæ, aut diæcetis, aut alii cuivis fratriæ Ariſtæorum fra-

10 *fratori pro his prætextibus accipere, neque fides dator: ſi vero quis mutuum det alii fratori Agarrheenſium, dator fides, ſi placeto Agarrheenſibus, & ſicut ſecundum fretarchi, & calchologorum ſcita: & tunc alia œconomia ab iis, quæ acta geſtaque ſunt, eſto.*
15 *Nummos autem, qui mutuos dare optant, conferunto die ſeptima menſis pantheonis incipientis ad Agarrheenſes, cum frequentes ſint; & decernito fratria, quid velit mutuum accipere; & ita tunc eſto alia œconomia ſingulis annis; atque diebus ſacrificio addictis ſacrificantes cœ-*
20 *nanto. Valeria Muſa dato, quod in chirographo ſcriptum, & decretum eſt ab univerſis: obnoxii ſient fretarchus, aut chalcologi, aut phrontiſta, aut diœcetæ omnibus feneratoribus, qui ab fratria electi non ſunt. Si vero quid contra hæc ſuperne ſcita fretarchus, aut chalcolo-*
21 *gi, aut phrontiſta, aut diœcetæ, aut mutuum accipientes, aut alius quis fecerit, damnas eſto, decernentibus fratoribus, argenti denariis . . . . gentis . . . . hæc eſt praxis.*

Vides igitur marmor decretum (ψήφισμα) continere, quo cavetur, ne Ariſtæorum fratria ſacrificia, vel cœnas præter jam ſtatutas & ſollemnes adjiciat: neque fenore accipiat vel majorem vim nummorum ab exteris, vel minorem ab civibus quocumque obtentu ac nomine; atque hæc prima decreti pars: altera e contrario fratoribus Agarrheenſium ſinit poſſe fenebrem accipere pecuniam, verum ſi omnium fratorum adſenſus adſtipuletur, juberque nummos feneratores ferre ad Agarrheeum, ſummamque eſſe accipiendam fenore, quam fratores ipſi definiant, nova œconomia, ſive meliori rerum diſpenſatione inducta quotannis. Tertio edicitur, ut ab Valeria Muſa ea fenebris pecunia accipiatur ſecundum chirographum, & totius fratriæ Agarrheenſis auctoritatem, & fratriæ præfecti obnoxii ſint feneratoribus ab fratria minime conſtitutis: demum pœna decretorum omnium ritu indicitur, ſi quis contra fecerit. Et quis non mirabitur Gruterum de ſaxi interpretamento deſperaſſe, imo claſſi *Diis dedicatorum* adnumeraſſe, cum inter ſeriem *decretorum* adcenſeri oportuiſſet?

Laudat ſane hoc marmor Mazochius in Eccl. Neap. p. 140. col. 2. utinam etiam illud reſtituendo operam ſuam navaſſet, cuja maxime intererat, quem ſcio in mutilis, atque prave exſcriptis monumentis Œdipum ἀτυχέστατον, ſane de Neapolitanis fratriis mirificentius meruiſſet. Hoc certe tentavit Vandalius in laudata ſæpius Diſſert. pag. 739. verum oppido paucis reſtitutis facilioribus verſibus, reliquos tanquam ſyrtim aufugit. Ante Vandalium etiam magnus Salmaſius ad jus Attic. pag. 145. quæ ceteri verba aucupati ſunt, ſolummodo operi ſuo illevit; qui ſi omnia legiſset, inibique tam exactum fenoris negotium inviſiſset, in tot de uſuris a ſe con-

Digitized by Google

confectis operibus ſaltem meminiſſet. Non obliviſcar litteratorum principem Joſ. Scaligerum ad idem ſaxum in opere de emend. temp. p.447. provocare pro *fratriarum*, vel *fatriarum* orthographia: qui & pag. 448. appellat *tabulam* hanc *luculentam*, ſed ſententiam, ac medelam nil penſi fecit.

Poſſem ſane non pauca adnotare pro hujus Neapolitanarum fratriarum ψηφίσματος illuſtratione, ſed longe aberrarem, civibus præ me in ſenebri hoc negotio doctioribus uberem ſegetem ſatis mihi ſit propoſuiſſe, qui in lucem ingens id decretum traxerim. Quæ me propius contingunt, ſunt ea, quæ ex hoc ψηφίσματι ſententiam meam firmant, ſcilicet φρατρίας collegia fuiſſe ἱερατικά, quod clariſſime dignoſcimus, cum in eo non ſemel atque iterum ſacrificiorum, & rerum divinarum ſit mentio: ipſaque denariorum paucitas, quos ſenore quærebat Ariſtæorum fratria, palam præſtat φράτορας exſtitiſſe numero exiguos, triginta ſcilicet, ut ſuperne definire viſum eſt: nomina præterea quatuor miniſtrorum hujus parvæ reipublicæ partis didicimus, nimirum, φρήτραρχος, χαλκολόγος, φροντιστής, διοικητής, *qui fratriæ præerat*, *qui ſacram pecuniam exſcriberet*, *qui ejus curam gereret*, *quique expenderet*. Cur cautum ſit, ut una Muſa Agarrheenſibus fratoribus feneraretur, cogitent alii; fortaſſe, cum feminæ pietatem venditent, minimas uſuras ab iis ſacrorum miniſtris Muſa expetebat: vel potius credas, (nam hic veniam do quidvis hariolandi,) Ariſtone fortaſſe demarcho reip. Neap. vel melius principis ſacerdotis, ut mox p. 643. dicam, munere fungente, conjugem ejus Valeriam ſat locupletem, & frugalitatis plenam reliquis feneratoribus graviores uſuræ fructus expetentibus Agarrheenſes antetuliſſe. Demum Neapolitanorum menſes novimus, atque Attico more dies enumerandi, quod ſummum veteris noſtræ Græcanicæ reip. decus expuies, uti a nobis dictum eſt p.502. illud omne eſſet hic ſat opportunum, ut relegeres, quo magis firmetur Neapolitanos meros Atticos fuiſſe, & Athenienſium mores etiam in tenui re ſectari ſtuduiſſe. Hujus conſulti formulam præclare confectam vides, atque adeo Atticis elegantiis exuberare, ut ſimillimam dicas iis, quas in veteribus oratoribus, & inter leges Atticas legimus: neque te turbet vox Latialis δενάρια, cum enim Neapolitani fratores ab Romanis libertis, (quorum vis plurima Neapolim animi gratia confluebat,) denarios ſenore acciperent non ſine publicis tabulis, quo nullus fraudi, aut contentionibus eſſet locus, etiam barbarorum vocabula inſcribi paſſi ſunt, quod factitari ſollemne fuit; ceterum quando in eodem ψηφίσματι nulla eſt nominis ambiguitas, bonam vocem Græcanicam, τοὺς χαλκοὺς ſcilicet, adhibitam vides.

IX. Demum in hoc ψηφίσματι advertendum eſt Neapolitanos, licet ſummo ſtudio curarint, ut in fenebri hoc negotio omnium fratorum conſenſus quæreretur, de uſurarum modo nihil decreviſſe Athenienſium leges & mores ſectantes; Atticos enim licentiam omnem feneratoribus dediſſe conſtat, ut, quas vellent, uſuras extorquerent; unicuique nota lex eſt, Τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσον ἂν βούληται ὁ δανείζων, *uſurarum uſus eſto*,

Digitized by Google

eſto, quem ſtipulatus fuerit fenerator, Weſſelingius pag. 498. Nec prætercam ineſſe in eodem ψηφίσματι nomen menſis, quod probe factum, cum apud Athenienſes mos eſſet *in fenore haberi rationem menſium, & dierum, non vero anni Lunaris, aut Solaris*, ut inquit Palmerius, vide eundem Weſſeling. p. 499. in adnotat. Adde etiam mentionem eſſe diei ſeptimæ menſis Pantheonis, quare noſtras hoc decretum longe commendatur; etenim ἑβδόμῳ ἡμέρᾳ valde laudat Heſiodus in ἡμέρ. v. 770. Πρῶτον ἔνη, τετρὰς τε, καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ, Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ· in quos verſus iſthæc adnotavit Jo. Clericus: *Idem eſt, ac* πεπλεσμένον ἦμαρ v. 799. *hoc eſt, dies valde accommodus ad res gerendas, quod vidit etiam idem Seldenus loco memorato*. Porro cum ſeptimum cujuſvis menſis diem, quo Apollo natus eſt, tanti fecerint, vide Seldenum de jur. nat. & gent. l. 3. c. 17. & Spanhemium in Callimach. hym. in Delum v. 251. & Neapolitani principem ſibi hoc numen deſtinarint, ut ſup. pag. *616*. &c. dictum eſt, haud mirum, ſi in ψηφίσματι legas eo die ob ſollemnitatem frequentem fuiſſe fratriam, contractuſque celebratos. Præter hæc bene multa quis ex tam longiori conſulto ad veteres res Neapolitanas illuſtrandas colligere ſatis eſſet, quod integrum civibus, exteriſque relinquendum reor. Utinam Petitus Græce gnariſſimus, vel Weſſelingius tanti pretii ψηφίσματι medelam feciſſent, nunc primas inter præclaram ἔκδοσιν legum Att. ageret.

Si excipias etymon hujus Neapolitani δήμου, nil præterea adnotavit Mazochius ὁ πάνυ in Eccl. Neap. p. 140. col. 2. quod an arrideat, exputent alii; extrahit enim ab Ἄρης, *Mars*, *unde* ἄρειος, *hinc* Ἀρεισαῖοι, *i. e. Martiales*: verum tanti pace viri, ἀμέσως ab Ἄρης potius dicendi Ἄρειοι. Ceterum Neapolitani hunc Deum nunquam coluiſſe ſcimus, & neque in nummis, neque in marmoribus aliquid veſtigii ſupereſſe: at contra novimus ex Virgilio, Statio, Strabone, ut ceteros taceam, pacis artibus, & ſtudiis litterarum, gymnaſticis ludis, & ephebiacis otium omne impendiſſe, imo quidquid ſpeciem belli, vel rixarum præſeferret, procul abhorruiſſe; quare etiam fori jurgia ſibi interdixere, ut canit idem Statius, *Nulla foro rabies, &c.* & plurium ſæculorum felicitate arma minime eos tractaſſe legimus: tantum gratulabatur urbs noſtra ubique gentium ſalutari *Græca, otioſa*, & *docta Neapolis*; atque ad id genus διαγωγὴν amplectendam huc Romanorum nobiliſſimi tot bellicis rebus defuncti confluebant: faceſſat igitur quisquis vocet Neapolitanos *Martiales*, præſertim dum ἄριστος latiſſimæ eſt notionis, veluti apud Hom. ſæpe mulier dicitur ἀρίστη εἶδος, &c. quare ob quamvis aliam animi, vel corporis virtutem hæc fratria, & δῆμος vocitari potuerint Ἀρισταῖοι· ſicuti mox dicam de Παυκλείδαις, altera noſtrate φρατρίᾳ, & δήμῳ· vel ob vetuſtum heroem *Ariſti* cognomento: & fortaſſe idcirco legimus quoſdam hujus δήμου viros hoc nomen affectaſſe, quare in hoc noſtrate lapide legimus nomina *Ariſtonis*, & *Ariſti*.

Quamnam urbis regionem habuerint Ariſtæi, prorſus ignoramus, cum ex tam prolixo marmore, atque ex nomine ipſo nihil determinatum, ac diſtin-

Digitized by Google

diſtinctum videas, vix augurationi ulli relictus eſt locus: id luculentius noſcitari potuiſſet, ſi unde noſtrarum regionum erutus eſt ſilex, majores noſtri advertiſſent, de quorum incuria nunc nihil opportunæ ſunt querelæ; ceterum poſtquam de fratoribus Agarrheenſibus pauca adjecerim, de Ariſtæorum ſitu divinationem fortaſſe haud contemnendam apponam.

ΟΙ ΕΝ ΤΗ ΑΓΑΡΡΕΙ.

Ex eodem Ariſtæorum ſaxo novam fratriam docemur, præclaro nomine *οἱ ἐν τῇ Ἀγαῤῥεῖ*, & miretur quiſque mecum oportet neminem tot illuſtrium virorum, ne Mazochium ipſum excipias, qui & de fratriis ſcripſerunt, idque marmor lectitarunt, illam vidiſſe. Eam autem non ex ditioribus fuiſſe colligimus ex eo, quod ut cœnas ſacras, & ſacrificia concelebraret, *δανεισμόν*, qui Ariſtæorum fratriæ interdictus eſt, iiſdem indulgere oportuit. Muſam feneratricem in hac urbis regione de hac fratria benemeritam habitaſſe nulluſdum neget. Quod ad vocis etymon, vel qui parum Græce ſapit, novit eam adnotare locum aquarum fluentis redundantem, quare ejuſdem ſobolis adjunctum, ſcilicet *ἀγάῤῥοος*, ſæpe Homerus Helleſponto tribuit: *ἡ Ἀγαῤῥεὺς* inflectenda Attico more peræque, ac *ὁ Πειραιεὺς*, & ſicuti huic ſemper *ὁ λιμὴν*, illi *ἡ φρατρία* intelligitur. Porro eam Neapoli Agarrheenſem regionem dictam eſſe non inficiabimur, quæ multis aquarum ductibus exuberabat: cumque adhuc ævo noſtro una ea regio, quæ prope Divi Petri Martyris eſt, aquis belle ſalientibus, ac ſalubribus ſcateat, atque audiam a probatiſſimis civibus maximum fluentum ſubter earum viarum tractus decurrere, nemo mihi negotium faciet, ſi hic & regionem, & fratriam Agarrheenſem ſiſtam, proximamque fuiſſe Ariſtæenſem rear, cum utramque eidem *ψηφίσματι* obnoxiam inveniamus: quare ſi Ariſtæis tractum illum regionis, quæ *Portus* dicitur, & Agarrheenſibus juxta adnectitur, tribuam, me haud a vero abludere fatendum eſt: ſane cum binæ hæ urbis regiones ſitu ceteris humiliores ſint, neque quid magnificentiæ vel antiquæ, vel ſequioris ævi intueri ſit, ſed vias arctiſſimas, domoſque plurium contignationum congerie nil apricas; innumerabiles tabernas argentarias, purpurarias, rerum ſericarum, &c. ac per compita perennem emacem turbam offendas, facile quis augurabitur, cur Ariſtæi, & Agarrheenſes non tanti nominis exſtiterint, & mercaturæ, quæſtui, ac fenerationi indulſerint, ita ut *ψηφίσματι*, quo modus in *δανισμοῖς* ſervaretur, indiguerint; quare advertis in urbis noſtræ regionibus, & inter cives vetuſtatis reliquias quoad bonam partem perdurare adhucdum, quod ex dicendis luculentius etiam patefiet. Tanta igitur paterna decora ex uno ſaxo antehac tenebricoſo, atque a tot viris doctiſſimis veluti exigui pretii habito exprompſimus: utinam ubi dejectum jaceat internoſcerem, ſtatim Regi noſtro id genus gazæ Indicis gemmis ſuis contra carioris cupidiſſimo deferrem, ut in cimeliarchium, quod jam ad ceterorum Principum invidiam excrevit, inferret, atque ad exterorum, poſterorumque admirationem ſervaret.

PARS

P A R S III.

De reliquis fratriis Neapolitanis ſingillatim, Πανκλειδαις, Κυναίοις, *&* Ἰουναίοις· *harum etyma*, *ſcripti lapides*, *&* *monumenta proferuntur*, *ſitus etiam divinatur*.

I. FRATRIA Panclidarum, *& elegans marmor nuper repertum illuſtratur: unguentis utebantur fratores, uti Chriſtiani ſacerdotes: locus Jo. Diaconi ſanatur. Salmaſio, & Mazochio reſiſtitur.* II. *Novum vocabulum* ἀγορανομεῖον *proprium Neapolitanorum, quod ceteri Græcorum* δικαστήριον *dixere: hinc multa lux noſtratibus litteratis lapidibus. Hujus fratriæ ſitus definitur.* III. *Præclariſſima fratria* Cynæorum, *& marmor ſingulare nunc primum profertur: triſte hujus ſaxi fatum deſcribitur.* IV. *Græca ejuſdem epigraphe, & difficillimæ notæ explicantur: non pauca de nova voce* σύμπλον. *Quæ Maffejus, ac Corſinius in hunc lapidem adnotarunt, nil opportuna.* V. *Huic fratriæ nomen* Cynæorum *ab* κύων, canis: *hanc urbis regionem Alexandrinorum vim maximam incoluiſſe conſtat ex Suet. & non unis lapidibus. Marmori* Anubidi *ſacro, & affecto medela, & lux. De alio noſtrate ſaxo perquam male meritus eſt Gruterus. Neapolitani ab ſacerdotibus annos diſtinguebant, ut Athenienſes, quod ſcriptis lapidibus firmatur.* VI. *Ab Cynæorum fratria præter Anubin colebatur* Iſis, *&* Apollo Horus Harpocrates, *ut ex nuperrimo cippo urbi noſtræ honeſtiſſimo patet.* Iſis *non ab* ישש, *ſed ab* יש: *Apollo ab* הפלל, Horus *ab* עור, Harpocrates *ab* ערף, *&* κρατεῖν, *quod non viderunt eruditiſſimi quique:* Apollo *apud Hom. & Heſiodum Deus* δεινός, *&* κακοποιός, *non* ἀλεξίκακος, *atque* averruncus, *contra ac in Homeri filiis; hic vates nomina Deorum Ægyptiorum nunquam meminit.* VII. *Hujus cippi per partes interpretamentum: quid* αἰτεῖ δόσις, *& reliqua verba, præſertim* ἄρξας i. ἀνδρῶν ἀρχήν· *voces* δόγματι συγκλήτου Ῥωμαίων *nihil lædunt* αὐτονομίαν *Græcanicam Neapolitanorum.* VIII. *Proferuntur reliqua monumenta, queis Alexandrinos in hac* Cynæorum *regione habitaſſe conſtat, ſcilicet elegans Nili ſtatua, quæ deſcribitur, & illuſtratur: epigraphe in Dominicanorum ædibus, & quidam Sannazarii verſus, & Capacii ſaxum, &c. Curiæ patriciorum Nilenſis regionis laudes.* IX. *Fratria* Jonæorum *ex corruptiſſima voce noſtratis lapidis conformatur, in quo bina inficeta vocabula* λαυκελαρχήσαντα, *&* γραμματίσαντα *in ſincera* ναυκελαρχήσαντα, *&* γυμνασιαρχήσαντα *reſtituuntur.* X. *Alteri noſtrati ſaxo medela, & quidam magiſtratus Neap. reip. antehac ignoti ab eo in lucem protrahuntur:* φημητικός *vox nova* διαγνώσεως· *Reineſio ope hujus lapidis Neapolitanam* πολιτείαν *evertenti, &* Marciæ Meliſſæ *ſaxum importune recitanti enixe obſiſtitur. Situs regionis* Jonæorum *divinatur.*

POSTQUAM plurimas membranas quatuor noſtrates fratrias complectentes te evolviſſe fortaſſe nihil pœnituit, ut tanquam iter agentem parum moræ, ac quietis nectere finam; alteram hanc partem ab priori abſtractam, ac ſejunctam poſt aliquod jucundi otii intervallum perlegendam objicio: facile enim quis novum laborem ſubiturus eſt, ſi refectis parumper viribus integer aggrediatur.

Digitized by Google

ΠΑΝΚΛΕΙΔΑΙ.

Fratriam Panclidarum paucis ab hinc annis novimus ab ſaxo eruto non longe a S.Petri in vinculis templo, cujus lapidis exemplar curate expreſſum etiam p.487. appoſui, & quædam ſolummodo de illius ætate adnotavi: atque eo potiſſimum ſervari ſummo ſtudio a me laboratum eſt, quod ignotum antehac fratriæ nomen oſtentat: haud ſcio, cur diligentiſſimus Mazochius hujus marmoris apographum minime ſibi corrogaverit; curavi enim, ut parieti ædium Nicolai Amendolæ, ubi repertus eſt lapis, ſtatim affigeretur, eſſetque omnibus palam; ejus litteræ, quando e fundamentis extractum vidi, minio adhuc rubeſcebant, eo enim colore tinxerunt veteres. Pro re nata in mentem nunc venit etiam paucis abhinc annis ab ruinis oppidi Pompejorum marmor in lucem tractum me inſpexiſſe, characteribus etiam rubrica delibutis, quod adſcribo, nam Regii cimeliarchii præfectus profeſſus grandia, levia iſthæc non ſectatur:

ANTEROS L. HERACLEO. SVMMAR
MAG
LARIB. ET. FAMIL

Imo & Rex fortunatiſſimus lararium ipſum invenit inſtar parvæ ædiculæ cum ara, in qua & thuribulum licet ex argilla lepide fictum, & protome mulieris ex marmore exſtabant, cujus capillos ex gemmis in ſaxo ipſo ſcalptis corolla ſtringit, eamque ſervat Rex nunc in principe ſui Herculanenſis prætorii æde; omne lararium affabre delineari curatum eſt, quo tam elegantibus vetuſtatis divitiis fruantur etiam exteri. Latiarem hanc epigraphen illuſtrent, queis plus otii eſt, nos Græca melioris penſi facimus; quare Panclidarum ſaxum ſincere exſcriptum accipias:

Γ·ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΣ
ΦΗΛΙΞ
ΤΑΧΡЄΙΣΜΑΤΑ·ΚΑΙ ΤΗΝ·ΟΡΟ
ΦΗΝ·ΚΑΙ ΤΑ·ЄΞΩ·ΙΟΥ·ΑΓΟΡЄΥΤΗΡΙΟΥ
ΤΗ ΙΔΙΑ·ΔΑΠΑΝΗ·ΦΡΗΤΟΡϹΙ·ΠΑΝΚΛЄΙΔΩΝ

Si nominis etymon inſpicias, omnium honeſtiſſimi audire videbantur hi fratores, imo etiam cultiſſimi, atque elegantes; cum eoſdem C. Calpurnius

nius Felix unguentis donarit, quæ ſane ad ſe ungendam in balneis adhibuiſſe etiam gentem ἱερατικὴν tam Græcam, quam Latinam protrita res eſt. Atque, ut non aliunde petitis exemplis utar, ſed domeſticis, morem hunc ab ethnicis ad ſacerdotes Chriſtianos etiam noſtrates transfuſum aperte diſces a Joan. Diacono in Chronico Epiſc. Neap. licet pro unguento, utpote egentiores, ſaponem adhibuerint: ita enim ait de S. Agnello: *Hic fecit baſilicam intus civitatem S. Januarii martyris, in cujus honorem nominis diaconiam inſtituit, & fratrum Chriſti cellulas collocavit .... ſed & pro labandis curis bis in anno nativitatis, & reſurrectionis Domini per anni circulum exequendum ſaponem dari ſancivit, &c.* Quæ verba Diaconi ita illuſtrat Mazoch. in Kalend. to. 1. p. 8. *Hinc vides ſeptimo exeunte ſeculo .... balnearum uſum perduraſſe, & in eis ſaponem uſurpatum ad munditiem.* Verum haud ſcio, cur non viderit oculatiſſimus vir in iis Diaconi verbis vocem *curis*, quam collectis exemplis explicat pro *curionibus*, & *parochis*, mendum eſſe librarii, pro *ſuris*, & ſuræ quidem ſordibus obnoxiæ ſunt, hinc lavationibus, & ſapone indigent. Facilem hujus loci reſtitutionem cuidam amico, ut moris mei eſt, communicaveram, qui inde tanquam e ſua penu ſtatim doctiſſimo libello illevit; ſi actione repetundarum in re litteraria uti fas eſſet, de iiſdem facile ipſum arceſſerem, ſed hæc, ut cum amico nugemur, dicta ſint. Quanta unguentorum fama olim Neapolis floruerit, abunde præſtat Peregrinius in Campan. p. 559. & 562. Hic curſim adnotandi venia ſit fruſtra eſſe Salmaſium in Solin. p. 330. (cujus viri πολυμαθείαν uſque miror,) ajentem differentiam inter χρίσματα, & ἀλείμματα, & χρίειν, atque ἀλείφειν eſſe, primam dictionem pertinere ad *ſpiſſum*, alteram *ad liquidum unguentum*, cum Homerus contra aperte utatur verbo ἀλείφειν de denſa unctione, ac ſpiſſa, ut Iliad. κ. v. 577. Τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ, *lavantes, & ungentes ſpiſſo unguento*: & Il. ξ. v. 170. Ἀλείψατο λίπ' ἐλαίῳ, ἀμβροσίῳ, atque ita paſſim.

Quæ vero magni mea referunt, ſunt verba illa Diaconi, *fratrum Chriſti cellulas collocavit*; video hic *fratres Chriſti* valere idipſum, ac *fratores Chriſti*, i. e. κοινωνίαν, ſive ἑταιρείαν *Chriſti*; ſicuti ſuperne adnotavi pag. 600. dixiſſe Theodoretum, Χριστοῦ θιασῶται, & ἀληθείας θιασῶται, inibique plurimis a me oſtenſum eſt peræque eſſe φράτορες, ac θιασῶται: quare etiam atque etiam firmamus fratrias ἱερατικὸν σύστημα fuiſſe, ſervatumque nomen longe temporum etiam apud Chriſtianos, quibus ſaponem dandum ſancivit Agnellus, ethnicis vero fratoribus unguenta diſtribuit Calpurnius. Neque multum annorum intervallum injectum credas inter Agnellum, & Calpurnium, alter enim, Mazochio teſte, ſæculo ſeptimo exeunte floruit, alterum inter quinti cancellos concludendum reor, utpote marmoris characteres perquam degeneres, & detorti indolem ſatis ignobilis ætatis produnt, vid. p. 487. Hic fieri haud poteſt, quin iraſcar quibuſdam doctiſſ. viris Florentiæ degentibus, ad quos hanc ele-

gantem epigraphen tranſmittendam curavi ; ipſi autem ſtatim , quæ eorum diligentia eſt , typis evulgarunt : verum contra me , qui exſcripſeram , & Græce haud ignarum , & contra fidem marmoris χρείσματα , *unguenta* , ad arbitrium immutarunt in ἐρείσματα , *fulcra* , turbati fortaſſe ab marmorarii licentia , qui ει pro ſimplici ι ſcalpſit ; quare vis omnis , & mundities epigrammatis peſſum ivit : quod advertendum reor , ne tantorum virorum auctoritas noſtratibus præclariſſimis monumentis officiat .

II. Præterea in marmore legimus Calpurnium *tum exteriorem partem, tum tectum agoreuterii de ſuo* refeciſſe : καὶ τὰ ἔξω , καὶ τὴν ὀροφὴν τοῦ ἀγορευτηρίου τῇ ἰδίᾳ δαπάνῃ · quid ſibi velit ἀγορευτήριον neque ab lexicis cujuſcumque ætatis , neque ab Scriptoribus ſcias , cum eam ῥῆσιν ab hoc ſilice dumtaxat noſcamus ; quare ſolummodo , unde ſruticat , ejus notionem diſces ; verum antea advertendum nihil dubii eſſe , quin loci cujuſdam nomen ſit , dum & externe cinctum , & tecto ornatum video : porro ἀγορεύω eſt *concionor* , hinc ἀγορευτήριον , *locus ubi concionantur* . Cum igitur fratrias id ædificium habuiſſe certum ſit , adhuc inquirendum , cui uſui fuerit huic ἱερατικῷ corpori , atque ea in re multum conjectionibus indulgendum ; igitur , cum ἀγορά , & ἀγορεύειν ſit *concio* , & *concionari* , ædificium exſtructum reor , quo ſratores ipſi inibi viros ſuæ regionis , ſive δήμους diſceptantes audirent , eorumque lites ſacra auctoritate , qua plurima pollebant , facile componerent , omni ſorenſi , ac publico tumultu , jurgiiſque ſublatis ; atque hac in re apprime conjurat Statius noſtras , dum de Neapolitanis iſthæc cecinit ad uxor. Sil. 3. 5. v. 85. quæ huic epigraphe ingentem lucem pariunt :

Pax ſecura locis , & deſidis otia vitæ ,
Et nunquam turbata quies , ſomnique peracti :
Nulla foro rabies , aut ſtrictæ jurgia legis ,
Morum jura viris , ſolum , & ſine faſcibus æquum .

Tranquille igitur eorum lites perorabantur , atque æſtimabantur , præſertim cum judicum perſonæ eſſent ἱερατικοί · atque fratores , cum certum ſit habuiſſe ἀγορευτήριον , judiciali munere functos eſſe oportuit , præſertim cum habeam ex Gloſſar. Græc. apud Du Freſne fuiſſe ἀγοραίους , qui ſorenſia , & publica inſtrumenta conſcriberent ; & vide Cujac. Expoſit. nov. 44. quæ de voce ἀγοραῖα illevit .

Neque mihi quis moleſtus ſit , atque opponat locum illum diſceptandis litibus addictum appellandum potius fuiſſe ſollemni nomine , ac trito δικαστήριον , nam facile reponam me gratulari veteribus civibus urbanitatis ac leporis plenis , qui a nominibus aſperum quid , & triſte præſeferentibus , uti eſt δικαστήριον a δίκη natum , quæ & *juſtitia* , & *pœna* eſt , abhorruerint , ac melius ἀγορευτήριον optarint , quod honeſtum quid & decorum audientibus ingereret . Præterea , quoniam ſanequam multis ſuperne teſtatiſſimum feci Neapolitanos vixiſſe φιλομήρους , ejuſque verba captaſſe , uti etiam nunc tales cernis in voce φρήτορες , quæ Homerica eſt ,

Digitized by Google

eſt, ceteræ autem gentes in φράτορες immutarunt, nihil verendum, ut ipſi, cum divinus vates in utroque poemate ubique utatur vocibus ἀγορεύειν, ἀγορή, ἀγορητής, ἀγορητύς, &c. contra vero vix ſemel, & iterum verbo δικάζειν, facile pro judiciali foro ἀγορευτήριον dixerint: Homerum autem in iis vocibus ita ſe geſſiſſe, uti edixi, ne te exemplis opprimam, ex ejus indicibus, quos ſeri Homericæ lectionis excutere ſolent, libens diſces.

Ex iis, quæ dicta ſunt in fratriis Ariſtæorum, clare conſtat jus dicundi habuiſſe fratoras, quare locus etiam his datus eſt, quo convenirent, quem ἀγορευτήριον vocitabant; cum decretum pro Aureliæ Muſæ δοκιμασμῷ ipſi confecerint, & ſtandum eſſe edicitur eorundem δόγμασιν, & infligenda ea quidem mulcta, quæ ipſis placuerit, ἀποτίσατο, χειροτονούντων φρητόρων, *luat, quod fratores decreverint*; neque alium quendam magiſtratum adſcriptum inibi legere eſt, qui vim auctoritatemque ψηφίσματι illi conciliaret: ſatis ſolummodo fuit civibus meis appoſuiſſe nomen Ariſtonis, ſive demarchi, ſive potius ſacerdotis ejus anni; etenim inferne pag.*643*. ex eleganti lapide dabo Neapolitanos tempora ab ſacerdotum nominibus definiviſſe. Hinc facile dubites de γνησιότητι duorum decretorum, quæ affert Capac. p.55. & *56*. tanquam Neapolitana, cum βουλὴν, *ſenatum*, & ἄρχοντας inibi legas, quos Neapoli nunquam fuiſſe, ſed ſolummodo δημάρχους ſatis conſtat: kalendæ appoſitæ ſunt more Romano, ſcil. ι. πρὸ καλ. Ἀπριλίων, quando in decreto Neapolit. pro Muſa Attice menſes, & dies enumerantur, ἑβδόμῃ πανθεῶνος ἱσταμένου· atque in primo quidem nulla nota eſt, qua Neapolitanum dicas; in altero dicuntur interfuiſſe Φλάβιος Πρόβος, & Λούκιος Πόδης Νεαπολῖται· igitur Neapoli ſcitum illud confectum non eſt, fruſtra enim adjectum eſſet Νεαπολῖται, præſertim cum ii, qui ſequuntur teſtes, cujates ſint, non dicatur, ſed iidem profecto erant cives: mox additur: Λικινίῳ Πολλίωνι ἀνδρὶ ἡμετέρου τάγματος, *noſtri ordinis*, ideſt ejus urbis, ubi conditum decretum, nam antea expreſſerat extraneos teſtes, Πρόβον, & Πόδωνα Νεαπολίτας. Si vero quis præfracte binas illorum ψηφισμάτων tabulas Neapolitanas eſſe tueri velit, utpote Græce ſculptas, licet invitus, adſentirer, dummodo octavi, vel noni ſæculi fœtum dicat, atque ab Græcis, qui Byzantio Neapolim confugerant, conceptum; quo tempore univerſa veteris politiæ Græcanicæ forma immutata eſt, & tunc tempeſtatis & ſenatus erat, & archontes, quos & *duces* & ὑπάτους vocabant, vid. ſuperne p. 5*29*. 53*0*. titulum Theodori; & ſubſcriptiones Latine apponebantur, uti in his decretis vides. Quibus animadverſis, etiamſi quis urgeat bina hæc Capaciana ſcita noſtratia fuiſſe, utpote inſipientis ævi, nihil officiunt, quominus φρητριῶν ſuum unaquæque habuerit ἀγορευτήριον. Ut hanc vocem, quæ Neapolitanis accepta referenda eſt, ſancta eruditione ornem, recte arceſſerem ab Hebræa אגור, unde ἀμέτως ἀγορεύειν, denotatque, *qui ſapienter loquitur*: hinc famoſus titulus Proverb.30. 1. דברי אגור בן יקה, qui converſus eſt, *verba congregantis filii vomentis veritatem*, tot

tot turbas excitavit inter interpretes, quas tutemet legas; ipſe miror neminem vidiſſe Græcam dictionem ἀγορεύειν, quæ ab τῷ אגור fruticat, quo ſanctis verbis lux eſſet.

Reliquum eſt, ut hujus fratriæ Παυκλειδῶν locum divinem; profecto, cum lapis nuper ab altioribus fundamentis ædium prope D. Petri in vinculis extractum ſit, ibique plurium ſæculorum vertigine jacuerit, importune ſe gereret, qui in ea urbis noſtræ regione Παυκλείδας fuiſſe negaverit; itaque omne urbis ſpatium occupaſſe dicerem, quod a S. Petri in vinculis templo ad S. Mariæ novæ, & S. Georgii Januenſium extenditur, quæ urbis pars adhuc elegans eſt, & nobilibus ædificiorum operibus nitet; quare jure audiebat δῆμος, & φοντεῖα Παυκλειδῶν, eorum ſcilicet, *qui omni ornamentorum genere fulgebant*, ſicuti Ἀεισῶοι, *qui optimis moribus honeſtabantur*. Sciant exteri paucis abhinc annis, dum a fundamentis novæ curiæ affabre, & magnificentiſſime exſtructæ, & a patriciis Portuenſis regionis nomine clariſſimæ rudera rejicerentur, vetuſtiſſima, mira arte elaborata, ac oppido grandia epiſtylia, & columnarum baſes ex candido marmore reperta, atque extracta; ejus rei ego αὐτόπτης teſtes voco patricios ipſos, atque Antonium Canevalium unum magni nominis ex regiis architectis, qui eam curiam ſcite delineavit: & ſane ſi altius terram effodiſſent, columnas ingentis molis procul dubio acquiſiviſſent; verum alia eſt hujus noſtri ſæculi indoles atque ingenium: & iraſcor, quod fortaſſe & epiſtylia illa, & baſes in mortaria, ac viliſſima quæque converſa ſint, venui marmorum ſectoribus data. Vides igitur veterem urbem noſtram ad iſthæc uſque loca pertinuiſſe.

ΚΥΝΑΙΟΙ.


III. Fratriæ *Cynæorum* nomen ipſe etiam civibus meis ſervavi, quod tot ſæculorum curſu in S. Mariæ Rotundæ latuerat, & niſi ipſe ad horum monumentorum cuſtodiam intentiſſimus templum reficientibus curatoribus opportunus occurriſſem, cippus elegantiſſimus in fruſta conſciſſus inter cæmenta, & operum farcturas abiiſſet: ejus fatum una cum ſat brevi deſcriptione, quo & oblecteris ſimul, & ira ardeſcas, accipe: rotundus is cippus media ſui parte parieti illius templi infixus adhæreſcebat, regebatque luſtralis aquæ vas: Grajus artifex in quaternas æquas diviſiones teretem ejus faciem diſtinxerat, in quarum prima epigraphen, in altera Vulcanum, ut moris eſt, malleum manu ſtringentem, & prope ipſum incudem cum forcipe, in tertia Bacchum juvenem elegantiæ refertum cum thyrſo, & tygridi adſtanti uvam porrigentem, in quarta Minervam haſtatam, ac loricatam ſcalpſerat; quæ omnia ad plenæ artis exemplum elaborata vidimus, poſtquam ab pariete detractus eſt lapis; etenim antea unus Vulcanus, & minima litterarum pars intuentibus objiciebantur. Centies exoraveram, ſæpe verbis blanditiei plenis ambiveram, ac pectus prenſaveram ſenis ſacerdotis ex regni noſtri provinciis Neapolim advecti, & curæ templi

pli

pli illius addicti, ſed fruſtra indociles, & nil purgatas ejus aures perſonui, ut ſaxum a templi pariete extraheret, & in atrium ἴδωλα illa, & profanum negotium detruderet: minarum plenus me repulit, tanquam theſauri loculamentum aucupantem: accipienda tunc mihi fuit ſenis illius injuria, ac muſſitanda; inde ad Eminentiſſimi Archiep. Spinelli auctoritatem provocatum eſt, qui ſacrarum æque diſciplinarum, ac antiquitatis amantiſſimus ſacerdotem accivit, & ineptiſſime moras nexantem, ac reſtitantem cippum in lucem omnem trahere coegit; interea viam ad templum illud ſollers, & catus celebrabam, tumebam enim laudis amore, ut ipſe primus cippum inviſerem, atque exſcriberem; quem tandem voti compos in membrana exacte expreſſum cum interpretamento ad Eminentiſs. Principem tunc temporis ruſticantem, quod expetierat, mittendum curavi.

Nunc ad ludicra quædam accedendum: admonui adoleſcentes auditores meos, ut ad tam gratum antiquitatis pignus adirent, illas Deorum icunculas admirarentur, atque patriorum monumentorum exemplis ad id genus ſtudia inflammarentur: quorum ſtatim globus lectiſſimus, ac impiger ad ſaxum, quod in templi aditum dejecerat ſenex, ruit; & dum juventus vivida, ac operoſa plus æquo urgebat ſaxum, ut moveret verteretque, ſubſedit ſolum atrii, & cippus præceps in communem templi ſepulturam alte detruſus eſt: vento ociores ilicet aufugere adoleſcentes, quos lictoribus, & faſcibus compeſcendos inclamabat ſenex; meque de marmoris caſu certiorem ſtatim fecere: ille interea infeſtiſſima ira urebatur; atque ſtatim ſtructores accivit, ut ſolum pertuſum exæquarent, ac reficerent, quo optatiſſimum id monumentum cadaveribus intermixtum æterna oblivione premeretur. Binis ipſe poſt diebus veluti rerum inſcitiſſimus ſenem adivi, deque ſaxi fortuna vix me interrogantem duriſſimis verbis excepit, atque hirtus increpuit ſaxum illud tanquam malum loci genium longe gentium amandatum eſſe, ejuſque lapidis cauſa crumenam ſuam jam inanem evaſiſſe. Reputans ipſe mecum fore, ut bonas horas luderem, ſi pro ſaxi reciperatione ſenem iratiſſimum multa prece fatigarem; viſum eſt iterum Cardinalem Archiep. adeundum, qui tum de cippi ancipiti caſu, tum de ſenis furentis, & marmor ſepelientis πολυπραγμοσύνη exhilaratus eſt, illicoque ardentem nuntium miſit, ut lapidem e communi ſepulcro ſenex educendum curaret, alias ipſe Archiepiſcopus per operas ſuas ſaxum in vitam traheret: ille ſortem ſuam exſecrans recitavit Horatianum illud, (quod, quo pacto didicerat, ignoro,) ſe natum *tortum ſequi potius, quam ducere funem*; imperio, quod frangere haud potuit, invitus ac triſtis paruit, & *inter ſcabiem, & contagia lucri* e mediis cadaveribus cippum eduxit: & odio obſcuro percitus extra atrium publica in via illum collocandum jubet: ſed fato iniquo ſequenti nocte intempeſta vel incolæ, vel exteri, qui has gazas habendi amore ſeneſcunt, rapuere; niſi potius ipſe ſenex iniquiores technas parans injuriam ac calamitatem magis fœdam eleganti marmori importarit; atque iſthæc de præclariſſimo monumento,

mento, ſive tragœdiam dicas, ſive comœdiam; quare niſi ipſe ſollertiſſimus, duce & lare Eminentiſs. principe, epigraphen, ut vides, exſcripſiſſem, nam imagunculas pingendi ob tot dolendas marmoris vices, otium non fuit, honeſtiſſimi avitæ antiquitatis pignoris memoria intercidiſſet.



Vix affabre manu mea exſcriptum lapidem, ut hic intueris, figuras autem pingendi otium defuit, Mazochio, cujus auditorem plures annos me fuiſſe gaudeo, ſtatim obtuli, quo in notis hiſce difficilioribus ipſe Œdipus mihi Davo opem ferret; ſed vir ſummus quo felicioris, eo ſeverioris ingenii me inaniis plenum dimiſit, tanquam iis arcanis indignum, atque imparem: hinc factum eſt, ut cum ipſe ſummo ſtudio fratrias enumerandas ſuſceperit, Cynæorum etiam oblitus ſit, iſque lapis, quo maxime indigebat, atque ſumma luce donare potuiſſet, eum latuerit. Contra vero, cum Florentiam, ac Veronam ad amicos epigraphen miſiſſem, poſtquam me familiariſſime uſi ſunt, illico in lucem editam, Latineque expreſſam vidi, ſed qua felicitate inferne noveris; verum meam ante ſententiam, ac medelam accipias: M.

Digitized by Google

M. ΚΟΚΚΗΙΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟΥ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟϹ ΚΑΛΛΙϹΤΟϹ
ϹΥΝ ΤΟΙϹ ΙΔΙΟΙϹ ΤΕΚΝΟΙϹ
ΤΙΤΙΩ ΑΚΙΛΕΙΝΩ
ΚΑΙ ΦΛΑΥΙΩ ΚΡΗϹΚΗΝΤΙ
ΤΟΝ ϹΚΥΦΟΝ ΕΞ ΔΝ ξ
ϹΥ Δ ξ
ΘΕΟΙϹ ΦΡΗΤΟΡϹΙ ΚΥΝΑΙΩΝ

IV. Ne dubites, quin probe in primo verſu implerim mancam vocem σεβαςȣ̃, ut in ſexcentis lapidibus, vide p.470. In ſecundo haud injuria nomen hujus liberti refeci Κάλλιςος, nam Καλλίας, qui apponi etiam dumtaxat potuiſſet, verſum minime compleret pro totius ſcalpturæ συμμετρίᾳ. Plena negotii res eſt ſexti, ſeptimique verſus interpretatio, nam reliquos vel puer decennis legeret. Porro niſi Muſis iratis natus ſim, ajo notam illam ξ lineola obliqua ſectam eſſe τὸν ξέςlω, ideſt *ſextarium*, neque quid hæreas, nam clare ex libro, qui Galeno tribuitur περὶ μέτρων, κὴ ςατμῶν circa initium ita legimus: Τινὲς δὲ τ̀ ξέςlω διὰ τȣ̃ ξ τμηθέντος αὐτὸ εὐθείας γραμμῆς δηλȣ̃σιν, *quidam autem ſextarium per litteram ξ recta linea ſectam denotant*; ſane marmoris duplex nota proxime accedit ad id genus τȣ̃ ξ, imo ipſiſſimum eſt elementum; quare ſextum verſum reddes, *ſcyphum ex quatuor & quinquaginta ſextariis*, quo nihil aptius ac decentius.

Septimus verſus majori difficultate urgetur, etenim quid ſibi velit ϹΥ, doctiſſimos quoſque torſit: conſtat ſane nomen eſſe vaſis longe ſcypho brevioris, utpote capacis quatuor ſextariorum; cumque Diis ſacrum eſſet, ab ſacrificalibus vaſis deſumendum, inter quæ dumtaxat *ſimpulum* reperies, quod ſane Græce converſum eſt in ϹΥΜΠΛΟΝ, cujus duos principes characteres expreſſit ſcalptor. Vel qui parum Græcos Scriptores, qui cum Romanis vixerunt, verſavit, novit illos plurimas voces ab his mutuatos eſſe, & Græco more emolliviſſe, præſertim in vocabulis ſibi non apte reſpondentibus, ſi inverterentur: uti in fratria Ariſtæorum de voce δεινάρχα dictum eſt pag. 628. neque curanda eſt litterula Υ pro I, cum notum ſit, quantæ ſoni affinitatis ſint bina hæc ςοιχεῖα, & Græci voces ſuas fere omnes ab ſyllaba συν, vel συμ incipientes τῷ Υ ſignant. Igitur ex marmore colligimus M. Coccejum Calliſtum cum filiis Diis fratoribus Cynæorum ſacraſſe ſcyphum 54. ſextar. & ſimpulum ſextar. 4. quæ certo audiviſſe vaſa ſacrificalia nulluſdum inficiatus eſt. Ut autem firmem nil mirum eſſe, ſi noſtra gens Græcanica ſcalpſerint σύμπλον cum litterula *υ*, adjiciam longiora Voſſii verba mihi appoſitiſſima ex etymol. verbo *imbuere*, & advertes litem antiquam fuiſſe inter grammaticos, utronam charactere *υ*, an ι ea vox pingenda: „ A *bua* quoque eſt *ſim-* „ *puvium*, εἶδος σκεύȣς ἱερατικȣ̃, ut ſcribit Adamantius Martyrius apud „ Caſſio-

,, Caſſiodorum lib. de Ortograph. Plenius de eo vetus Juvenalis interpres ,, ad illud ſat. *6. Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum; Simpuvium*, inquit, *quia omnes ſacerdotes ſimul bibebant, inde ſimpuviatrix illa dicitur, quæ porrigit poculum ipſud.* Sabini, a quibus ea vox ,, accepta *p* in *b* mutare amabant. Lazarus Baifius apud Juvenalem, & ,, ſimilibus locis legit *ſimpullam*, & quod mirum, hanc vocem ſcribit per ,, *y*. Sunt & qui *ſympinium* ſcribunt, ut ſit παρὰ τὸ συμπίνειν· ita legit ,, Hadrianus Junius non apud Juvenalem modo, ſed etiam Ciceronem lib. *6.* ,, Arnobium lib. 4. Varronem ſat. *eſt modus matulæ*, ſive περὶ μέθης, & ,, lib. 1. de vita pop. Rom. item Plinium lib. 35. cap. 12. Vide eum, ſi voles lib. 2. Animadv. cap. 10. Mirum vero ſcribere Lazarum metuere ,, ſe, ne, qui *ſympinii* ſcribunt, id cuiquam probare poſſint. Nam etſi ,, & ipſe quibus locis *ſympinium* Junius ſcribit, vel *ſimbuvium* malim, vel *ſimpulum*, (de quo ſeparatim agemus;) multis tamen partibus *ſympinium* prætulerim voci ſympullæ; nam ſympinium Græcam originem præfert; & quanquam apud Græcos Scriptores non reperiatur, a Siculis tamen Romani accepiſſe poſſint; qui multa aliter efferebant, ac veri Græci. At *ſympullæ* nomen cum origine Græcum non ſit, Latinum eſſe nequit, quia Y in Græcis ſolum invenitur. Adde, quod *ſympinium* magis, quam *ſympulla*, & veterum miſſorum antiquitus excuſorum fide ſit ſubnixum: ,, huc uſque Voſſius. Itaque ſi τὸ CY in noſtro lapide legere vis in Voſſium jurans συμπίνιον per me liceat. Gutherius de vet. jur. Pontif. p. 357. quædam addit de ſimpulo & cum *y* ſcribit. Si optes quæſitiſſima ex Hebræo, Græco, & Latino fonte de ſimpulo, ejuſque forma ex lapidibus, & numiſmatis exacte expreſſa, ne pigeat Fortunati Scacchi inviſere eruditionis dives Myrothecium in capite 53. lib. 1. inſcripto: *Sacri ſimpuli forma aperitur*, quod & quæſtui tibi erit, & voluptati: vide etiam Jo. Saubertum de Sacrific. vet. cap. 17. ubi etiam ſimpuli σχῆμα affert, & ſi tibi otii eſt, conſulas reliquos, quos recitat, & qui de hoc vaſculo ſcripſere. Præterea multa, & exacta de ſimpulo tenes a Bocharti Hierozoic. par. 1. pag. 549. nempe fuiſſe exiguum vas, & adagia, atque etymon ab ספל, quem adiſis; ſed ratio ſcribendæ hujus vocis, quæ litigii plena eſt, tantum virum fugit: de ſimpuvio vero pauca admodum addit ibid. pag. 586. lin. 54.

Apponam, quæ doctiſſimi viri chartis ſuis pro hujus ſilicis illuſtratione allevere: & ſummæ famæ Maffejus facile nodum incidit, dum in Muſeo Veron. pag. 479. ait: *Scyphus Diis tribulibus Cyneorum a Coccejo, & ab ejus natis Titio Aquilino, & Flavio Creſcente oblatus, quo pondere, & cujus pretii fuerit, obſcuræ, & detritæ lapidis notæ nos ſcire vetant;* verum inibi notæ ſunt clariſſimæ, & detritum nihil. Corſinius in notis Græcorum pag. 17. cujus Græcanicam eruditionem in amicorum colloquiis nunquam ſatis commendo, pro hujus ſaxi ſententia docte ſcripſit; vereor tamen, ne omnia turbarit. Pro σεβαστὰ in primo verſu

ſu repoſuit Σεξτυ υιος, quæ bina verba ſatis ἀπροσδιόνυσα· in ſecundo pro Καλλιςος refecit Καισαρος, quare in Corſinii medela hujus liberti cognomen, quod nunquam omitti ſolet, ignoramus; miror tantum virum hoc non vidiſſe. In ſexto verſu, ac ſeptimo extremas notas ſuſpicatur eſſe numerales, ſcil. ἐπίσημον κόππα, atque ΔN eſſe *denaria*, hinc interpretari poſſe ait *ſcyphum denariorum nonaginta ;* verum non advertit vir ſummus tum fuiſſe ejuſdem pretii & ſcyphum , & ſimpulum , tum pro binis tam levis impenſæ vaſis elegantem , & anaglyptis ornatiſſimum cippum Coccejum meruiſſe, qui quidem cippus longe pluris, quam anathemata ipſa ſtetiſſet. Præterea hariolatur Corſinius ambas notas (ad τὸ ξ proxime accedentes) peculiarem vel monetam, vel pondus noſtrum Neapolitanorum deſignare potuiſſe: inde ΔN non *denaria*, ſed 54. exprimere, & Δ in ſexto verſu eſſe 4. verum vir doctiſs. id genus monetæ , & ponderis Neapolitani ipſe comminiſcitur , quare credat qui levioris fidei eſt, non ego. Videndum an felicior fuerit in reficienda mutila voce CY, edicit autem, *Vel σύςομον legi debet, peculiare nimirum vaſi genus , quod a Polluce deſcribitur lib. 1. c. 19. ſegm. 69. vel aliquid aliud id genus, quod ignorare nunc cogimur :* hic primum viro Græce gnariſſimo majorem opto fidem in recitandis Scriptorum locis , etenim Pollux de συςόμῳ loquitur lib. 10. cap. 19. frag. 68. deinde vellem etiam, ne tacuiſſet σύςομον apud onomaſticographum eſſe *poculum*, ſeu *calicem pro communi menſa*, hæc enim præfert titulus hujus cap. περὶ ἐκπωμάτων, καὶ τραπεζῶν ὀνομάτων, non vero *vas ſacrum*, *ac ſacrificiis addictum* , uti certe erat ſimpulum; quare longe opportunius CΥΜΠΛΟΝ reſtituimus, quam eſt Corſiniana vox σύςομον, profanum poculum, & Diis indignum; ſane nemo vel bibaciſſimus ſibi fabricari juſſiſſet poculum , quod quatuor ſextariorum capax eſſet . Tenes jam epigraphen, in quibus manca eſt, reſtitutam, atque in difficilioribus notis illuſtratam, quam obſcurarunt, ac turbarunt exteri.

v. Age divinemus, cur hic δῆμος, & φρατρία vocitati ſint Κυναῖοι, atque qua in regione Neapolitana degerint. Porro vel tirones ſciunt a voce κύων, *canis*, & proxime a caſu patrio κυνός fruticare Κυναῖος, ſcil. is, qui cani addictus eſt, eumque colit: hinc ut te non diu teneam, Κυναῖοι ſunt, qui Anubin, Ægyptium numen colebant ab voce Syra נבח, ſive הנבח, *latrare*, & κατ᾽ ἐξοχὴν audit *latrator ;* templumque facile ei erexerant, ac ſtatuam dedicarant , & utrumque ἱερατικῷ fratorum corpori commendarant: Alexandrinorum vim grandem Neapoli fuiſſe, noviſque ſemper colonis refectam Suetonio debemus in Neron. c. 20. *Captus autem* (Nero) *modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant , plures Alexandria evocavit.* Præterea Anubin coluiſſe Cynæos novimus ex præclaro marmore, quod certe Neapolitanum eſt , atque haud ſcio, cur Venetias tranſlatum ex Delo adſtruat Gruterus pag. 86. 2. quare jure poſtliminii nobis reciperandum eſt:

Mmmm 2 ΑΠΟ-

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ·ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΟΥ
ΝΕΑΠΟΛΙΤΗΣ·ΑΝΟΥΒΙΔΙ·ΥΠΕΡ·ΕΑΥ
ΤΟΥ·ΚΑΙ·ΤΗΣ·ΓΥΝΑΙΚΟΣ·ΚΑΙ·ΤΩΝ
ΠΑΙΔΩΝ·ΕΠΙ·ΙΕΡΕΩΣ·ΣΩΣΙΩΝΟΣ
ΤΟΥ·ΕΥΜΕΝΟΥΣ·ΟΙΝΑΙΟΥ

Ex quo epigrammate diſcimus ſtatuam erectam huic numini Ægyptio ſub ſacerdote, ſeu fretarcho Soſione Eumenis filio Cynæo, ſcil. e fratria Cynæorum, quare *Οινχιου* ſine periculo confinge *Κυνχιου*, ut apte conveniat cum Anubide, atque cum Cocceji marmore. Miror Gruterum pag. *86*. 2. adſerere fratriam *Οινχιων* ſe etiam advertiſſe in alio noſtrate lapide, quem ipſe refert pag. 428. 11. & Capac. pag. 52. verum inibi neque vola, neque veſtigium eſt ejus vocis, atque quod legitur ΟΝΑΝΟΙ conjunctim, vel tiro diſpeſceret in ternas voculas ΟΝ ΑΝ ΟΙ, verba enim ſunt in verſu 12. ejus lapidis . . . *τόπον εἰς κηδείαν δίδοσθαι*, ΟΝ ΑΝ ΟΙ *προσήκοντες αὐτῷ ἕλωνται*, *locum pro funere dato, quem ejus propinqui elegerint:* & quis non miretur viros ſummos in iſthæc peccata offendiſſe? Si autem quis revera in Deli inſula contendat erectum lapidem, lubens etiam do, dummodo cogitet fieri potuiſſe, ut Apollonius cum Alexandrinis, quorum ingens numerus in noſtra Cynæorum regione florebat, & qui mercibus commutandis ſtudebant perquam maxime, Delon Cycladum principem inſulam petierit vel annonæ convectandæ cauſa, (de Deli ditiſſimo mercatu Cic. pro leg. Man. cap. 18. & Plin. l. 34. cap. 2.) vel potius religionis ergo, nempe ut templum, & natale ſolum Apollinis veneraretur, cujus ipſe & nomen gerebat, & Neapolitanos Deum hunc præ ceteris numinibus religioſius coluiſſe oſtenſum eſt p. *616*. inibique ad poſterorum memoriam numini patrio Anubidi ſtatuam, vel aliud quodvis donarium dedicaverit. Verum potior ſententia unumquemque urgere debet ſaxum Neapoli erectum, cum quæ hujus urbis propria erant, in ipſo intueamur; & ut brevis ſim, vides, præter vocem *Νεαπολιτης*, binas eſſe, ſcil. *Ανυβιδι*, & *Κυνχιοι*, quas, ſi Neapoli noſtræ haud tribuas, minime reperies, cui ejuſdem nominis urbi adſcribas; cum conſtet Ægyptios Deos cum primis enixe cultos a civibus meis, (& paullo inferius ea de re alios producam lapides,) & Cynæorum *δῆμον*, & *φρητρίαν* in unis noſtris marmoribus ſcalptam eſſe; quare ſi quis id neget, vel ſerus lapidum litteratorum ſtudii eſt, vel contendendi vi facile abripitur.

Interea fruamur nos his vetuſtatis honeſtiſſimis monumentis, ex quibus eruo, ideo in marmore appoſitum *τὸ Νεαπολίτης*, ut poſteri noſcitarent non virum ex Alexandrinis, quibus ea regio florebat, ſed Neapolitanum Anubidi memoriam dedicaſſe. Præterea vides in ſaxis a Romanis erectis Romana nomina Flaviorum, Coccejorum, Herenniorum, &c. quæ e contrario a Neapolitanis, utpote Græci oris, erigebantur, Graja omnino nomina, *Ἀπολλώνιος*, *Διοσκουρίδης*, *Σωσίων*, *Εὐμένης*, *κ. τ. λ.* Addas ex hoc

hoc Apollonii ſilice noviſſe, quod antehac latuerat, & ad ſummum patriæ decus eſt, ſcil. Neapoli in urbe Ἀττικιζούσῃ annos adnotari nominibus *ſacerdotum* fratrias regentium, quos fortaſſe annuos credas, uti Athenis quondam factum legimus in Plutarcho in Demetr. ut me docuit Corſinius in faſt. Attic. to. 1. p. 39. Μόνοι δὲ (Ἀθηναῖοι)... τὸν ἐπώνυμον, καὶ πάτριον ἄρχοντα καταπαύσαντες, ἱερέα σωτήρων ἐχειροτόνουν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· καὶ τοῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων, καὶ τῶν συμβολαίων προέγραφον, *uni* (Athenienſes) ...*ſublato patrio magiſtratu, archonte, a quo nomen accipiebat annus, ſacerdotem ſervatorum* (Deorum) *quotannis crearunt, quem plebiſcitis, & contractibus præſcribebant*; quem morem quoſdam annos perduraſſe idem Plut. aſſerit; & Neapolitani etiam in marmoribus, ut in hac epigraphe, ſacerdotem Soſionem appoſuerunt. Verum jam ante Corſinium idipſum adnotaverat Vandalius in Diſſert. p.222. eademque Plut. verba recitarat; ſi multa optes de Sacerdotibus etiam feminis, prolatis aliis lapidibus, atque etiam numiſmatis, hujus doctiſs. Angli Diſſert. 2. & 3. conſulas. Hinc plurimum lucis eſt ſuperno longiori decreto p.624. pro Aurelia Muſa, in cujus initio vides ἐπὶ Ἀ.ματτωνος, quem facile dicas fuiſſe ſacerdotem, qui annum ejus ψηφίσματος definiret: & ad tædium inculcatum a me veteres cives meos mores Athenienſium, & διαγωγὴν Ἀττικὴν etiam Strabone teſte religioſe perſecutos eſſe. Demum non me ſugiat advertere, tum αὐτόχθονας Neapolitanos annos a Sacerdotum nominibus adnotaſſe, tum Romanos accolas e contrario, quamvis Neapoli urbe Attico more victitantes, annua tempora a conſulibus Romæ creatis diſtinxiſſe, vid. pag. 613. Multas porro vetuſtatis reliquias ad patriæ decus ex uno ſaxo congeſſimus.

VI. Atque adeo verum dicas hanc Cynæorum regionem Alexandrinos, & Ægyptios occupaſſe, ut præter numen Anubin, reliquos bene multos hujus gentis Deos hic cultos ex ſaxis docti ſimus; itaque exploranti mihi, uti meus eſt mos, antiquas ejuſdem regionis reliquias, in ædibus Carbonellorum baſis ſe obtulit non exigua, (cujus etiam memini pag. 475.) litteris ad parietem obverſis, ab ædium poſſeſſoribus curata parum, & neglecta; accitis igitur clam viris robore valentioribus, dimotum eſt ſaxum, repertaque eſt litterata facies ſat lutulenta, & calce quoad bonam partem contecta; itaque iterato ad ſaxum adeundum mihi fuit, & ferro patientiſſimus, & blande in lucem elementa traxi parum ab optimis deſciſcentia, licet quædam ſint fugientia in imis lineis, quippe quæ minora ſunt, nec tam introrſus ſcalpta, ſed oculorum vi valentibus certa eorum proſtant veſtigia; rogavi enixe Carbonellos, ut præ opibus tam illuſtre vetuſtatis pignus ſervarent carius. Non parum opis mihi præſtitit in vocum divinatione, dum marmor ſcrutabar, Alexander Petitus juvenis honeſtate morum, ac ingenii felicitate beatiſſimus, qui per omnium bonarum artium cultum, & non unius linguæ ornamentum ætatem tranſigit ſuam, mihique in hoc atramentario labore adjumento eſſe lubens fateor.

ISI-

Digitized by Google

I Σ I Δ I
ΑΠΟΛΛΩΝΑ · ΩΡΟΝ
ΑΡΠΟΚΡΑΤΗΝ
Μ · ΟΨΙΟΣ · ΝΑΟΤΙΟΣ
Ο · ΑΝΝΙΑΝΟΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ · ΕΠΑΡΚΟΣ
ΣΕΙΤΟΤ · ΔΟΣΕΩΣ · ΔΟΓΜΑΤΙ
ΣΤΓΚΛΗΤΟΤ · ΡΩΜΑΙΩΝ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΣ · ΤΑΜΙΑΣ · ΠΟΝ
ΤΟΤ.ΒΕΙΘΤΝΙΑΣ.ΧΕΙΛΙΑΡ.ΛΕΓ.Ε
ΜΑΚΕΔΟΝΙΚ.ΑΡΞΑΣ.Ι.ΑΝΔΡΩΝ
ΑΡΧΗΝ·ΕΠΙ.ΡΩΜΗΣ

Itaque ſollertiæ meæ acceptam referas hanc epigraphen , & vides prope Nilenſem noſtratem regionem eas reperiri, quæ ad rem Alexandrinorum convenarum, & Ægyptiorum numinum religionem pertinent; pauca addam pro luce horum verborum, præſertim, cum id tibi receperim ſuperne pag. 475. ſed prius ſententiam accipias : *Iſidi . Apollinem Horum Harpocratem* (ſtatua honorat) *M. Opſius Navius Annianus prætor , curator frumenti dividundi decreto ſenatus Romani , ædilis , quæſtor Ponti Bithyniæ , tribunus legionis V. Macedonicæ , decemvir in urbe Roma*. Merito Annianus Iſidi, utpote omnium Ægyptiorum numinum principi epigraphen ſacrat, & Dea eſt, uti ferunt, veterrima, hinc quidam deducunt ab ישש, *decrepitus ;* quanta de ea volumina exarata ſunt ab antiquis , & hujus ætatis Scriptoribus, ne recitare me cogas, cum ſatis tibi ſit adire Plutarchum de Iſide, & Huetium prop. 4. p. 250. Lipſiæ 1703. & qui de tabula Iſiaca ſcripſere. Ipſe vero neſcio, cur a γενικωτάτῃ voce ישש, *canus* , nomen Deæ traxerint cum magis quadret famoſa ῥῆσις יש, *eſt* , Ægyptio more τῷ *is* addito, uti Oſiris, Apis, Anubis, Serapis, quod etymon me docuere veteres lapides, Campanus alter: TE TIBI VNA QVAE ES OMNIA DEA ISIS ARRIVS ALBINVS V. C. & alter ſat antiquior, quem refert Plutarchus: ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΠΑΝ ΤΟ ΓΕΓΟΝΟΣ ΚΑΙ ΟΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΟΝ , *ego ſum omne, quod fuit , & quod eſt , & quod erit*. De Harpocrate nihil reliquum fecit nobis vir ἐξοχώτατος Cuperus , qui de hoc numine Ægyptio volumen edidit optimæ frugis pleniſſimum, inque pag. 156. Trajecti 1687. oſtendit Ἀπόλλωνα Ὧρον Ἁρποκράτην , ut in noſtro marmore vides, eundem Deum eſſe, refertque epigraphen: ΜΕΓΑΣ ΩΡΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ ΑΡΠΟΚΡΑΤ. ΕΥΙΛΑΟΣ ΤΩΙ ΦΟΡΟΥΝΤΙ · ſi mea nunc referret , trium harum vocum etyma probe educerem , Ἀπόλλων ab פלל, ſive הפלל, *diſſecuit ;* Ὧρος ab עיר *in malum vigilans ;* Ἁρποκράτης, vocem

cem hibridam ex ערף , & κρατεῖν , nempe in *ruina fortis ;* itaque vides ideo Deum hunc tribus ſimul nominibus appellari, quod in eandem notionem vergunt.

Et nunc memini, cur, quæ magnus Homerus Apollini ἐπιθετὰ attribuit, damnoſæ διαγνώσεως ſint, uti ἑκηβόλος, & ἑκηβελάτης, *ultor ;* hinc mihi peropportunus verſus 110. Il. α. Ὡς δὲ τοῦδ' ἕνεκα σφιν Ἑκηβόλος ἄλγεα τεύχει, *quod ideo ipſis vindex Apollo damna ſtruit*, peſtem enim in Græcorum exercitum immiſerat ; & ipſe divinus vates nobis aperit, quid valeat ἑκηβόλος, nim. ἄλγεα τεύχων. Dicitur etiam paſſim ab eodem vate ἑκάεργος, *negotia faceſſens*, λαοσσόος, Il. υ. v. 79. *copias diſſipans*, non vero *ſervans*, uti interpretatur ſcholiaſtes, nam idem προσθετὸν apponit Marti Il. ρ. v. 398. & Ἔριδι Il. υ. v. 48. ut ſileam de vocibus ἀργυρότοξος, κλυτότοξος, χρυσάορος, neque alias in Hom. reperire eſt, niſi quæ etiam vim hujus *armati* numinis, furoremque indicant; imo in Il. δ. v. 107. & 114. ipſum vocat δεινὸν, *terribilem*: νεμέσησε δ' Ἀπόλλων . . . Τρώεσσι δὲ κέλετ' ἀΰσας . . . δεινὸς Θεὸς, *indignatus eſt Apollo*, *Trojanos incitavit inclamans terribilis Deus ;* quare Apollo in tanto vate non eſt Deus averruncus, & ἀλεξίκακος, ſed potius inter κακοποιοὺς accenſendus: & conqueror de poetis Homeri nepotibus, qui bonis ἐπιθετοῖς Apollinem honeſtarunt; jure igitur terna nomina Ἀπόλλων, Ὧρος, Ἀρποκράτης ab veterrimis dictionibus Hebræis tracta ſunt, quæ formidandum præmonſtrant hunc Deum ; ſi id nunc agerem longius hoc elegans argumentum protraherem ; & miretur quiſque, cur tot Homeri doctiſſimi interpretes, quod nunc de Apolline dictum eſt, non viderint, imo qui tot commentarios de Diis Syris, Ægyptiis, &c. aggeſſerunt, ne de etymo quidem quidquam cogitaverint. Ceterum expendant alii, quare Homerus, & maxime Heſiodus, cuja potiſſimum intererat, numquam Deorum Ægyptiorum gregis nomina Iſis, Oſiris, Anubis, Apis, Adonis, Bacchus, Harpocrates, Horus, &c. meminerit, licet poſteriores vates eadem ad tædium celebrarint.

VII. Munera Anniani, quæ in ſaxo enumerantur vel Romanarum antiquitatum tironibus nota ſunt, & in marmoribus frequentiſſima tum Græce, tum Latine: fere eadem legere eſt in Hiſt. Aug. to. I. p. 572. dum ait Spartianus de Didio Juliano: *Inter* XX. *viros electus eſt ſuffragio matris Marci : quæſtor ante annum, quam legitima ætas ſinebat, deſignatus eſt: ædilitatem ſuffragio Marci conſecutus eſt: prætor ejuſdem ſuffragio fuit: poſt præturam legioni præfuit in Germania viceſimæ ſecundæ Primigeniæ ; inde Belgicam ſancte, ac diu rexit ;* munus *præfecti*, ſive *curatoris frumenti dividundi*, quo ſolummodo non functus eſt Didius, ut æque ſit, ac Annianus, notiſſimum eſt ex Dione, & Suetonio, & hic quidem cap. 37. illud ab Auguſto inſtitutum narrat: *Nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, &c.* vide doctas adnot. in Burmanni editione; ille

ille, nempe Dio pag. 746. v. 26. edit. Reim. Ταῦτά τε οὖν ἕκαστα διενομοθέτει, καὶ ἵνα ἐπὶ τῇ τοῦ σίτου διαδόσει προβάλλωνται, καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀεὶ ὄντες ἕνα ἕκαστα ἐκ τῶν πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐστρατηγηκότων, καὶ ἐξ αὐτῶν τέσσαρες οἱ λαχόντες σιτοδοτῶσιν ἐκ διαδοχῆς, *præterea* (Auguſtus) *inſtituit, ut ad diſtribuendam annonam magiſtratus ſinguli ſingulos ex iis, qui ante triennium præturam geſſiſſent, proderent; ex quibus quatuor ſorte delecti frumento dividundo vacarent ordine*. Et paullo ante ipſe Dio pag. 730. v. 19. de eodem Auguſto ſcripſerat, eo quod peſtis omnem Italiam invaſerat, ipſum τοῦ σίτου ἐπιμελητὴν ab Romanis exoratum ἀναγκαίως acceptaſſe, & juſſiſſe duoviros quotannis, qui ante quinquennium prætoris munere functi eſſent, πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ' ἔτος αἱρεῖσθαι. Quod autem jam duobus prætoriis, id duobus conſularibus deinde demandatum, Dio p. 840. v. 58. Ἐπί γε τῇ σιτοδείᾳ δύο αὖθις ἐκ τῶν ὑπατευκότων ἐπιμελητὰς τοῦ σίτου σὺν ῥαβδούχοις ἀπέδειξε. Queis frumentum dandum eſſet, & qua ratione, per teſſeras ſcilicet, docte, quanquam paucis, præſtat vir magnus Reineſius in ſyntagm. inſcr. cl. xv. 12. ubi quid ſit ἡ σίτησις ἐν πρυτανείῳ, etiam explicat. Piguit me conſuluiſſe Vincentii Contareni opuſculum de frument. Rom. largit. & præſertim cap. 9. qui inſcribitur, *de his, qui frumenta diſtribuerunt*; nil enim pro hujus cippi luce mihi ſuggeſſit. Ceterum unicum dicas noſtrum hoc ſaxum ob voces, ἔπαρχος σίτου δόσεως, quas in ceteris marmoribus loquentibus haud fortaſſe reperies.

Sequuntur verba, ταμίας Πόντου Βιθυνίας, quæ ita intelligas, Annianum fuiſſe quæſtorem ejus regionis Ponti, quæ Bithyniæ adnexa erat; etenim conſtat, tum Pompejum poſt Mitridatis mortem, tum Auguſtum Bithyniæ provinciæ multa adjeciſſe: adjectum fuiſſe ei Pontum adſtruit etiam magnus Noriſius Diſſert. 2. in Cenotaph. Piſ. cap. xi. *Altera P. R. provincia in Aſia erat Bithynia cum Paphlagonia, Propontide, ac quibuſdam Ponti partibus, &c.* Vide etiam Cellarium de Bithynia, & Ponto, necnon noſtrum Mazochium erudititiſſima, ac plurima de hac provincia ediſſerentem in Kalend. p. 368. & pauca p. 318. Demum in ſaxo vides, Ἄρξας ι. ἀνδρῶν ἀρχήν, quod verſum eſt *decemvir*, advertas Græce ſcribendi Neapoli δεινότητα, non enim ut vulgus, ſcalpſere δέκαρχος, ſed non unis ῥήτορσι ad elegantiam adhibitis: quod cultiores Scriptores imitatos eſſe, ut Dionem pag. 1164. v. 5. edit. Reim. gratulor: Τά τε Διονύσια (Ἀδριανὸς) τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσε, *ac Dionyſia* (Hadrianus,) *ut qui maximum apud eos magiſtratum gereret veſte Athenienſi indutus magnifice celebravit*; imo ita etiam legere eſt in vetere ſaxo, quod mihi præſtat Salmaſius p. 124. Hiſt. Aug. to. 1. ſed more ſuo, unde marmoris exemplar traxerit, non indicat: Ἄρξαντα τὴν τοῦ ἄρχοντος ἀρχὴν καλῶς, καὶ δικαίως, καὶ συμφερόντως τῇ πατρίδι· contra in mirabil. c. 25. idipſum dixit, ſed ſatis exſucce de Hadriano Phlegon hujus Aug. libertus Trallibus natus, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος γενομένου, κ. τ. λ. Etiam minus eleganter ſcalptum

ptum eſt πατρῶν ἄρξας pro πατρῶν ἀρχὴν ἄρξας in lapide in Melitæ inſula reperto, quem refert Reineſius cl. v. 7. Λ. Καστρικιος Κυρ. Προυδηνς ιππευς Ρωμ. πρωτος Μελιταιων και πατρων αρξας και αμφιπολευσας Θεω Αυγουστω σεβ. Reor te noviſſe iram Salmaſii, quæ ejus conſuetudo eſt, in Caſaubonum hiſt. Aug. ibid. pro Dionis verbis nuper laudatis, ἄρξας ἀρχὴν· lis autem omnis in eo eſt, an bina iſthæc verba ſecundum Salmaſium adnotent, *cum magiſtratum geſſiſſet*, an ſecundum Caſaubonum, *cum magiſtratum cepiſſet:* Reimarus in Dion. p. 1164. rem ampliandam eſſe edicere videtur, inquit enim: *Quamquam vero Dionis vocabulum* ἄρξας *per ſe ambiguum ſit, tamen nemo dubitabit ex Salmaſii ſententia diſtinctius eum locutum fuiſſe:* ὡς καὶ πάλαι τὴν μεγίστην παρ᾽ αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας· a me rogitaris, ut quæ hi doctiſſimi treſviri eo de κειμένῳ diſputarunt, perlegas, ceteroſque Scriptores, qui ab iiſdem recitantur, conſulas; vide etiam Hemſterhuiſium in Pollucem lib.8. c.9. n.89. Id vero noſtra magni refert, ut advertas, quam apte in Neap. ſaxo ſcalptum ſit, ΑΡΞΑΣ Ι ΑΝΔΡΩΝ ΑΡΧΗΝ, quæ quidem veneres ſunt ac lepores oris Attici, quos in Neapolitanis valde commendarunt Strabo, & Philoſtratus, &c. ac ipſe ea de meorum veterum civium ſermonis elegantia plurima commentatus ſum, vid. par.5. cap.5. p.498. atque hanc noſtratis lapidis loquendi formulam ab Attico ſolo Neapolim advectam gratulor me ab Ariſtotele didiciſſe, qui Polit. lib.1. c.5. p.300. edit. Pariſ. Ἡ μὲν ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχὴν, καὶ πολιτικήν.

His ad bonam epigrammatis lucem animadverſis, reliquum dumtaxat eſt, ut enodem, ac planum reddam, cur adjecta ſint verba δογματι συγκλητου Ρωμαιων, & επι Ρωμης. Ne credas Annianum, quoniam lapis Græce Neapoli ſcriptus eſt, hac in urbe iſthæc Romanorum propria munia exercuiſſe, atque, amiſſa Ἑλληνικῇ αὐτονομίᾳ, Latinorum leges ſubiiſſe cives meos; nam ex multis veterum monumentis, quæ a me in part.3. ſuperioris capitis p.442. pro Neapolitanorum libertate prolata ſunt, facile unuſquiſque contrarium colliget, nim. hunc Annianum, poſtquam tot muniis Romæ, & in Ponto floruiſſet, Neapolim ad quietem, & ad Græcanicæ vitæ διαγωγὴν ſe recepiſſe exemplo tot procerum Romanorum; quare iterum recinam ſat nota Strabonis verba pag.378. *Vitæ Græcanicæ rationem Neapoli aggrediuntur, qui huc ſecedunt in ocium & quietem, & qui ab primis annis muniis defuncti ſunt; atque etiam qui ob imbecillitatem, & ſenectutem cupiunt vitam vivere tranquilliorem; & Romanorum primi hoc vitæ genere gaudentes, eo quod vident pleroſque omnes Græcanici inſtituti gratia Neapoli verſari, lubentes hunc locum amant, ibique victitant:* ſi iſthæc pro Neapolitanis honeſtiſſima verba Græce ſcripta optes, vid. pag. 437. & quæ ibidem non pauca adnotavi. Igitur ex his principibus viris Romanis unus Annianus tot magiſtratibus functus in hanc Cynæorum regionem ſe recepit, quo Græce, atque in Neapolitano otio viveret; ſtatuamque Apollini Horo Harpocrati in fratria

rite erexit, quod & Proculus conſul etiam Romanus fecit, vid. p. 620. & ex Fabiorum gente quidam Diis Eumelidarum noſtratium, pag. 608. & M. Coccejum Calliſtum Diis Cynæorum, pag. 638.

Si autem in ſaxo legas, ἔπαρχος σίτυ δόσεως δόγματι συγκλήτυ, ne in animum inducas Romano ſenatui paruiſſe cives meos, ita ut ab Anniano Neapolitanis frumentum dividi juſſerit, cum ſat multis ſuperne horum libertatem tutati ſimus: imo in mentem revoces liberrimæ noſtræ reipublicæ hoſtes edixiſſe Neapolitanos una cum libertate os Græcanicum amiſiſſe; at ex hoc Anniani ſaxo contrarium omnino noſcitas, nil enim in eo civium αὐτονομίαν peſſumdatam deprehendis, dum adhuc tam eleganter, ac preſſe Græce loquebantur. Verum omnia ſibi bene conſpirare vides, ſi, uti revera eſt, Annianum Romæ, & in Ponto ea munera exercuiſſe dicas: (qua apparatione frumentum plebi dividebatur, tenes ex S.C. quod Reineſius cl. 7. 6. ex Frontino exſcriptum recitat.) Cum additum ſit fuiſſe *Romæ decemvirum*, noſcimus provincias etiam decemviratum habuiſſe, quod ex ſaxis litteratis nunc firmatur. Proſtant exempla etiam in aliis lapidibus Græce, & Romane loquentibus, in queis, ut urbani magiſtratus ab iis, qui in provinciis exercebantur, diſcriminarentur, additum eſt τὸ *Romæ:* itaque teneo ab Vandalio diſſert. pag. 238. longiuſculum titulum, in quo cernere eſt inter bene multa Calpurnii Proculi munia fuiſſe etiam ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΡΩΜΗΙ, *prætorem Romæ*, ut ab iis, qui in provincias mittebantur, diſtingueretur, & lapis Ancyræ in Galatia erectus eſt: Καλπουρνιον Προκλον εκ συνκλητικων και υπαρχων χειλιαρχον εν Δακια λεγιωνος ιγ γεμινης δημαρχον στρατηγον Ρωμη επιμεληθεντα οδων ηγεμονα λεγιωνος α Αθηναις ανθυπατον Γαλατιας πρεσβευτην και αντιστρατηγον Βελγικης η μητροπολις της Γαλατιας Σεβαστη Τεκτοσαγων Ανκυρα τον αυτης σωτηρα και ευεργετην. Scias pro re nata virum ſummum Vandalium grande σφάλμα in hujus lapidis Ancyrani commentario perpetraſſe, dum aſſerit pag. 237. *Hinc nos dignoſcere Sebaſten urbem non tantum Galatiæ, verum & metropolim fuiſſe;* cum id omnino non dicat cippus, ſed vox σεβαστη hic ἐπιθετὸν eſt ipſius Ancyræ metropoleos Galatiæ, quæ *Auguſta* ſalutabatur, propterea quod illam tantis ornamentis honeſtavit Auguſtus, ut quaſi conditor antiquiſſimæ ejuſdem urbis habitus ſit: cui non notum eſt monumentum illud, quod ideo *Ancyranum* dicitur, quoniam res Auguſti geſtas, & merita complectitur? & nemo non lectitavit Tzetzis verſ. 131. chil. 1. in quo poeta hic, cujuſvis pretii ſit, canit Ὀκταούιον κτίσαι τὴν Ἄγκυραν· at contra Sebaſte Galatiæ nullius famæ urbs audiit. Præterea etiam facile reperies Latiales lapides, in queis τὸ *Romæ* magiſtratibus appoſitum legas, in Grut. 444. 5. vides in C. Octavii Modeſti Canuſino marmore inter tot ejus honorum titulos adſcriptum etiam PRAEF. FABR. ROMAE. Nil igitur mirum, ſi in noſtro ſaxo Annianus *Romæ* dicitur fuiſſe *decemvir*, ſcil. ἄρξας ι. ἀνδρῶν ἐπὶ Ῥώμης.

Nunquam ſatis ſuperque ſollers, & curata Neapolitanorum Græce ſcribendi

bendi δεινότης commendanda, imo & ſcalptorum induſtria, nullum ſiquidem horum σφάλμα in ſaxo vides: ſi vero inciſum ſit σειτυ, Βειτυνιας, χειλιαρ. cum ει pro ι, uti nunc mos eſt ſcriptitandi, ne dicas erraſſe Neapolitanos, imo probe factum, & ut imiteris rogo, cum in poetis illud ι productum reperire ſit; relegas, quæ de voce τειμήτης pag.416. dicta ſunt. Quo pacto ſcribenda ſit vox ΩΡΟΣ, hæc reliquit poſteris Jo. Mercerus in obſervat. in Horapollinem edit. Paw pag. 167. *Vide igitur, num forte rectius hujus Auctoris nomen denſo ſpiritu ſcribendum ſit : quamquam non eſt magni momenti hæc res*. Si plus temporis in hujus Anniani lapide illuſtrando luſum eſt, pacem poſco, quadam enim vi ac momento facile ad ſcribendum impellebar. Rumuſculus ad aures percaluit virum magnum Neapoli degentem laborioſum commentarium in idem ſaxum affinxiſſe, & more ſuo Græcanicæ, & Phaleſgicæ eruditionis ſupellectile condecoraſſe, & ſi rumorem verum dicas, adniſum præſtare hoc marmor, quod tanto decori eſt noſtræ Nilenſi, ſeu Cynæenſi regioni, Neapolitanum non eſſe, ſed aliunde vicinarum gentium huc advectum; at ipſe mecum concoquo oportuiſſe, ut urbs illa, ſive inſula, ubi erectum hunc lapidem ſibi poſtulat vir doctiſſimus, Græco ore, Anniani ævo, poſt Octavianum ſcilicet, (nam hic Auguſtus curatores frumenti dividundi inſtituit, vid.p.645.) floruiſſet, atque Ægyptios Deos coluiſſet, quod utrumque de Neapolitanis certo ſcimus: reliquas urbes, & inſulas finitimas, ſi Capreas excipias, utpote Neap. coloniam, ut p.476. dictum eſt, omnes Romanas, & Latiali ſermone imbutas nullus inficiabitur; quare haud ſcio, qua arte a binis hiſce moleſtiſſimis difficultatum anguſtiis ſe expediat; præſertim ſi tertiam opponas Græcanicum marmor Neapoli jam exſtare, imo in ipſa regione, in qua ea numina gentium exterarum culta ex monumentis adhucdum vigentibus ſcimus; quare noſtram ejus cippi poſſeſſionem fiduciariam eſſe is unus objiciet, qui urbi noſtræ Ἑλληνικωτάτῃ id genus gazas, & decora invideat; hujus indolis hominibus iratiſſimi vivimus, qui, cum Neap. reſpublica hos ſinu ſuo excipiat foveatque, eorumque virtutem ſuſpiciat atque honeſtet, non ſolummodo ab ea libertatem, & αὐτονομίαν, inducto infeſtiſſimo coloniæ nomine, & Atticum os ereptum ire adlaborarunt; verum etiam nunc odii plena ἀνταποδόσει Græce ſcriptis marmoribus veluti furto quæſitis, quæ Neapolitanis præ divitiis, otioque ſuo cariora ſunt, ſpoliare aggrediuntur; & quas ſtatis temporibus epigraphes id genus elegantiſſimas, ceu γνησίους fœtus tellus emittit, ſatagunt νοθείᾳ arceſſere. Ceterum hos meros ludentium amicorum rumores reor; quare has querelas inducendas jubeo, & nubibus ventiſque diſcerpendas relinquo.

VIII. Adeo verum dicas me divinaſſe hanc noſtræ urbis regionem Cynæos, ſive Alexandrinos olim occupaſſe, ut præter tot monumenta jam prolata, proſtat adhucdum in ea ingens e marmore Nili ſtatua eleganti opere ſcalpta, & miror neminem noſtrorum doctiſſimorum ἀρχαιολόγων eam incidendam curaſſe, vel deſcripſiſſe, quo tam præclarum Græcanicæ vetuſtatis

ſtatis λείψανον exteri demirarentur; cernere eſt ſenem in ceterorum fluminum poſitu, recubantem ſcilicet, cervice, & pectore erecto, brevi veſte in inferiori corporis parte ſolummodo tectum, ſiniſtra rudi ſaxo innixum, a quo aquæ fluentum exundat, & prope id ſaxum nudus ludit puellus: dextra omnino infracta eſt: demum ejus ambo pedes leniter extenſi crocodilo ſedenti innituntur: tanti pretii monumentum majores noſtri publicam propter viam eleganti; grandique baſi impoſuere, atque hanc ſelectam epigraphem noſtratis litteratiſſimi viri Matthæi Ægyptii ſcalpendam curarunt:

VETVSTISSIMAM NILI STATVAM
AB ALEXANDRINIS OLIM VT FAMA EST
IN PROXIMO HABITANTIBVS
VELVTI PATRIO NVMINI POSITAM
DEINDE TEMPORVM INIVRIA
CORRVPTAM CAPITEQVE TRVNCATAM
AEDILES QVIDEM AN. MDCLVII
NE QVAE TOTI HVIC REGIONI
CELEBRE NOMEN FECIT
SINE HONORE IACERET
RESTITVENDAM COLLOCANDAMQVE
AEDILES VERO AN. MDCCXXXIII
FVLCIENDAM NOVOQVE EPIGRAMMATE
ORNANDAM CVRAVERE

Vides in hoc ſat culto epigram. appoſitum, *ut fama eſt Alexandrinos hic habitaſſe*; non enim noſter Ægyptius noverat, quæ monumenta paucis ante annis in lucis auras exſiliere, quæ certe firmant Ægyptiorum incolarum multitudinem inſediſſe hanc regionem. Scias nos Neapolitanos haud Romæ colloſſicum Nili ſignum invidere, quod expreſſit Montfauconius in Antiq. explan. to. 3. pag. 186. quamvis noſtrum minoris molis, & Romanum ſenis denis puellis, & crocodilis non unis dives, Neapolitanum vero iiſdem ſymbolis, & fortaſſe pleniore arte ſcalptum ſit. Cur Nilum cum infantibus ludentibus finxerint ſtatuarii, docent nos veteres Scriptores, dum adſtruunt mulieres ſterilitate laborantes, ſi hujus fluminis aquas bibiſſent, ſtatim evaſiſſe utero gerentes: quare haud præſtem fidem Montfauconio ajenti ſexdecim illos puellos adnotare ad totidem cubitos, nec ultra, Nili aquas aſcendere conſueviſſe; verum hujus ſententiæ vadem dat neminem; imo id non tam facile membranis illeviſſet, ſi in noſtrate Nili ſtatua privum puerum ſcalptum noſſet; itaque infantium Nilenſium numerus penes ſtatuariorum arbitrium erat; & quis in animum inducat pro cubitorum numero veteres finxiſſe puellos? cum ea in re nulla ſit ἀναλογία, plurima vero, ſi dicas Nili aquas mulieribus fecunditatem peperiſſe. Ut te minime in recitandis auctorum locis, qui de hac Nili virtute ſcripſere, obtundam, neque te ablegem ad Kircheri Œdipum. Ægypt. qui ea de re perquam multa aggeſſit, atque to. 1. c. 7. pag. 48. tutemet credas, quæ illevit: *Ejus denique fecunditatis eſſe comperitur, ut non terram*

Digitized by Google

terram dumtaxat, *ſed*, *&* *jumenta*, *&* *pecora*, *quin* *&* *homines utriuſque ſexus ad miraculum uſque fecundos reddat*. Sed his poſthabitis, pro Nili fecunditate certum vadimonium petam ab ſummo viro Thoma Stanlejo in comment. in Æſchylum p. 868. edit. Cornelii de Paw, qui & vehementes teſtes ſiſtit : *Laus Nili a ſalubritate ; de ejus fecunditate ſupra diximus ex Ariſtotele: referunt ibidem Theophraſtus*, *Seneca*, *&* *Plinius mulieres aqua Niliaca adeo fecundas reddi*, *ut uno partu fœtus plures enitantur*. *Idem de vaccis Ægyptiis narrat Ælianus de Animal. lib.* 3. *c.* 33. *ſubdens*, λέγεται δὲ αἴτιος ὁ Νεῖλος εἶναι, εὐτεκνότατον παρέχων ὕδωρ, hæc Stanlejus. Et ſane nunc memini Plinium lib. 7. c. 5. appellare *fetiferum potu Nilum*, & Theophraſtum in Athen. 2. 4. p. 41. ejus ὕδωρ πολυγονώτατον, ut ceteros taceam ; & miror iſthæc tam aperta non advertiſſe Montfauconium. Optarem, ut poſthac, quoniam tanti eſt Neapolitanum hoc Nili monumentum, carius colerent cives, & quod detritum eſt malignitate temporis, reficiendum curarent ædiles.

Non obliviſcendum eſt marmor μετρικῶς ſcriptum, licet exigui momenti ſit, & duobus circiter abhinc ſæculis confictum, atque adjectum conſpicitur parieti prope portam, qua in ædes Dominicanorum in hac Nilenſi regione degentium ingrediuntur; ejuſque ſententia adeo atra & tenebricoſa eſt, ut nemo hactenus quid vendibile extundere ſatis fuerit; quod exteros parum curare jubeo, cujus initium eſt:

IMBRIFER ILLE DEVS MICHI (ſic) SACRVM INVISIT OSIRIM, &c.

Porro vides, qui hos verſus compegit, ab avis atque atavis, vel ab antiquiſſimis membranis hauſiſſe in hac regione Oſiridem cultum, magnum etiam Ægyptiorum Deum; & gratulor tandiu perduraſſe famam Alexandrinos iſthæc loca inſediſſe, ut etiam illiberaliſſimi poetæ id cecinerint. Ceterum te rogatum volo, ut advertas, quot patria monumenta antea vel curata parum, vel etiam ab aliis poſthabita ; imo & quot nova a me pro certo hujus regionis Cynæenſis ſitu, ac convenarum frequentia celebratæ prolata ſunt. Neque prætereundum nos ſciviſſe non exiguum Deorum Ægyptiorum gregem, ſcil. ex marmore Cocceji Calliſti Vulcanum, Bacchum, & Minervam, eorumque imagines etiam noviſſe, quos ab ea gente ortos, & religioſe cultos fuiſſe vel ex Banerio cito tenes: ex ſaxo Apollonii Anubin: ex Anniani lapide Iſidem, & Apollinem Horum Harpocratem: demum ex monumento Dominicanorum Oſirim.

Habuiſſe Cynæos etiam Serapidem inter ſuorum Deorum numerum haud neges, nam is rumor incaluit ad Sannazarii ævum, qui canit ecl. 5. v. 5. *Et ipſe Æquoreus Platamon*, *ſacrumque Serapidis antrum Cum fonte*, *&* *Nymphis adſultavere marinis*; ſed parcas cultiſſimo poetæ noſtrati, qui propter littus ſiſtit Serapidis myſteria ; non enim ejus ætate tot marmora lucem viderant, nec antiquitatis rudera ſagaciori ingenio explorabantur. Quod affert Capacius pag. 204. de hoc Numine, nempe ſaxum inſcriptum, ΔΙΙ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ, opportunum eſt, ſed

piget

Digitized by Google

piget lapidis hujus locum non indicaſſe; reliqua quæ de ſuo addit, ſunt omnino *ἀπροσδιόνυσα*· reor autem brevem hanc epigraphen hujus numinis templo appoſitam, etenim ab Pauſania habeo in Att. lib. 1. c. 18. p. 42. Alexandrinos, (licet Serapidi non unum fanum ædificaſſent Ægyptii,) omnium clariſſimum conſtruxiſſe, Memphiticos antiquiſſimum: *Αἰγυπτίοις δὲ ἱερὰ Σαράπιδος, ἐπιφανέστατον μὲν ἐστὶν Ἀλεξανδρεῦσιν, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει*· itaque cum Neapolim vis Alexandrinorum maxima incolerent, quos majeſtati & numini Serapidis jam vides devotiſſimos, haud fieri potuit, quin templum eidem non dedicarint; ſicuti etiam Puteolis, eo quod illuc crebro Alexandrinorum naves appellerentur, ædem Serapidi excitatam novimus ex longiſſimo ſaxo, quod nobis ſervavit Capacius in Puteol. hiſt. pag. 21. & binis ab hinc annis e ruderibus ingentis, ac elegantiſſimi ædificii, cujus nomen nemo adhuc divinare ſatis fuit, non tam grande marmoreum Serapidis ſignum extractum eſt; quo de ſigno, atque ædificio non negligenda in Puteolana chorographia exſpectes; & fortaſſe quædam addam de famoſis nuper repertis lapidibus inſcriptis DVSART SACRVM; interea me non latet ſollemne olim fuiſſe Baccho, qui etiam peregrino nomine *Duſaris* ſalutabatur, id genus lapides dedicari, ut conſtat ex Pauſan. lib. 9. c. 38. p. 786. *Ὀρχομενίοις δὲ πεποίηται μὲν καὶ Διονύσου, τὸ δὲ ἀρχαιότατον Χαρίτων ἐστὶν ἱερόν· τὰς μὲν δὴ πέτρας σέβουσί τε μάλιστα, καὶ τῷ Ἐτεοκλεῖ φασὶν αὐτὰς πεσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, κ. τ. λ. apud Orchomenios Bacchi templum exſtructum eſt, & quod antiquiſſimum eſt Gratiarum; grandes lapides præcipue colunt, quas e cælo delapſas excepiſſe Eteoclem ferunt, &c.*

His bene multis de Cynæorum fratria, quæ antehac latuerunt, intellectis, æqui bonique conſulant hujus regionis tum patricii viri, tum reliqui *ἐγχώριοι*, imo in invidiam vocandi, qui tot certa ſuæ ſanctæ vetuſtatis, ac Deorum monumenta ſervant, cum ceteris fratriis, & *δήμοις* ſat pauca relicta ſint. Et quæ honeſtatis hujus regionis ſigna nunc cernimus, rite aptantur antiquo Græcanico Alexandrinorum decori, ac divitiis; etenim vides Nilenſem patriciorum curiam præ ceteris magnificentius ac ſplendidius exſtructam, eorundem grandiorem numerum, etiam elegantiores viarum tractus, & ædificiorum tum ſacrorum, tum contra ad cultiorem majeſtatem moles fabrefactas; hinc ne dubites, quin Cynæi latius urbis ſpatium ſibi vindicarint; quare ipſe ad immenſi operis auguſta Divæ Claræ, & Societatis Jeſu Sacerdotum templa uſque extenderem. Et gratulandum ſane eſt hujus regionis patriciis, atque *οἰκήτορσι*, quod eam urbis partem occuparint, qua Alexandrini cives ingenti fama, opibus, ac litteris florentiſſimi fruebantur. Durat adhuc avita illa magnificentiæ indoles, & ædificiorum cultus; cernimus enim Lutium de Sangro, Caſæ Calendæ ducem hujus regionis patricium virum liberalis ingenii, ac politiſſimi nobiliſſimam ſibi domum conſtruendam curare, tam perfecti operis, ac Græcæ artis plenam, Mario Cioffredo Neap. architecto,

ut

Digitized by Google

ut ceteris exemplo futuram ſperandum ſit; & tandem ab noſtra amœniſſima urbe ædificiorum barbaries, quam tamdiu viguiſſe indoluimus, ad tranſalpinas gentes amándetur, & reſideat. Atque hæc de præclariſſimo Cynæorum δήμῳ, ac fratria.

IONAIOI.

IX. Regionem hanc Ἰοναίων extraho ab voce, quam corruptiſſime ab noſtrate præclaro ſilice exſcripſit omnium primus Capacius in append. ſuæ Hiſt. pag. 900. multo inquinatius inde Laſena volumini de Gymnaſio p. 29. illevit; Mazochius ſagacioris vir ingenii monſtroſam vocem legens HONIONAEΩN, eam evitare ſibi potius duxit; ipſe vero miror virum ſummum, atque in inſtaurandis ταῖς ῥήτεσιν alioquin feliciſſimum, in negotio fratriarum, quod ſuſceperat, parum operæ in hoc affectiſſimo marmore non triviſſe. Conqueror etiam de Reineſii taciturnitate cl. 1. p. 104. in ſanandis ceteroqui affectis nominibus liberrimi: hic ei fortaſſe aqua hæſit, licet docto, ac longiori commentario ſaxum hoc oneraverit; apponam epigraphen, uti Capacius noſter oſcitanter exſcripſit, unde facile colliges φρητρίαν Ἰοναίων·

Η ΦΡΗΤΡΙΑ ΗΟΝΙΟΝΑΕΩΝ ΛΕΤΚΙΟΝ ΕΡΕΝΝΙΟΝ ΠΤΘΩΝΩΣ ΤΙΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΤΕΡΓΕΣΙΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΛΑΤΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΓΡΑΜΜΑΤΙΣΑΝΤΑ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΟΝ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ · ΘΕΟΙΣ

Hic autem te aliquantulum reſiſtere jubeo, quo, non paucis immutatis litteris, patrio monumento avitam lucem præſtem, atque confingam:

Η ΦΡΗΤΡΙΑ ΤΩΝ ΙΟΝΑΙΩΝ ΛΕΤΚΙΟΝ ΕΡΕΝΝΙΟΝ ΠΤΘΩΝΟΣ ΤΙΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΤΕΡΓΕΣΙΑΣ ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΝΑΤΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΓΤΜΝΑΣΙΑΡΚΗΣΑΝΤΑ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΩΝ ΠΕΝΤΕΤΗΡΙΚΩΝ. ΘΕΟΙΣ

Fratria Jonæorum honorat *Lucium Herennium Pythonis filium Ariſtum virtutis ergo*, & *munificentiæ*, *qui fuit demarchus*, *claſſis præfectus*, & *gymnaſiarcha*, *præfuitque quinquennalibus*. *Diis*.

Perquam facili medela HONIONAEΩN quiſque reſtituet ΤΩΝ ΙΟΝΑΙΩΝ ex moſtroſa voce, atque inficeta: utque rem exemplo firmem, præſto mihi eſt Athenienſium δῆμος nomine τῶν Ἰωνειδῶν, ſive Ἰονειδῶν, qui peræque eſt, ac τῶν Ἰονιδῶν, vide Corſinium to. 1. Faſt. Att. p. 231. (norunt omnes eam vocem utroque modo ſcribere placuiſſe veteribus, hinc Latinos ῥῆτιν *Jonius* in principe ſyllaba corrupuiſſe conſtat, adiſis quoſvis poetas.) Addas Pollucem ajentem to. 2. p. 931. *Jonis* filios dediſſe nomen Athenien-

nienſium φυλαῖς· hinc fieri potuit, ut Neapolitani a patre Jone etiam fratriam vocitarint. Porro hunc Jonæorum δῆμον, & φρητρίαν omnium antiquiſſimam exputo, qui veterrimorum Græcorum nomen ſervavit, & pueri norunt primum Græciæ cognomentum fuiſſe *Joniam*. Λαυκελαρχήσαντα vocem marcidam docte more ſuo reſtituit ναυκελαρχήσαντα Reineſius non ignobili auctoritate fultus, quem conſulas laud. loc. atque adverte ipſum oblitum eſſe lapidis noſtratis, in quo etiam ῥῆσιν reperies λαυκελαρχήσαντα, vid. Capac. p.74. & 185. Verum meliora profert D'Orvillius in Charitonem p. 600. ubi Miſenatem ſilicem reſtituit, verbaque affecta, ac diſtracta aptat in *archigybernus*; pro eaque voce recitat verba l. 46. D. ad S. C. Trebell. & præterea non unum lapidem, in quo legas, *archinavita claſſis Ravennatis*. Etiam Salmaſius docte quædam adnotat de vocabulo *archigybernus* p.388. in jus Att. & Rom. miror autem D'Orvillium virum æternæ lectionis Reineſianam vocem ναυκελαρχήσαντα ſibi pro illius Miſenatis marmoris medela, & pro tuenda ῥήσει *archigybernus* ſatis opportunam latuiſſe. Vix præſtiti fidem oculis fidelibus, quando in Muratoriano theſ. inſcr. pag. 97. 1. legi hanc dictionem λαυκελαρχήσαντα tantum virum interpretatum eſſe, *Leucadis præfectum*, eaque in voce Reineſium non vidiſſe Præterea ſcias amicos mecum parum de Mazochio conqueſtos eſſe, qui in diatriba de fratriis Neap. dictionem λαυκελαρχήσαντα vel oblitus eſt, vel defugit; præſertim cum Peregrinius in ejuſdem medela, ac interpretamento multam opem imploret; eandem expoſtulat Laſena, cui iraſcor, nam hunc noſtratem civem Græce gnarum novi; nec tanti erat invertere λαυκελαρχήσαντα in ναυκελαρχήσαντα.

Scio me traductum iri audaciſſimum, qui pro γραμματίσαντα importarim in ſilicem γυμνασιαρχήσαντα· verum non adeo enormis erit medela, ſi crebram Capacii noſtri libertatem advertas, quem reor hic etiam ea, quæ vel parum detrita erant, vel ſibi ignota, ad arbitrium finxiſſe, vel immutaſſe, ut moris eſt quorumdam Græca vix callentium; vides præterea Lucium Herennium, virum honeſtiſſimum jam demarchum, præfectumque claſſis, inde ſcribam, γραμματέα, ſeu γραμματεύσαντα, ſuprema ſcilicet munia cum infimis commixta. Ne vero addubites ſcalptum fuiſſe γυμνασιαρχήσαντα, nam præterquamquod ſollemnis erat ea vox Neapolitanis, vide titulum δίγλωττον Tito Veſpaſ. erectum pag. 412. habeo huic veluti gemellam noſtratem epigraphen Seleuco iiſdem fere honoribus illuſtri ſcalptam, ubi non γραμματεύσαντα leges, ſed γυμνασίαρχον, Capac. p. 900.

ΟΙ ΠΟΛΙΤΑΙ ΣΕΛΕΥΚΟΝ ΤΟΝ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΔΙΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ
ΧΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΝΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ
ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΟΝ ΔΙΑ ΠΕΝΤΕ ΕΤΩΝ ΤΙΜΗΤΙΚΟΝ ....
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΕΥΝΟΙΑΣ · ΘΕΟΙΣ

Hic jam cernis non *ſcribam*, ſed *gymnaſiarcham* fuiſſe Seleucum, vocemque

que γραμματεύσαντα in tot noſtris lapidibus nunquam leges.

x. Ceterum ne tam illuſtria Græcanicæ reipublicæ Neapolitanæ λείψανα exterorum manibus tractentur, noſtrum eſt, ut quid medelæ apponamus; ſane ita legerem hoc Seleuci marmor, tot errorum ſqualore deterſo, atque appoſitis, quæ tempeſtatis injuria detrita ſunt:

ΝΕΟΠΟΛΙΤΑΙ ΣΕΛΕΥΚΟΝ ΤΟΝ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΔΙΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ
ΧΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ·ΑΝΔΡΩΝ ΝΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΝΤΑ
ΑΡΧΟΝΤΑ ΤΩΝ ΔΙΑ ΠΕΝΤΕ ΕΤΩΝ ΤΙΜΗΤΙΚΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΙΕΡΕΑ
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΧΑΡΙΝ· ΘΕΟΙΣ

Et ne longus ſim, ex ipſo interpretamento vides, quæ adjeci ſatis opportuna, & ſecundum ingenium lapidum Neapolitanorum: *Neapolitani* (ſtatua honorant) *Seleucum Seleuci filium bis gymnaſiarchum*, *quatuorvirum*, *claſſis præfectum*, *præfectum quinquennalium honeſtiſſimorum ludorum*, *ſacerdotem Veneris*, *beneficentiæ ergo*. *Diis*. Si autem pro Νεοπολῖται, vel ut vulgo Νεαπολῖται ſervare vis οἱ πολῖται, lubens do. Etiam Neapolitanos teneo habuiſſe *quatuorvirum* magiſtratum, fortaſſe illum aquarum curandarum, aut quid ſimile munus publicum exercentem; & revera me docet Potterus in Archæol. lib.1. cap.15. circ. med. quatuor munera Athenis fuiſſe inter tot reliqua, ἀστυνόμων, ὁδοποιῶν, κρηνοφύλων, & ἐπιστατῶν τῶν ὑδάτων, quæ ſub uno ἀστυνομίας nomine comprehendiſſe Ariſtotelem ſcribit; itaque dicas Seleucum fuiſſe unum ex his magiſtratibus, quem, uti in Athenis exſtitiſſe conſtat, ita etiam Neapoli, quæ urbs Attico more remp. rexiſſe ſatis ſuperque oſtenſum eſt: de vocibus ἄρξας ἀνδρῶν vid. ſup. pag. *646*. Ναυκελαρχεῖν peræque eſt, ac *præeſſe portui*, uti apud Athenienſes erant ἐμπορίου ἐπιμεληταί, qui de maritima annona curarent, vide ibid. Potterum: ne cogites de claſſe, nam apud Athenienſes, qui eidem claſſi inſtruendæ præerant, τριήραρχοι audiebant. Verba ἄρχων τῶν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικῶν ἀγώνων, rata res eſt adhibita ad ſummum decus Seleuci, quem ἐξοχωτάτων ſuorum ludorum quinquennalium præfectum crearunt Neapolitani: quam ingentis famæ fuerint noſtratia quinquennalia, notum eſt, æqualia ſcil. Olympiis, & Capitolinis ex Strabone, Statio, Philoſtrato, & lapidibus, vide ſup. p.490. Ne dubites de ſupplemento dictionis ἀγώνων, cum ea certo eraſa ſit, & dubio procul voces διὰ πέντε ἐτῶν eamdem nobis offerant, & Strabonem lib.5. p.377. ita locutum ſæpe a me illitum eſt: Νυνὶ δὲ πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς (Νεαπολίταις) . . . ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Hinc jure in ſaxo hic ἀγὼν dictus eſt τιμητικός, *famæ plenus*, erat enim ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις Græciæ: & docemur novam notionem vocabuli τιμητικός, *honoratus*, quod antehac ignoratum erat, & nec a lexicis habes. Demum recte additum eſt ἱερέα ante Ἀφροδίτης, quod & fecit ampliſſimus Reineſius: & gratulor veteribus Neapolitanis, qui peculiares ἱερέας, ſive *pontifices* habuerint, uti erant Athenis, de quibus longiorem diſſert.

intexuit Vandalius pag.230. quam omnem legere te jubeo. Atque iſthæc διὰ βραχίστων de noſtrate marmore, quod tam miſere vexavit Reineſius cl. I. 204. in eoque ipſe reperit coloniæ magiſtratus, nim. *quatuorviratum*, & Seleucum fuiſſe *quinquennalem*, & *cenſorem*, αρχοντα τετσαρων ανδρων, αρχοντα δια πεντε ετων, & τιμητικον· quod interpretamentum quantum a vero longe ſit, ex dictis tutemet cogites: & pro tuenda Neapolitana colonia ad quandam Marciæ Meliſſæ epigraphen cl. *6. 70.* quam etiam ex noſtro Capac. exſcripſit, provocat, quod Meliſſæ ſaxum nihil omnino Neapolitanam αὐτονομίαν lædit, dummodo γνήσιον ſit; video enim verba, quæ nihili ſunt, & inſolentiſſima nim. ARX. X, & EX PERM. MAGISTERII, quin oſtenſum eſt ſuperne p.4*63*.&c. Latinos titulos Neapoli urbe Græca nullos reperiri.

D · M
MARCIAE MELISSAE
CONIVGI INCOMPARABILI
FELIX ARX · X
REIPVBLICAE NEAPOLITANORVM
L · D · EX PERM · MAGISTER
ET MARCIVS FELIX MATRI B · M

Haud ſcio, cur Reineſius, quo flet contra Capacium interpretantem notas ARX. X de decem Neapolitanis fictis archontibus, binas capaciſſimas ceras impleat, & ut munus ARCARII Neapoli fuiſſe ad credendum quemque inducat, corrogatis importunis lapidibus, ac monumentis, omnes fere coloniarum magiſtratus Neapoli floruiſſe nil dubitans adſeveret, cum iiſque etiam *arcarios*; ſed parcas viro doctiſſimo longiſſime Neapoleως nato; interea voces nullius frugi *ex perm. magiſter* illuſtrare catus aufugit.

Utinam divinare ſatis eſſem, quæ veteris urbis noſtræ regio τῶν Ἰωναίων audierit, cum ubi repertus ſit lapis, in fundamentis ſcil. Marcelli Muſcettolæ ædium, atque *ad Arcum* dicimus, degebant Eumelidæ, ut ab initio dictum eſt pag. *616.* Si non contemnendæ conjectioni ſit locus, eos adſcriberem oræ maritimæ, tum quia, qui primi Jones Neapolim appulere, facile juxta littus ſitum amœniorem ad habitandum elegerint, tum quia in ſaxo legimus ναυκελαρχήσαντα, quæ vox maris, navigiorumque mentionem injicit; quare haud ſcio, an aberrem, ſi quam nunc Portuenſem regionem, & *molo piccolo* vocamus, Jonæis omnium antiquiſſimis deſtinem, ubi mira eſt nautarum multitudo, & mercatorum maritimorum ea loca frequentiſſime incolentium: imo inibi adhuc quædam vetuſtiſſimarum fabricarum reliquiæ viſuntur; & ne mihi invideas, ſi interpreter portam, quæ hic exſtat nomine *del Caputo*, a plebe omnia corrumpente olim dictam fuiſſe *caput urbis:* tanquam ſi hinc ædificari cœpta ſit Neapolis; niſi verum ſit olim hic inhabitaſſe *Caputorum* familiam.

PARS

P A R S IIII.

De reliquis extremis fratriis, Εὐμειδαις, Ἀντινοείταις, *atque* Εὐνοςειδαις, *earumque ſitu: de quibuſdam etiam* ψευδοφρητρίαις· *& cur Phalero fratria minime dedicata ſit.*

I. **E**ὐμειδῶν *fratria nuper eruta ab ſaxo, quod parum dubii eſt, quin Fauſtinæ Aug. erectum ſit; cur ejus nomen eraſum, non vero ex altero lapide illud Antoniæ Druſi uxoris: ſitus horum fratorum divinatur.* II. *Fratria* Ἀντινοειτῶν *dicta ab* Antinoo *Hadriani catamito: Fabrettiano Saxo, Suetonio, & Xiphilino lux. Locus Neapoli horum fratorum veſtigatur.* III. *Præclariſſima* Εὐνοςειδῶν *fratria ab* Eunoſto *dicta, Tanagræorum Deo σωφρονεστάτῳ· regio Neapolitana in ſuburbio videtur ſervare adhuc nomen.* IV. *Gorio reſiſtitur Eunoſtum inter piſtrinorum Deos amandanti, fidemque præſtanti Caſauboni verbis Athenæum non curate illuſtrantis: neque Pollux Gorio ſuffragatur, ejus enim χείμαρον corruptum eſſe patefit: neque curandi inelegantioris ætatis grammatici, Etymologus, Suidas, Euſtathius, &c.* V. *Contra Gorium eſt hoſce grammaticos Deum piſtrinorum ſeminam aperte feciſſe, licet oſcitanter dixerint* Εὔνοςος *pro* Εὐνοςώ. *Idem error patefit in voce* Προμύλαιος, *quod nomen proprium eſſe pernegatur. Goriana gemma Pittacum præſeferre videtur, non numen piſtrinorum præſidem. Homerus contra tantum virum defenditur.* VI. Ψευδοφρητρία *ab Reineſio, Vandalio, & Mazochio Neapolim inducta rejicitur, uti ſunt* Θεωτάδαι, *vel* Θεωταδαῖοι, *cum noſter lapis dicat* τῷ Δαίμονι. *Cippo* Coryceotarum *multa lux. Fratria* Hebonitarum *a Mazochio conficta etiam exploditur; de viro hoc* τῷ πάνυ *querelæ. Macrobius, qui nomen* Hebonis *Neapolitanis ſervavit, illuſtratur.* Hebon *vox primigenia ab* הבין. *Macrobius male vertit dictiones* αἰσθητικόν, *&* φανταστικόν. Baſſareus, *qui idem ac* Hebon, *ab* פשר. VII. *Cur Neapolitani fratriam* Phaleridarum *minime optarint: de* Phalero *meras nugas occentarunt Laſena, & præſertim Peregrinius Lycophronis verſibus abuſi: in quos obſcuritatis plenos longior commentarius, novumque interpretamentum.* VIII. *Quid in hoc vate* Φαλήρου Τύρσις, Mergelline *ſcilicet, nam* φαληρίς, mergus *eſt, fortaſſe ab* פלר: *quædam littora ab avibus nomen indepta, ut* Liternum *ab* לתרן, ad gallinam: *dictis adſtipulatur Sannazarius. Quod Scriptores Neap. Virgilii ſepulcrum ſalutant, eſt σῆμα Parthenopes: hinc affectiſſimus Statii verſus ſanatur, ubi infrunita ῥῆσις* afflato *pro* Phalaro. IX. *Dica in Peregrinium Lycophronem haud jure caſtigantem de* Clanio *fl. Vox* SEBETHO *in ſaxo ob exſcribentium oſcitantiam pro* EX BOTO: Sebetus *ab* שברת. Clanis *veriloquium ab* גלנין, *nomen* γενικόν *fluviorum, uti* Rhenus, *&* Nilus. X. *In Lycophrone in vocabulo* Ἄρης *nihil viderunt interpretes, & ſcholiaſtæ, eſt nomen fluvii. Quid* ὀρνιθόπαις *in hoc vate, vox ab omnibus male verſa: magnus Bochartus oblivionis arceſſitur; Banerius de Hom. male meritus.* XI. *Verſus Lycophronis 731. & ſeqq. contra fidem Græcam, & leges grammaticæ verſi ſunt: in queis ope* παρενθέσεως *planam vides, & luculentiſſimam ſententiam.* Μόψοπος *caſus rectus eſt, non patrius contra Tzetzem, & doctiſſimos interpretes. Diotimus nequaquam audiit ductor claſſis Athenienſis, uti ediſſeruit noſter Jo. Bapt. de Mira. Ex hoc vate falſo eruitur Neapolitanos fines ſuos ad Miſenum uſque extendiſſe.* XII. Παραλειπόμενα, *& totius capitis* ἀνακεφαλαίωσις.

I. **A**D extremam fratriarum noſtrarum partem aggredior, & reliquas ignotas etiam antehac, uti poſt cœnam ſelecta quædam ἐπιφορήμα-

 τα

τα apponam, præſertim quæ Εὐνοστειδῶν audiebat, ubi me natum ſcias; quare grandi felicitate ob elegantem hiſtoriam, ſive fabellam præ ceteris illuſtriorem evaſiſſe gratulor; hinc ad ſcribendum jucundiori vi ac momento impellor: & fortaſſe, ſi diutius te detinuero, rem minime ſatietati futuram, nam non parum illecebrarum adjiciam, ſperandum mihi eſt.

Ε Υ Μ Ε Ι Δ Α Ι.

Hunc δῆμον, & φρατρίαν cuivis ex noſtratibus Scriptoribus, etiam Mazochio ignotam, gratulabundus adjicio, ſcalptam in prægrandi, elegantique baſi, quæ proſtat in celebratiſſima omnium viarum bibliopolarum nomine e regione Sanctorum Philippi, & Jacobi: verum cum characteres obſcuriores ſint, & lectu difficillimi, licet ſanequam elegantes, tum præteritæ, tum noſtræ ætatis viri doctiſſimi ſumma injuria antiqui Neapolitanæ reip. ſplendoris epigraphen teſtem divitem poſthabuere: ipſe vero gazarum id genus ſcrutator acerrimus otio indoli meæ ad verſantiſſimo, & cura marmor iterato inſpectans hæc mihi auro cariora reperi:

. . . .
ΤΗ ΘΕΙΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣ
ΤΑΤΗ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΗ

Φ Ρ . . . .

ΕΥΜΕΙΔΑΙ

Primus verſus ita inſcitorum petulantia deletus eſt, ut nulla prorſus characterum veſtigia videre ſit, reliqui duo apertiſſimi, quanquam eorum lectio tempore, & labore conſtet; e latere in inferna lapidis parte minutis ϛοιχείοις legitur φρ. . . . Ευμειδαι· neque dubites, quin primi verſus terni fuerint, cum reliqua baſis facies leviſſima ſit, nulliſque litterarum ſulculis iniqua.

Cum ignariſſimis ignoro, quæ nam fuerit iſthæc Auguſta, dum de Eumidis noſtris benemerentiſſima grandem ſtatuam, ac baſim meruerit: ſi vero quid hariolari liceat, dicerem fuiſſe juniorem Fauſtinam, quam unam ſcimus in Campaniam ventitaſſe, ejuſque amœna littora obſediſſe ad legendos nautas ſuis flagitiis aptiores, id firmante Sex. Aurelio Vict. in M. Aurel. & Cajetæ perdiu ſolam degiſſe docet Capitolinus Hiſt. Aug. to. 1. p. 362. ita ut Antoninus Commodum ex adulterio Romæ ſuſceperit, dum uxor Cajetæ maritos nauticos, & arenarios in Campania ſibi delegerit. Hinc facile ei fuiſſet navim Neapolim appellere. Vox præterea θειοτατη Fauſtinam præferre videtur, *quam Divam appellatam a ſenatu* (Antoninus) *gratulatus eſt* pag. 390. idipſum firmat titulus ευσεβεϛατη Divæ adjectus, uti legimus in nummis DIVA FAVSTINA PIA; quare ſi primo verſui incidas ΦΑΥΣΤΙΝΗ majoribus litteris præ ceteris, omnem epigraphen abſolves. Demum Antoninorum ſæculum præſeferunt omnes politiſſime ſcalpti characteres. Ma-

Digitized by Google

Magis firmatur conjectura hanc Auguſtam fuiſſe Fauſtinam, M. Aurelii imp. uxorem, ſi dicam ejus nomen dedita opera a Neapolitanis morum honeſtati inferioribus ſæculis ſtudentibus eraſum, nec longi temporis ævitati tribuendum, etenim hujus Auguſtæ nomen ſtatim poſt ſupernam baſeos coronida ſcalptum erat, & veluti tegebatur; quare in hujus feminæ adulteriis marcidæ odium ferro deletum eſt. Contrario Neapolitani Antoniæ Druſi majoris uxori parſere, utpote mulieri optimæ & pientiſſimæ: hinc partem Antoniæ cippi, licet ſuſque deque inverſi, & politiorum characterum forma inclyti parieti affixam cernere eſt prope magnificas ædes Jacobi Caraccioli e ducibus Cryptaliarum, (quem ad patriciorum noſtrorum decus hic ſalutandum reor, dum ſuo antiquiori Caracciolorum πρωτογεννήματι cultiores diſciplinas domi, militiæque partas, ſuavitatem morum, ac integritatem conſociavit;) in hoc lapide inter cetera, quæ detrita ſunt, & quæ nil ſententiæ præferunt, apertiſſima vides ΑΝΤΩΝΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ, de hac Aug. vide Caſſ. p.904. & adnot. Reimari. Capacius Neap. hiſt. p.62. non pauca oggerit, ut legentibus imponat hanc Antoniam fuiſſe Juſtiniani pellicem: ſed parcas homini non tam gnaro lapidariæ litterarum ſcalpturæ: imo vellem, ut hiſtoriæ melius conſuluiſſet. Interea advertas, quot Imperatores, atque Auguſtæ Neapolim celebrarint, & quot Graja monumenta in cives munificentiſſimi ſibi compararint. Hic pro re nata ſcias Regem D. N. fortunatiſſimum Puteolis reperiſſe bina marmorum pondera e ruderibus nuper extracta, in queis Cæſarum nomina, & eorumdem honorum titulos cœlo deletos, quorum ſententiam ipſe clam exſcripſeram, nunc dolentiſſimus, excuſſa ſæpius ſtrue ſchedarum mearum, invenire haud potis fui; & vereor, ne Regii cimeliarchii cuſtos eas poſthabeat, nec in lucem edat: verum σὺν Θεῷ in Puteolana chorographia illas commentario fultas tibi me daturum recipio, ſi iterum eas exſcribendi, ac vigilias fallendi ars, & otium erit.

Omnium Neapolitanorum τῶν δήμων ipſi *Eumidæ* nomen hilaritatis plenum ſibi adſumpſerunt; id enim præfert vox Græcanica Εὐμεῖδαι, ut notum eſt; quare haud mirum, ſi præ ceteris δήμοις Eumidas demereri ſibi petierit, cum iiſque verſari fortaſſe expetierit delicatiſſima Fauſtina Auguſta, quam deinde ob merita ſtatua honeſtarunt. Regionem autem, ubi degerent hi Eumidæ, quiſque ex ſe divinet, quando ipſe haud ſatis ſum; non enim ſcio, an hoc hilaritatis nomen ad eorum feſtivos mores, lætamque vitæ rationem ſpectet, vel potius ad urbis ſitum; & ſane collis ille, ubi nunc Divi Agnelli templum conſtructum eſt, lætiſſimus, atque amœnitatis plenus animos exhilarat, & vicinarum villarum jugis, ac proſpectu ejus loci incolas beat; quare, ſi mecum hanc fuiſſe Eumidarum ſedem dicas, nil a vero te aberraſſe noveris: ſiquidem, qua de loquimur, circa divi Agnelli templum regionem ſervare non unas remotæ vetuſtatis reliquias ab avis ataviſque acceptum eſt, atque a quibuſdam noſtratibus Scriptoribus, cujuſcumque pretii ſint, chartis illitum; quo ceteros taceam,

Digitized by Google

ceam, hic Parthenopes σῆμα exſtitiſſe, atque hiſce compitis λαμπαδοῦχον δρόμον concelebratum adſerit Carolus Celanus, qui ad Fabium Jordanum etiam provocat, atque adſtruit in hac ipſa regione prope S. Gaudioſi repertas columnas, & urnas marmoreas, idque genus vetuſti templi reliquias, quas, licet dubitantiſſimus, dicerem fuiſſe antiquum Eumidarum φρητρεῖον. Quas conjectationes ceterum vendibiles ſi acceptes, non abs re Fauſtina hunc apricum locum inter lætiſſimas gentes, & hilaritati ſtudentes incolendum ſuſcepit, de eiſque benemerita eſt, ut ſtatuam jure, & ſcriptam memoriam adeptam intueamur.

ΑΝΤΙΝΟΕΙΤΑΙ, & ΕΥΝΟΣΤΕΙΔΑΙ.

II. Binas has fratrias mihi cariſſimas, quas etiam oblitus eſt Mazochius, vir laborioſiſſimæ lectionis, acceptas refero Fabretto, qui ann. 1701. ab ingenti ſaxo prope portam S. Sebaſtiani Romæ reperto eas exſcripſit p. 456.

P. SVFENATI · P. F. PAL. MYRONI
EQVITI · ROMANO · DECV
RIALI · SCRIBARVM · AEDILI
VM · CVRVLIVM · LVPERCO · LAVRENTI
LAVINATI · FRETRIACO · NEAPOLI · ANTI
NOITON · ET · EVNOSTIDON · DE
CVRIONI · IIII · VIRO · ALBA
NI · LONGANI · BOVILLEN
SES · DECVRIONES · OB · ME
RITA · EIVS · L · D · D · D

Ac primum quidem de Antinoitis. Nomen, nil dubii eſt, quin huic fratriæ ab Antinoo, quem Hadrianus deperierat, dederint Neapolitani, eique urbis δῆμον, & φροντόρων collegium, ſeu ſacerdotes dedicarint: cum ex Spartiano aperte habeam p. 137. *Græci quidem, volente Hadriano, eum conſecraverunt, &c.* inter quorum Græcorum numerum nunc primum ſcimus accenſendos Neapolitanos, qui hunc Hadriani catamitum iiſdem divinis honoribus mactarunt æque, ac Artemida, vel Eumelum Deum patrium, &c. unde ſunt fratriæ Artemiſiorum, & Eumelidarum, quas ſuperne retuli. Oportuit ſane de Neapolitanis magnificentiſſime meritum fuiſſe Hadrianum, qui Antinoum inter numina adnumerarint: præſertim cum notum ſit ex Spartiano pag. 175. *Neapoli fuiſſe hunc Auguſtum demarchum, atque in omnibus pæne urbibus, quas inviſerat, aliquid ædificaſſe, ludoſque edidiſſe:* & munificentiam tanti Principis clarius explicat idem hiſtoricus p. 77. aitque: *Campaniæ omnia oppida beneficiis, & largitionibus ſublevaſſe*, quanto magis remp. Neapolitanam, cujus demarchum audire concupiverat, & quæ etiam Græca hilaritate florebat, atque ipſe *Græcu-*

lum

Digitized by Google

lum ſalutari averet, ac digito commonſtrari, quippe *Græcis ſtudiis impenſius imbutus*, *ejus ingenio ad ea declinante*, Spart. pag. 11. Hinc factum reor, ut Neapolitani, quo Principis hujus genio indulgerent optantis, ut ubique urbium veluti Deus coleretur Antinous, nec ſolum ſtatuas, ſed ſimulacra dedicarint, teſte Xiphil. pag. 1160. Καὶ ἐκείνου ἀνδριάντας ἐν πάσῃ, ὡς εἰπεῖν, τῇ οἰκουμένῃ, μᾶλλον δὲ ἀγάλματα ἀνέθηκε, ſed & templa excitarint, & ſacerdotes ſtabiliverint, imo urbis partem ANTINOEITAΣ appellandam cenſuerint. Vides hic Xiphilinum diſtinguere ἀνδριάντας ab ἀγάλματι, Romanorum more, hi enim plerumque *ſtatuas* hominibus tribuunt, Diis autem *ſimulacra*: hinc appoſite Suet. in Jul. cap. 76. ait: *Julium ſtatuas inter reges*, *ſimulacra juxta Deos ſibi decerni paſſum eſſe*. Nunc etiam ſcimus, cur Pauſanias de ſimulacris Antinoi ſermonem inſtituens ea ſemper ἀγάλματα vocet, non vero ἀνδριάντας, pag. 617. in Arcad. l. 8. c. 9. Ἐγὼ δὲ μετ' ἀνθρώπων μὲν ἔτι αὐτὸν (Ἀντίνουν) ὄντα οὐκ εἶδον, ἐν δὲ ἀγάλμασιν εἶδον, καὶ ἐν γραφαῖς. Et paullo inferius: Οἶκος δὲ ἐστὶν ἐν τῷ γυμνασίῳ Μαντινεῦσιν ἀγάλματα ἔχων Ἀντίνου, κ. τ. λ. Cui non perquam mirabile videatur, cum non *ſtatuas*, ſed *ſimulacra* dedicata Diis fuiſſent, quos inter jam accenſiverat Antinoum Hadrianus, & Græci ἀγάλματα, non vero ἀνδριάντος dixerant, magnos duoviros Sylburgium, & Cuhnium in binis hiſce Pauſaniæ locis, ubi Antinoi mentio eſt, vertiſſe ἀγάλματα *ſtatuas* & *ſigna* pro *ſimulacra*? Optaſſem, ut tot doctiſſimi Suetonii interpretes, & qui Xiphilinum illuſtrarunt, hæc loca ſibi mutuam lucem præſtantia vidiſſent.

Si autem Antinoo Neapolitani φρήτορας ſuos, ſive ἱεροποιοὺς deſtinarint, norant profecto idipſum factitatum alibi etiam gentium, & plenæ ſunt veterum chartæ, nummi, & litterati lapides huic cynædo attributos prophetas fuiſſe, ac ſacerdotes, cujus rei vetera Græca, & Latina monumenta laborioſiſſime collegerunt Caſaubonus, & Salmaſius in Hiſt. Aug. pag. 137. & ſeqq. honorum apparationes univerſas in adnotatione in Caſſium aggeſſit admirandæ lectionis Reimarus pag. 1160. §. 101. quas cum divite eruditionis fenore lectites. Si vero unam ex urbis noſtræ regionibus Antinoi nomine decorarunt, Hadriano Neapolitani adulari viſi ſunt, qui huic ephebo Ἀντινόειαν urbem condiderat: vide hac in re eoſdem duoviros doctiſſimos Hiſt. Aug. interpretes pag. 184. Re vera igitur oportuit maximis beneficiis, & largitionibus liberaliſſimo principe dignis Neapolitanos fuiſſe ab Hadriano honeſtatos, quos Antinoi nomen adeo coluiſſe hoc Fabretti ſaxum nos docuit.

Præterea mihi gratulor hunc P. Myronem appellari Neapoli *fretriacum*, qui in urbe Laurenti fuerat *lupercus*: hinc facile quiſque colligit firmari validius ſententiam φρήτορας Neapolitanos viros ἱερατικοὺς fuiſſe, ſicuti Romæ, & in ceteris Latinis oppidis *luperci* audiebant; & hunc Myronem ſacris faciundis Neapoli, Laurentique egregiam operam dediſſe, qui ejus rei cippum teſtem meruerit. Ab ſaxo etiam novimus, quos Græ-

ci

Digitized by Google

ci vocitant φράτορας, vel φρήτορας, Latine dici *fretriacos*, longe honeſtiores ſacerdotes lupercis, hos etenim ridiculis quibuſdam initiis, ac cæremoniis addictos ubique Latinorum Scriptorum, & lapidum legimus.

Hic autem mirari haud deſinam ſervatam apud veteres noſtrates cives ſamam exſtitiſſe Neapoli templum ab Hadriano exſtructum ampliſſimi operis, in cujus ruinis erectum cernimus vetus illud S. Jo. majoris ſuperiori ætate inſtauratum, ejuſdemque famæ locupletem teſtem do elegantiſſimum noſtrum Pontanum, atque Antinoo dedicatum vult Fabius Jordanus, non ſordidus rerum Neapolitanarum hiſtoricus: ſeque ait vidiſſe Antinoi caput *ſtupendi artificii*, vide Gymnaſ. Laſenæ p. 104. Hinc certi ſumus Ἀντινοεῖτας occupaſſe eam regionem urbis, ubi nunc S. Jo. majoris templum viſitur antiquitate, ac ſitu florentiſſimum; quoniam hoc Fabretti ſaxum lucem vidit, ſane quantovis pretio redimendum eſſet, atque inter regias immenſas antiquitatis gazas reponendum. Demum hanc Antinoitarum ſratriam, & regionis nomen omnium noviſſimum reputes, utpote Hadriani tempore enatum, ſicuti admonet Pauſanias loc. laud. Antinoi templum omnium recentiſſimum Mantinenſes exædificaſſe: Ναῶν δὲ ἐν Μαντινείᾳ νεώτατος ὁ τῦ Ἀντίνυ ναός ἐστι, ἐσπυδάσθη περισσῶς δή τι ὑπὸ βασιλέως Ἀδριανῦ. Hic demum te advertere jubeo adhuc extremo Hadriani ævo, (imo & ſub Fauſtina Aug.) Græci oris fuiſſe Neapolitanos, qui etiam novas voces Græce exprimerent, uti vides haſce binas Ἀντινοειτῶν, & Εὐνοστειδῶν· ac, dicto venia ſit, ſubiraſcor Mazochio, viro Græcarum rerum amantiſſimo adſtruenti Neapolitanos ſub Domitiano jam ἐκβαρβαρῶσθαι, & Latini eloquii factos.

ΕΥΝΟΣΤΕΙΔΑΙ.

Nomen Eunoſtidarum ab eodem Fabrettiano ſaxo nacti ſumus; imo iteratum cernimus in altera ejus lapidis facie:

P·SVFENATI·P·F
PAL·SEVERO·SEMPRO
NIANO·DECVRIALI
SCRIBARVM·AEDILIVM·CVRV
LIVM·FRETRIACO·NEAPOLI·EV
NOSTIDON·DECVRIONI·ET
SACERDOTI·APOLLI
NIS·ALBANI·LONGA
NI·BOVILLENSES·OB·MERI
TA·SVFENATIS·HER
METIS·PATRIS·EIVS
L·D·D·D

III. Volupe mihi eſt de Eunoſtidis verba facere, quippe eorum fratriam Deum,

Deum, ſive heroem coluiſſe novimus, quem ob σωφροσύνης, & temperantiæ amorem vulneribus confoſſum legimus; gratulor majoribus meis vetuſtiſſimis, quod eam virtutum omnium principem appetierint, atque celebrarint, qua qui floret, ut ait Tullius, *plenus pudoris eſt*, *officii*, *ac religionis*. Quis fuerit is Deus, ſive heros Eunoſtus nomine, teſtatum reliquit Plutarchus in Ἑλληνικοῖς edit. Francofurti p. 300. longiuſcula narratione, quam contractam accipe Latine: Eunoſtus heros Tanagræus tam forma, & moribus præſtans, quam temperantiæ ac σωφροσύνης virtute ſpectabilis: cum ipſum Ochna una ex Coloni filiabus deperiret, hanc conviciis excipiens adoleſcens apud ejus germanos fratres arceſſendam proceſſit: antevertit puella, impulitque fratres ad Eunoſtum interficiendum comminiſcens ſibi vim inferre illum pertentaſſe; cui quidem nefaria nece illata, & tandem cum ſceleris puellam pœnituiſſet, nefandi facinoris remedium ſuſpendio ac morte quæſivit. Tanagræi ad tantæ virtutis documentum templum, ac lucum Eunoſto ſacrarunt, quo ingredi mulieribus prorſus interdictum eſt. Miror autem hanc illuſtrem vel hiſtoriam, vel fabellam neminem ex veteribus Scriptoribus, ſi Plutarchum excipias, meminiſſe, neque ipſum Pauſaniam, qui in Bœot. de Tanagræis quamplurima digeſſit: ſed fortaſſe videtur ipſe Eunoſti ſacra, & templum reſpexiſſe in his verbis init. pag. 753. Εὖ δέ μοι Ταναγραῖοι νομίσαι τὰ ἐς τοὺς Θεοὺς μάλιστα δοκοῦσιν Ἑλλήνων, χωρὶς μὲν τὰ οἰκίας (alii τὰ οἰκεῖα) σφίσι, χωρὶς δὲ τὰ ἱερὰ ὑπὲρ αὐτὰς, (al. ἅπερ αὐτοῖς) ἐν καθαρῷ τέ ἐστι, καὶ ἐκτὸς ἀνθρώπων, *præcipuam præ Græcis rationem Deorum habuiſſe mihi videntur Tanagræi, quod ſeorſim ab urbe templa ſibi ſtruebant, in ſoloque puro, & longe ab hominum conſuetudine*, vide, quæ hic adnotat Kuhnius: hæc autem ſi tibi probentur de Eunoſti templo dici, lætandum mihi eſt, quod præter Plutarchum nactus ſum etiam teſtem Pauſaniam, ſcriptorem de Bœotis benemerentiſſimum.

Verum nobis ſat eſt ſciviſſe ex ipſo Plutarcho adeo id facinus celebratum fuiſſe, ut Myrtis poetria, quæ cum Pindaro certaſſe dicitur, vid. Fabric. Bibl. Græc. tom. 1. p. 578. & 587. verſibus id perilluſtre facinus exceperit; & laudandi Neapolitani, qui Eunoſtum inter Deos φρήτορας optarunt. Adjectam teneas hiſtoriam urbi noſtræ honeſtiſſimam, licet longioribus verbis conceptam, quo Plutarchi conſulendi onere te levem: Τίς Εὔνοστος ἥρως ἐν Τανάγρᾳ; καὶ διὰ τίνα αἰτίαν τὸ ἄλσος αὐτοῦ γυναιξὶν ἀνέμβατόν ἐστιν; Ἐλιέως τοῦ Κηφισσοῦ, καὶ Σκιάδος Εὔνοστος ἦν υἱὸς, ᾧ φασιν ὑπὸ νύμφης Εὐνόστας ἐκτραφέντι τοῦτο γενέσθαι τοὔνομα. Καλὸς δὲ ὢν, καὶ δίκαιος, οὐχ ἧττον ἦν σώφρων, καὶ αὐστηρός· ἐρασθῆναι δὲ αὐτοῦ λέγουσιν Ὄχναν, μίαν τῶν Κολωνοῦ θυγατέρων ἀνεψιὰν τούτου· ἐπεὶ δὲ πειρῶσαν ὁ Εὔνοστος ἀπετρέψατο, καὶ λοιδορήσας ἀπῆλθεν εἰς τοὺς ἀδελφοὺς κατηγορήσων· ἔφθασεν ἡ παρθένος τοῦτο πράξασα κατ' ἐκείνου, καὶ παρώξυνε τοὺς ἀδελφοὺς Ὄχεμον, καὶ Λέοντα, καὶ Βουκόλον ἀποκτεῖναι Εὔνοστον, ὡς πρὸς βίαν αὐτῇ συγγεγενημένον· ἐκεῖνοι μὲν οὖν ἐνεδρεύσαντες ἀπέκτειναν τὸν νεανίσκον· ὁ δὲ Ἐλιεὺς ἐκείνους

 ἐδη-

Digitized by Google

ἔδησεν. Ἡ δὲ Ὄχνη μεταμελομένη, καὶ γέμουσα ταραχῆς, ἅμα μὲν αὑτὴν ἀπαλλάξαι θέλουσα τῆς διὰ τὸν ἔρωτα λύπης, ἅμα δ' οἰκτείρουσα τοὺς ἀδελφοὺς, ἐξήγγειλε πρὸς τὸν Ἐλιέα πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, ἐκεῖνος δὲ Κολωνῷ. Κολωνοῦ δὲ δικάσαντος, οἱ μὲν ἀδελφοὶ τῆς Ὄχνης ἔφυγον, αὐτὴ δὲ κατεκρήμνισεν ἑαυτὴν, ὡς Μυρτὶς ἡ Ἀνθηδονία ποιήτρια μελῶν ἱστόρηκε· τοῦ δὲ Εὐνόστου τὸ ἡρῷον, καὶ τὸ ἄλσος οὕτως ἀνέμβατον ἐτήρει, καὶ ἀπροσπέλαστον γυναιξὶν, ὥστε πολλάκις σεισμῶν, ἢ αὐχμῶν, ἢ διοσημειῶν ἄλλων γενομένων, ἀναζητεῖν, καὶ πολυπραγμονεῖν ἐπιμελῶς τοὺς Ταναγραίους μὴ λέληθε γυνὴ τῷ τόπῳ πλησιάσασα· καὶ λέγειν ἐνίους, (ὧν ὁ Κλείδαμος ἦν, ἀνὴρ ἐπιφανὴς,) ἀπηντηκέναι αὐτοῖς τὸν Εὔνοστον ἐπὶ θάλατταν βαδίζοντα λουσόμενον, ὡς γυναικὸς ἐμβεβηκυίας εἰς τὸ τέμενος. Ἀναφέρει δὲ καὶ Διοκλῆς ἐν τῷ περὶ Ἡρώων συντάγματι δόγμα Ταναγραίων, περὶ ὧν ὁ Κλείδαμος ἀπήγγειλεν· quæ a me ita verſa accipias, quamvis nil timendum de Xylandri interpretamento : *Quinam ſit Eunoſtus heros Tanagræ? & quam ob cauſam in ejus lucum aditus mulieribus interdictus ſit? Elieum Cephiſſi, & Sciadis filium patrem nactus eſt Eunoſtus, quod nomen ei impoſitum ajunt, quod ab Eunoſta nympha nutritus ſit. Eleganti ſpecie cum eſſet, & moribus honeſtiſſimis, non minus quam pudicitia, ac ſeveritate nobilis, illum Ochnam unam ex Coloni filiabus ejus conſobrinam ſororem deperiiſſe ferunt : puellæ blanditiis ſollicitanti obſtitit Eunoſtus, imo & conviciis inſectatus ad fratres, quo illam eo de petulantiæ crimine arceſſeret, ſe contulit : verum puella anteverterat id ſceleris contra Eunoſtum confingens, ſibi ſcilicet ab eo vim illatam; tanta ira fratres Ochemum, Leonem, & Bucolum incendit, ut ex inſidiis adoleſcentulum interfecerint : hos autem vinculis coercuit Elieus. Ochna timoris plena, cum facinoris pœnituiſſet, ſe amoris vi, atque ægritudine liberare cupiens, germanorum etiam commiſeratione ducta, rem, uti revera evenerat, Elieo aperuit, iſque Colono. Igitur Colono judice Ochnæ fratres exſilio mulctati ſunt ; ipſa autem præcipitem ſe dedit, uti Myrtis poetria Anthedonia carminibus celebravit : quare Eunoſto templum erectum, ac lucus conſecratus eſt, cautumque, ne mulieres vel intrarent, vel accederent, ita ut ſæpe & motus terræ, & ſiccitates, aliaque mala ingruerint, & Tanagræi curate quæſiverint & ſcrutati ſint, an mulier ad locum clam adventaſſet. Fuerunt, qui dicerent, (quorum unus Clidamus vir egregius,) ſibi obviam veniſſe Eunoſtum ad mare abeuntem, ut ſe ablueret, eo quod in lucum penetravit mulier. Et Diocles in commentario de Heroibus Tanagræorum decretum exſcribit de iis, quæ Clidamus ſibi accidiſſe narravit.*

Reor autem neminem mihi moleſtum futurum, ſi adſtruam hos φρήτορας Eunoſtidarum, quo probe Deum cælibem colerent, ejus morem, ac σωφροσύνην imitatos, quare oportuit ſane ἀγάμους victitaſſe, cum ex Plutarcho etiam ſciam Eunoſtum vel denatum mulieres abhorruiſſe; etenim ſi qua in lucum Tanagræum furtim irrepſiſſet, ſcimus Deum illum ſtatim ad mare aufugiſſe : Τὸν Εὔνοστον ἐπὶ θάλατταν βαδίζοντα λουσόμενον, ὡς γυναι-

Digitized by Google

κὸς ἐμβεβηκυίας εἰς τὸ τέμενος. Quæ cum noverint Neapolitani φρήτορες, minime maritos fuiſſe dicas, atque Eunoſti templum, quod eorum curæ demandatum erat, feminas adire nefas duxiſſe. Profecto quiſque mecum mirabitur, qui fieri potuit, ut ab Tanagra Bœotiæ oppido hujus Numinis cultus Neapolim penetrarit; ſane opus eſt fateri noſtram urbem fuiſſe Græcanicæ hiſtoriæ callentiſſimam, quæ etiam minorum earum gentium Deorum religionem ſibi optaverit, & κοινονίαν ſacerdotum deſtinaverit, qui μισογύναι eſſent; idque genus ἱεροποιὺς nuſquam gentium, quod ſcio me legiſſe fateor; cum Gallos Cybeles, atque Iſidis ſacerdotes longe ab Eunoſtidis diverſos fuiſſe conſtet, vide differt. Vandal. pag. 149. Antehac id nobis notum erat lucos quoſdam nymphis ſacros apud Græcos exſtitiſſe, quo viris ingredi omnino interdictum erat; ea de re fruimur elegia 10. Propertii lib. 4. leporis plena de morte Caci, & de Nymphis ſitienti Herculi aquas negantibus; at e contrario ſat exiguæ ſunt vetuſtatis reliquiæ, quibus pateſit puellas a quibuſdam locis prohibitas, ne adventarent, ad aram ſcilicet, quam ipſe Hercules harum Nympharum urbanitatem poſthabentium ultor erexerat; hinc canit ibid. Propert. v. 67. *Maxima, quæ gregibus devota eſt ara repertis, Ara per has, inquit, maxima facta manus: Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis, Herculis eximii ne ſit inulta ſitis;* vide Petrum Berthaldum de ara. Ceterum nullius momenti ac famæ eſt interdictum hoc Herculeum, ſi cum eo Tanagræorum, & Neapolitanorum, ne mulieres Eunoſti templum, & lucum adirent, conferas. Neque mihi obliviſcendum eſt, quo ad tædium inculcem revera φρήτορας fuiſſe ἑταίρειαν ſacrorum miniſtrorum, video ſiquidem hunc P. Severum Sempronianum in hoc ſaxo appellari ſimul fretriacum Eunoſtidon, & Apollinis ſacerdotem, ac idem miniſterium exercuiſſe alterum in Græca urbe, alterum in Latina.

Utinam divinare poſſem, quam urbis noſtræ regionem Eunoſtidæ occuparint: verum ne rem ſilentio premam, & ne te aliquid ſcire belle curioſum relinquam, dicerem oportuiſſe, ut Eunoſtidæ, eorumque fretriaci aliquanto longius ab urbe locum ſibi elegerint, ut ab feminarum frequentia, & petulantia ſibi caverent, quare in aliquo ex noſtrorum ſuburbiorum eos ſiſterem. Cum autem antiquius pomerium, urbique antiquæ proximius haud dubie ſit illud, quod extra D. Januarii portam ad vetera Neapolitanorum admirandi operis ſepulcra excurrit, inibique etiam non una templorum, ædiumque vetuſtarum rudera inviſantur, id omne ſpatium ſane incoluiſſe Eunoſtidas conjicere mihi fas ſit. Præterea ſi verum eſt, quaſdam inferioris ævi ignotas locorum nomenclaturas remotioris vetuſtatis reliquias eſſe, rem vere me aſſecutum gaudeo; etenim hoc προαστεῖον multis abhinc ſæculis vocitatum eſſe novimus *Borgo dei Vergini*, atque eo nomine adhuc celebrari; quare haud ſcio, an quis meliora exprompſerit, niſi fateatur, ideo hoc pomerium ita appellitari, quod fretriaci ἄγαμοι, & virginitatis amantes tenuerint Deo Eunoſto liberius ſacra peractu-

Pppp 2 ri.

ri. Quæ divinatio ſi arrideat, gratulor me de his ſuburbanis civibus meis bene meruiſſe, quod antiquum eorum nomen veſtigarim, quo nil illuſtrius credant: inibique me natum lætor, ædeſque meas poſthac majoris pretii æſtimandas volo. Gratias autem habeo egregias Fabretto, qui ſaxum Neapolitanis auro carius exſcripſit, vulgavitque, quo ſine nihil prorſus de duobus δήμοις, ac φρητρίαις ceterarum nobiliſſimis ſciremus. Reliquas tam grandis lapidis binarum inſcriptionum voces Latiares ſi quis noviſſe expetat, adeat eruditiſſimum virum, qui ſingulas docte more ſuo explicat, nos Græcanicas unas, ac noſtrates curamus.

IV. His de heroe adoleſcente Eunoſto a Neapolitanis beata ætate ἑλληνικῶς viventibus culto animadverſis, ſcias me longe cum amicis conqueſtum de viro Italorum ἀρχαιολόγων principe, Gorio meo, qui in limata ac polita diatriba edita an. 1752. de Deo piſtrinorum tutela illum vocat *Eunoſtum:* ſtatim ad dulciſſimum amicorum ſubiratas civium meorum nomine litteras dedi, quod honeſtiſſimum Neapolitanum numen in piſtrina detruſiſſet, & inter minorum gentium Deorum gregem accenſuiſſet: pacemque expetii, ut piam hanc Eunoſti cauſam ſuſciperem, cui ab ſelectiſſimo heroum, ſive Deorum choro dejecto noſtra intererat Neapolitanorum patrocinari: Gorius, ut ſuus eſt mos, humanitatis plenam epiſtolam mihi reſcripſit, & candidus faſſus eſt ſe & Plutarchum, & Fabrettum fugiſſe: interea, ſi ita res ſe habeat, memor Horat.

. . . incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum:

Iubens mihi patrono jure duplici Eunoſti fama jam periclitantis clientelam ſuſcipienti, tum quod Neapoli, tum quod in Eunoſtidarum regione natus ſim, permiſit. Itaque forenſem μακρολογίαν, quam cane pejus oderunt ἀρχαιολόγοι, vitans, unis Gorii adverſantis monumentis pauca reponam, cum jam veluti ex antiquiorum Scriptorum edicto, atque ex litteratorum marmorum fide honeſtiſſimam inter Deos, vel heroas ſedem poſſideat Eunoſtus.

Porro ante Gorium plerique omnes viri doctiſſimi jam piſtrinorum Deum fecerant Eunoſtum, quorum nomina mox dabo, decepti ab Græcis Scriptoribus, quos vel obſcure locutos, vel contrarium illeviſſe oſtendam. Et ut brevis ſim, præter ceteros ad Athenæum, & Caſaubonum provocat Gorius: Νόστος *parimente*, inquit, *e' chiamato queſto Nume da Ateneo lib.14. cap. 3. . . . Il Caſaubono egregio interprete d' Ateneo non controverte, che queſti nomi* Εὔνοστος, *e* Νόστος *non ſieno bene appropriati a queſto Dio de' Mulini, &c.* Quanquam id adſerere videatur Caſaubonus in animadv. pag. 891. tamen tanti viri pace, ipſius mentem verba Euſtathii, quæ mox adſcribam, turbarunt: at Athenæus eo in lib. pag. 618. nihil prorſus de Νόστῳ ſive Εὐνόστῳ cogitarat, rogaris, ut verba penſites: Καὶ ᾠδῆς δὲ ὀνομασίας καταλέγει ὁ Τρύφων τάσδε· ἱμαῖος, ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τὰς ἀλέτας ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος, ἱμαλὶς δ' ἐστὶ

ἐστὶ παρὰ Δωριεῦσιν ὁ νόστος, καὶ τὰ ἐπίμετρα τῶν ἀλετῶν· (non vero *ἀλέτων*, ut in editis libris,) *ἡ δὲ τῶν ἱστουργούντων ᾠδὴ ἔλινος, ὡς Ἐπίχαρμος ἐν Ἀταλάντοις ἱστορεῖ· ἡ δὲ ταλασιουργῶν ἴουλος, κ. τ. λ.* quæ ſic vertam , nam reliqua interpretamenta obſcuriora mihi viſa ſunt : *Cantionum nomina hæc enumerat Tryphon: ἱμαῖος, aut piſtrinenſis dicta, quam inter molituras canebant, fortaſſe ab voce ἱμαλὶς, quæ apud Dores eſt auctarium, & quod ex abundanti additur molitoribus : cantio texentium telas dicitur ἔλινος, ut narrat Epicharmus in Atalantis : lanæ opificum cantilena eſt ἴουλος, &c.* Ex quibus nunc clariſſimis Athenæi verbis aperte nihil vides de Deo Noſto , vel Eunoſto , ſed ſolummodo vocabula cantionum , & *νόστος* vox eſt *ἰσοδύναμος* vocibus *ἱμαλίδι*, & *ἐπιμέτροις*· haud ſcio igitur, cur Gorius hunc Athenæi locum recitet , quo firmet *Νόστος* , & *Εὔνοστος* eſſe dictiones, queis piſtrini numen denotetur: & miror præterea Caſaubonum in adnotat. p. 891. in eandem ſententiam vergere . Ne te decipiat H. Stephanus in lex. voce *ἱμαῖος* , nam ſibi belle contradicit , dum ait : *Sunt qui ἱμαῖα ᾄσματα exponant, quæ canuntur ab iis , qui molas verſant, apud Athen. lib. 14. at tum derivatur ab ἱμαλὶς , quod Dorice ſignificat Genium , qui molendinis præerat : Heſychio autem ἱμαλὶς eſt ἡ ἐπιμύλιος ᾠδή, idem quod ἱμαῖος ᾠδή*· etenim tam Heſychius, quam Athenæus *ἱμαλίς*, (quæ vox æque ſe habet, ac *νόστος*,) nunquam pro Genio uſurparunt. Ceterum præ me doctius exponunt *ῥήτεις* haſce *ἱμαῖος*, *ἱμαλίς*, *ἐπιμύλιος*, *ἴουλος*, *κ. τ. λ.* qui eruditiſſimi interpretes Pollucis *ἔκδοσιν* ditiſſime exornarunt p. 375. & 376.

Non parva luce in Athenæi verba ſuffuſa, (cujus auctoritas contra Eunoſtum, Neapolitanorum numen plurimi valuiſſet ;) reliquus eſt parvus adverſantium Grammaticorum grex, quorum partim recitavit Gorius, partim oblitus eſt : hos autem tum quod ævitate ignobiliori vixerunt, tum quod obſcuritatis plena verba de voce *Εὔνοστος* libris ſuis illevere, in hujus elegantiſſimi numinis cauſa, ſicuti rabulæ in foro poſthabentur , non curandos eſſe juberem, verum, ut moris eſt, patientiſſime iidem audiendi ſunt. Non autem cum his Pollucem caſtiſſimum Scriptorem connumeres, nam ejus *κείμενον* ab librariis corruptum doleo lib. 7. c. 33. n. 180. ubi *περὶ ἐργολάβων*, *de operariis*, recenſet vocabula ad piſtrinum ſpectantia : *Μυλωθρός, μύλων, μύλη, ἐπιμύλιος ᾠδή, καὶ προμυλαία Θεός , καὶ Εὔνοστος*· vides tutemet , quam importuna eſt hic vox *Εὔνοστος* , ſi vertas extrema verba, *& molaris Dea*, *& Eunoſtus*, cum ſolummodo dictiones ab *μύλη*, *mola*, pullulantes nos docet Pollux : quare ab mundo in ſcripturam vox *Εὔνοστος* irrepſit amanuenſium noxa, vel ſcholiaſtæ cujuſdam oſcitantia, nam revera barbarica ætate *Εὔνοστος* piſtrini numen audire cœpit : hujus immiſſæ vocis teſtem maximum profero Kuhnium ajentem in quodam Pollucis volumine deeſſe iſthæc verba, *καὶ Εὔνοστος*. Quare Gorius noſter nil opis ſibi exſpectet ab onomaſticographo, quo a Neapolitanis *σωφρονέστατοι* hoc numen eripiat, atque ab æqua, ac veteri poſſeſſione, quam do-

cta

cta ſua diatriba fiduciariam reddidit, ſi ſit rectiſſimus rerum æſtimator, deturbet.

Parum negotii mihi faceſſunt inelegantioris notæ grammatici, quanquam doctiſſimi Gorii partibus ſtuduiſſe videantur, & Eunoſtum Deum piſtrinorum tutelam feciſſe jurares; itaque Etymologus ait: Εὔνοστος, Θεὸς ἐπιμύλιος, ἡ δοκοῦσα ἐφορᾷν τὸ μέτρον τῶν ἀλεύρων. Heſychius idipſum adſtruit: Ἀγαλμάτιον εὐτελὲς ἐν τοῖς μύλωσιν, ὃ δοκεῖ ἐφορᾷν τὸ ἐπίμετρον τῶν ἀλεύρων, ὅσπερ λέγεται Νόστος. Non obliviſcendus Suidas voce νόστος inquiens, Καὶ Εὔνοστος, Θεός τις, φασὶν, ἐπιμύλιος. Ne te pigeat hos inter accenſere Euſtathium, qui in pag. 1385. v. 40. hæc ſcribit: Εὔνοστος, φαῦλόν φασιν ἀγαλμάτιον παρὰ τοῖς μύλωσιν· ὡς ἐν ἑτέρῳ ῥητορικῷ λεξικῷ κεῖται, Εὔνοστος, Θεὸς ἐπιμύλιος δοκοῦσα ἐφορᾷν τὸ μέτρον τῶν ἀλεύρων. Alterum Euſtathii locum accepi mutuum ab Caſaubono in animadv. in Athen. p. 891. Ἀλλά τινα Δαίμονα ἐπιμύλιον ἔφορον τῶν ἀλετῶν, ὃς καὶ Εὔνοστος ἐλέγετο. Si quis confertam hanc grammaticorum manum intueatur, (fortaſſe nemo alius me fugit,) animum deſponderet, & cauſa me cecidiſſe diceret: imo hi nunc etiam ab imis elyſiis clamitant, atque Horatianum illud occentant: *Multo plures ſumus, ac veluti, te, Judæi, cogemus in hanc concedere turbam.* Verum tot grammaticorum numerum, cum ſine vade ad litem finiendam accedat, nec prætor, nec populus curat: vides enim pro voce Εὔνοστος in notione molaris numinis ad neminem ex veteribus Scriptoribus provocare, ſed ex penu ſua id venditare; cum contra diligentiſſimus Plutarchus pro Eunoſto, σωφροσύνης Deo vehementes teſtes ſiſtit, ac veterrimos, Myrtin nempe Anthedoniam poetriam, Dioclem, & publicum Tanagræorum δόγμα.

v. Verum quid te tandiu moror, quo vindicem omnino Eunoſtum a piſtrinenſium officinarum, & molarum tutela? interea incuſes Gorii viri humaniſſimi ſcribendi celeritatem: advertas igitur hanc grammaticorum turbam palam edicere Εὔνοστον, farinæ præſidem, numen muliebre fuiſſe, & ignoro, cur Gorius id non viderit, cum ex Græcis grammaticorum verbis luculente id pateat; relegas rogo eorum loca paullo ſuperne a me allata, & in Etymologo vides, Εὔνοστος, Θεὸς ἡ δοκοῦσα ἐφορᾷν, κ.τ.λ. *Dea, quæ videtur præeſſe, &c.* & ipſiſſima verba repetit Euſtathius, & Εὔνοστον feminam etiam dicit: ceteri nil obſtant, cum γενικῶς ſe habeant, & vocent vel ἀγαλμάτιον ἐν τοῖς μύλωσιν, *ſigillum in piſtrinis*, vel δαίμων ἐπιμύλιος, vel ut Suidas, Θεός τις ἐπιμύλιος, quod reddas etiam γενικῶς, *numen quoddam piſtrinenſe*, cum pueri ſciant vocem Θεός eſſe in utroque genere. Ceterum quid in re certa otium abſumo, Pollux ibid. molarum numen inter Dearum turbam amandat, προμυλαία Θεός, & Heſychius idipſum clarius recinit, προμυλαία Θεὸς ἱδρυμένη ἐν τοῖς μύλωσι, ac Suidas, Προμυλία, Θεὸς προμύλιος· & ſane hujus Deæ κύριον nomen muliebre eſt, ut ipſe Gorius me docet, ſcil. Græce Σειρώ, & Latine *Sirona:* quare amico etiam hac in re ſubiratus vivam, qui non ſolum Εὔνοστον inter molas ſtiterit,

verum

verum imbecilliſſimi ſexus fecerit.

Sed age pertentemus, an præſtare queam falſos fuiſſe hos grammaticos, & voce Εὔνοστος etiam abuſos pro Dea molarum, & farinæ præſide ſignificanda: nam præterquam quod neque ad veteres Scriptores, vel ad litteratos lapides pro eo Deæ nomine tuendo provocant, grande in ipſius grammaticæ leges peccatum patrarunt; etenim dum feminam piſtrinenſe hoc numen creant, inde contra muliebrium nominum ἀναλογίαν vocant Εὔνοστον, cum Græci adoleſcentes didicere vocitandam fuiſſe Εὐνοστώ, uti Καλυψώ, Πειθώ, Μαντώ. Quare has fuiſſe reor ejus vocabuli vices, ſcil. cum grammatici lectitarint in antiquorum membranis adjectum huic Deæ frumentariæ, ſive piſtrinenſi opportunum ἐπιθετόν, nempe εὔνοστον, *beneficam*, uti ſunt τρεφήνωρ, ζωαρκής, quæ τῷ σίτῳ tribuuntur, rati ſunt eſſe proprium Deæ nomen in conſormandis mulierum vocabulis Græcæ linguæ indolis obliviosiſſimi. Neque id tibi mirum ſit, nam ipſe Gorius Græce doctus adjunctum προμύλιος, *molaris*, nomen etiam proprium hujus numinis facere nil dubitavit: *Giulio Polluce*, *lib.* VII. *c.* 38. *n.*8. (ſcribe c. 33. n. 180.) *ed Eſichio ci fan noto un altro nome di queſto Dio detto ancora* Προμύλιος, *Promylius*, *come oſſerva il Pitiſco*, *&c.* ſed, venia ab amico impetrata, ajo tum Pollucem, tum Heſychium θηλικῶς dixiſſe προμυλαία Θεός, vid. paullo ſuperius, ubi quivis noſcitat vocem προμυλαίαν, ſive προμυλίαν haud nomen proprium eſſe, ſed ſimplex προσθετόν, uti apud Latinos vox *molaris*: ſicuti eſt eidem Polluci ibid. & pag. 375. ἐπιμύλιος ᾠδή, quæ a molitoribus canebatur: mecumque opportune conſpirat Perizonius ὁ πάνυ in Ælian. V. H. p. 479. dum explicat ᾆσμα ἐπιμύλιον, atque inquit: Ἐπιμύλιον *certe non eſt nomen proprium*, *& varia fuerunt* ᾄσματα ἐπιμύλια, *&c.* Nil igitur mirum, ſi grammatici vocem εὔνοστος pro κυρίῳ nomine devii ac præcipites acceperint, quando & doctiſſimi viri idipſum fecerunt in vocabulis προμύλιος, & ἐπιμύλιος. Ut autem omnis hæc oratio recte collineet, vides Deum cognomento fuiſſe ſolummodo Eunoſtum, cujus ob σωφροσύνην fatum poſteris commendavit Plutarchus, eique Neapolitani φρητρίαν etiam dedicarunt, & templum, ac fortaſſe etiam lucum: contra vero numen piſtrinis addictum ex dearum choro fuiſſe, & adhuc ἀνώνυμον dicas, cum voces εὔνοστος, & προμύλιος pura putaque ejus ſint προσθετά. Ceterum ipſe ſæpe demiror tot eruditiſſimos viros iſthæc grammaticorum peccata minime deprehendiſſe; neque in eorum mentem veniſſe Plutarchi de Eunoſto elogium, cum tot de voce εὔνοστος commentati ſint, & diatribas etiam ſcripſerint: inter quorum cenſum piget me adſcribere tum Franciſcum Junium de pict. vet. pag. 99. quem tanti facio, tum Kuſterum, qui in præclara Suidæ ἐκδόσει in vocibus εὔνοστος, & προμύλιος nihil advertit.

Cauſa igitur pro hoc adoleſcentulo heroe, ſive Deo a me διὰ βραχέων perorata, audire videor adhuc Gorium meum enixe intercedentem, quo ipſe explicem, quiſnam ſit vir ille in gemmula, qui fere nudus, ac

vitta-

vittatus frumenti manipulum ſiniſtra ſtringit, dextra parvum piſtrinum regit: cui facile repono mea id non referre, cum partes meæ fuerint tutandi Eunoſti famam inter molares machinas detruſi, quando unas ſemellas Deas iis præfuiſſe teſtes juratos protuli: quare eruditiſſimo amico integrum ſit ulterius inquirere ac ſcrutari gemmæ ſuæ divinationem; ceterum licet ipſe hac in re ſit Œdipus, atque ego Davus, nil prohibet, quominus meticuloſus dicam gemmam nobis objicere Pittacum ex ſeptenis ſapientibus unum, quem univerſi ſciunt vitam inter molas vixiſſe, & frumenta, panes, & placentas ipſum ſibi confeciſſe, ita ut etiam puellæ molentes inter opus canerent ᾠδὴν, cujus initium nobis ſervavit Plutarchus in ſept. ſap. conviv. p. 257. lit. E. edit. Pariſ. Α῎λει μύλα, ἄλει, κὴ γὰρ Πίτταxος ἄλει μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων. Apponam præterea, quæ de hoc ſapiente ſcripſit Ælianus V. H. p. 478. quæ ſat opportuna vides: Ο῞τι Πίτταxος πάνυ σφοδρῶς ἐπῄνει τὴν μύλην, τὸ ἐγκώμιον αὐτῆς ἐκεῖνο ἐπιλέγων, ὅτι ἐν μικρῷ τόπῳ διαφορά ἐστι γυμνάσασθαι. Η῏ν δέ τι ᾆσμα ἐπιμύλιον οὕτω καλούμενον, *Pittacus perquam maxime piſtrinum commendabat, id ejus præconium proferens, quod in exiguo ſpatio variis modis ſeſe exercebat; exſtabat cantilena quædam, quæ ad molam canebatur, ſic dicta*, nempe quam ſervavit Plutarchus. Adeo celebratum apud veteres fuit hoc Pittaci molare exercitium, ut quamplures Scriptores meminerint, atque eos fere univerſos reggerunt Æliani interpretes, quos conſulas. Mea iſthæc divinatio firmatur, eo quod vides ſat parvum piſtrinum, quod *molam truſatilem* ope Panciroli vocat Gorius, & Ælianus nos docet Pittaci molarem machinam breviſſimam fuiſſe, etenim ipſa μικρὸν τόπον occupabat, jure igitur illam in ejus dextera ſcalptor finxit; neque inter veteres reperias, ſi ab hoc ſapiente diſcedas, qui inter piſtrina verſatus ſit. Neque mihi obtendas in gemmula fere nudum nos cernere Pittacum, cum id artifici tribuas, ut difficiliorem incidendi artem ſe calluiſſe oſtentaret: imo quorundam τῶν σόφων imagines nudas ſcalpi reperi in Laertio lib. 2. p. 157. dum de Menedemo ait: Ε'στὶ γὰρ, ὡς ἐπίτηδες, παράγυμνον (εἰκόνιον) τὰ πλεῖστα μέρη φαῖνον τοῦ σώματος, *eſt enim veluti ex induſtria, ita ſculpta* (imago), *ut cunctam fere nuditatem corporis præferat*, uti vides Pittacum in hac Goriana gemma. Obſtat ſane hujus ſapientis vultum imberbem eſſe, cum philoſophi barbati omnes fingerentur: verum fieri poteſt, ut in gemmula annulari, & in breviſſimo vultu brevior barba oculos intuentium fugiat, & in ſexcentis id genus minimis ſcalpturis diu dubitatur, vir, an ſenex nobis ſe objiciat. Ceterum nemo mihi ſaltem eripiet, ſi virum imberbem exhiberi quis obduret, in gemma ſcalptum quemdam ex ipſius Pittaci αἱρέσει, ut moris erat, qui magiſtri ſui inſignia præſeferret, cum nemo inficiaturus mihi ſit piſtrinum ad Pittacum pertinuiſſe.

Hic pro re nata abſtergam parvum σφάλμα in culta Gorii diatriba ajentis Homerum Od. 7. 103. appoſuiſſe in ædibus Alcinoi ancillas, quæ fru-

frumentum molerent: at contra eſt, nam divinus vates non omnes 50. mulierculas unis piſtrinis addixit, verum etiam textrinis, penſis verſandis, & unguento veſtibus ſtillandis; quo te, poſt meas haſce meras nugas, demum obleǔtem, accipe illius mellita carmina, quæ me vehementer piget contra tanti vatis mentem chartis illini:

Πεντήκοντα δέ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες·
Αἱ μὲν ἀλετρεύσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπὸν,
Αἱ δ' ἱςὸς ὑφόωσι, καὶ ἠλάκατα ςρωφῶσιν
Ἥμεναι, οἷά τε φύλλα μακεδνῆς αἰγείροιο,
Καιροσέων δ' ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.
Quinquaginta autem ei ancillæ per domum feminæ;
Aliæ quidem molunt ſub mola flavum frumentum,
Aliæ telas texunt, & penſum verſant
Sedentes, qualia folia excelſæ populi,
Bene-textis autem a linteis diſtillat humidum oleum.

Ceterum ob ſcribendi brevitatem oblitus eram Gorio intercedere, unde veterum membranarum extraxerit, quod pag. 221. & 222. adſtruit Caſaubonum in Athen. lib. 14. c. 3. advertiſſe meſſis tempore in Eunoſti, ſive Promylii cultum ſollemnia quæque concelebrata, atque iſthæc vocitata Εὐνόςεια, & Προμυλεῖα· namque fateor ſæpe me Caſaubonum pervolutaſſe, neque hæc verba offendiſſe; quæ ſi revera exſtitiſſent, caſtigarem ſane & Potterum in Archæol. & Corſinium in faſt. Attic. ut antiquiores taceam, qui cum omnia Græcorum feſta collegerint, iſthæc poſthabuerunt. Atque hæc ſatis ſuperque de fratria Eunoſtidon, & pro ſui numinis fama, atque honeſtate tuenda, quod antehac inter ingentia Plutarchi volumina latitabat, nunc in grandem lucem eveǔtum gratulentur mihi ſuburbani præſertim, atque ἐγχώριοι cives; & gaudendum mihi eſt, quod virtutum principem σωφροσύνην ipſi tanto ſtudio coluerint, atque honeſtaverint.

VI. Habes igitur nomina novenorum δήμων, & φρητριῶν Neapolitanarum, quæ certæ ac ſinceræ a me ſumma induſtria ex ſaxis loquentibus colleǔtæ ſunt, quarum magnam partem ætate noſtra in lucem eduǔtam gratulor; cum antehac binas, vel ternas protulere patrii Scriptores, quos ſecuti ſunt exteri Reineſius, Sponius, Vandalius, & Mazochius noſter; ſpeque nutrior fore, ut quæ ternæ reliquæ ſunt, volventibus annis, diem videant, quo magis urbis noſtræ vetus amplitudo celebretur. Reliquum nunc mihi eſt, ut paucis quædam fratriarum ſpuria nomina expungam, licet tanquam γνήσια ſummi viri venditarint. Et ſane ΘΕΩΤΑΔΑΙ, ut Reineſius cl. *6.* 37. & Vandalius pag. 758. vocant, vel ut opinatur Mazochius ΘΕΩΤΑΔΑΙΟΙ ad Gruterum provocantes, vox eſt rure inficetior, & corruptiſſime ex noſtratibus ſilicibus exſcripta: & quiſque mecum mirabitur tantos viros in Neapolitanis monumentis Gruterum potius, quam Capacium αὐτόχθονα conſuluiſſe, hic quidem longe curatius epigraphen hiſt. ſuæ pag. 237. allevit, quam hic vides:

ΘΕΟΙΣ·ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ·ΚΑΙ
ΘΕΟΙΣ·ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ·ΘΕΩΤΕ·ΔΑΙΜ

Vel tiro novit binas eſſe voces ΘΕΩΤΕ ΔΑΙΜ, ſcil. DEOQVE DAEMONI: ita ut monumentum hoc a Neapolitanis erectum pantheum fuerit, cum triplicem Deorum diviſionem ſaxum meminerit, *Deorum auguſtorum*, *patriorum*, *ac urbis Genii*. Nullam igitur Neapoli fratriam floruiſſe, quæ vel *Theotadarum*, vel *Theotadæorum* monſtroſum ſane nomen prætulerit, fatendum eſt. Profecto quiſque advertit id vocabulum illepide ab Pighio exſcriptum, etenim ſi ſimplex eſſet, ſcribi oportuiſſet cum ο parvo Θεοταδαι, non vero Θεωταδαι. Præterea nomina δήμων, & φρητείων, ut in ſinceris omnibus fratriis vidimus, tracta ſunt & cuſa a certis, & quid ſignificantibus vocibus; e contrario τὸ ΘΕΩΤΑΔΑΙ, unde oriatur, quidve adnotet, omnino ignoramus, cum ſit binarum ῥήτεων deformitas. Diis autem Δαίμοσιν erecta templa, aras, &c. ex inſcriptionum theſauris conſtat, vide etiam Salmaſ. Hiſt. Aug. to. 1. pag. 141. verum ſi Neapolitana exempla quærantur, ipſe Capacius aliud patrium marmor profert pag. 327.

ΘΕΟΙΣ·ΔΑΙΜΟΣΙΝ
ΚΑΣΤΟΡΟΣ·ΒΛΑΣΤΟΤ·ΚΩΡΤΚΕΩΤ

Longe igitur faceſſant a Neapolitano, ſive Attico ſolo tum Θεωτάδαι, tum Θεωταδαῖοι, atque inter barbaricas gentes amandentur.

Quoniam breve hoc marmor recitavi, de eo pauca hæc teneas: ne credas Grutero ajenti pag. 1015. 8. Puteolis Neapolim translatum in Hadriani Gulielmi domum, nam, unde id reſciverit Gruterus, ignoratur, cum Capacius noſter ἁπλῶς dicat *apud Spataforum*. Vides *Caſtorem Blaſti filium* eſſe Κωρυκεώτην, (nomen gentile, ut Ἡρακλειώτης,) nempe ex Coryco, ſive Corycia, Cretæ urbe, & promontorio, hinc noſcis etiam ab longinquioribus Græciæ inſulis Neapolim advenas incoluiſſe, uti pag. 641. de Alexandrinis dictum eſt; imo ex hac urbe Coryco plurimos huc advectos, nam Gruterus alterum eodem nomine inſignem Neapolitanum lapidem ſervavit pag. 1035. 8. qui in Hadriani Gulielmi ædibus exſtabat:

ΕΝΕΙΠΕΑ
CΑΚΕΡ
ΔΩΤΟC
ΝΑΥΚΛΗΡΟΝ
ΚΟΡΥΚΙ
ΩΤΗΝ ΕΤΩΝ
ΚΒ

Hoc ſaxum nil dubitare ſinit, quin Corycus, aut Corycia ſit illa Cretæ urbs

urbs maritima, nam legimus hunc Enipeum, Sacerdotis filium Coryciotem navis dominum fuiſſe, qui adoleſcentior annorum duorum & viginti ad plures abiit. Vox ΣΑΚΕΡΔΩΣ proprium nomen adnotare reor, atque etiam Gruterus inter *κυρίων* nominum claſſem appoſuit. In utroque hoc Neapolitano ſaxo quædam deeſſe quiſque novit.

Pergit porro doctiſs. Mazochius: *Fuiſſe videtur etiam alia Neapoli fratria, quæ ab Hebone Deo patrio nomen ſodalibus quæſierit, ſed inſcriptionis, ex qua id doceam, nunc in mentem non venit; niſi quod memini me quondam ejuſmodi titulum ex Neapolitano lapide deſcripſiſſe, ſed piget nunc ſchedas excutere*, hæc vir clariſſimus. Attamen avare nimis nobiſcum egit, qui eas ternas fratrias, quas jam ab aliis accepimus, doctis chartis ſuis adnotavit, novæ autem, & antehac inauditæ fratriæ epigraphen blattis fortaſſe rodendam reliquit: vereor tamen, ne vir ſummus memoriæ, qua feliciſſima viget, confiſus, ſuam cum Capaciana pag. 185. quæ jam inter Neapolitanas protrita eſt, Deoque Heboni appoſitam legimus, commiſcuerit: de fratria vero huic numini dicata prorſus ſaxum ſilet:

ΗΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΙ ΘΕΩΙ
Γ·ΙΟΥΝΙΟΣ ΑΚΥΛΑΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ
ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ
ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ ΛΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ

confinge ΝΑΥΚΕΛΑΡΧΗΣΑΣ, ut ſuperne multis dictum eſt.

Sane ſi titulum cum Hebonitarum fratria, ſive *δήμῳ* ex jam editis libris exſcripſerit Mazochius, ceteri etiam reſcirent, etenim de patriis rebus volumina facile noſtris omnium manibus teruntur: ſi vero ex ſaxo aliis ignoto, ſibique dumtaxat *quondam* oblato ſchedulis illum mandavit, haud fieri potuit, ut hæ gazæ Neapolitanis cariſſimæ adhuc lateant, & tanta meorum civium eruditorum vis ea monumenta curate veſtigantium nil prorſus de eo ſaxo inaudiverit. Præterea maxime Mazochii interfuiſſet, ut novum, tantique pretii Græce litteratum marmor publico, & tuto loco, ſed non ſub Jove frigido proſtaret ne de eo poſteri ambigerent, vel ſaltem ipſe ſuo eruditiſſimo operi de Eccl. Neap. adjeciſſet, cum jam de fratriis longiorem adnotationem adnexuerit; etenim, etiamſi ſilex periret, tanto viro fidem haberemus. Verum ſemper eo mens redit, ut credam Mazochium tot edendis libris diſtentum ſupernum Hebonis epigramma ad fictam Hebonitarum fratriam detorſiſſe. Quoniam autem vir Ἑβραΐστί ad miraculum gnarus Hebonis civium noſtrorum Dei *ἐπιφανεστάτῳ* meminit, utinam nos docuiſſet, unde gentium tracta ſit ea vox, quam Neapolitanorum eſſe definit Macrobius lib. 1. cap. 18. aitque Hebonem fuiſſe Dionyſum cum Sole confuſum, eumque ſub ſpecie ſenili a noſtris cultum, quem ceteræ gentes vel ſub pueri,

 vel

vel adoleſcentis, vel viri ſimulacro exprimebant: has Solis quaternas ætates pro ratione binorum ſolſtitiorum, atque totidem æquinoctiorum commenti ſunt. Quare fere omnes Græcanicos noſtrates nummos Solem referre cernimus hominis ſenis aſpectu, ſed taurino corpore: taurum autem ad princeps hoc aſtrum referri multiplici ratione oſtendit idem Macrobius lib. 1. cap. 21. Exputo ſane Neapolitanos præ ceteris Diis Solem, ſive Hebona, (quem ἐπιφανέστατον, *celeberrimum*, ſalutabant in ſaxis, quibuſcum belle conſpirat Macrobius, dum adſtruit: *Neapolitani CELEBRANT Hebonem cognominantes*,) coluiſſe, utpote qui aſtronomicis rebus perdite ſe dederant, quare ſiderum ducem & regem eos curatius honeſtare oportuit: vide ſatis multa, & non pœnitenda de veterum meorum civium aſtronomiæ ſtudio cap. ſequenti.

His animadverſis, facile, cujus radicis ſit ſuboles *Hebon*, quiſque dignoſcet, ſcilicet ab Phaleſgico הבין, *erudiens*, *divinantem reddens*, iisdem στοιχείοις. Solem igitur præ ceteris aſtris colebant Neapolitani, quo famoſi divini eſſent, & aſtrologi, ipſumque merito *Hebona* ſalutabant. Neque credas me hoc etymo ſola ratione, & origine vocis nixum id firmare, fundum etiam locupletem habeo ipſum Macrobium lib. 1. cap. 12. fatentem Solem præ ceteris aſtris *producere ſentiendi*, *opinandique naturam*, *quod* αἰσθητικόν, & φανταστικόν *appellant*; verum iraſcor Macrobio, quod extra Græcam fidem ac vim ita verterit binas voces αἰσθητικόν, & φανταστικόν, reddendæ enim erant, *intelligentem reddens*, & *divinationes adducens*: ad hanc divinandi artem ἀμέσως ſpectare τὸ φανταστικόν, ſive φανταστιαστικόν teſtem do Plutarchum de def. orac. Ποιοῦσι φανταστικοὺς τοὺς προφήτας, καὶ τὰς προφήτιδας, quam ῥῆσιν in eadem ſententia ibidem ſæpe repetit. Atque adeo vera reor, quæ procudimus, ut multam facem ipſe Macrobius præſtiterit ajens *eumdem eſſe Græcis Baſſarea* & *Briſea*, *ac Hebona Neapolitanis*: etenim cum Baſſareus, ſive per metatheſin Briſeus nomina Solis ſint non ab Græcanico, ſed ab Hebræo fonte orta, nempe ab פשר, & פשרה *divinavit*, vel *divinationem immiſit*, & *divinatio*, imo & in τῇ περιβοήτῳ Danielis divinatione ternarum dictionum in pariete illitarum, hanc eandem vocem פשר ubique ejus cap. uſurpatam legamus, nemo unus mihi poſthac inficiabitur veram eſſe Hebonis Neapolitani numinis ἐπιφανεστάτου & notionem, & etymon; etenim utraque vox & *Baſſareus*, & Ἡβών ab arte divinandi, quæ potiſſimum a Sole eſt, educitur: verum hæc clariora evadent ope ſequentis capitis.

VII. Rejectis porro binis νοθείας plenis fratriis Θεωταδῶν, vel Θεωταδείων, atque Ἡβωνιτῶν, amicis interrogantibus faciendum eſt ſatis, ſcilicet an inter fratrias floruerit etiam illa Φαληρειδῶν, quoniam vulgo ab heroe uno ex Argonautis Phalero conditam Neapolim majores ſcripſere Lycophronis, ac Stephani Byzantini verbis abutentes, atque ſexcentas membranas eos compleviſſe conſtat, præſertim Laſenam in fin. Gymn. & Peregrinium, pag. 298. &c. 759. &c. quare hi amicorum jucundiſſimi inquiunt haud

fieri

Digitized by Google

fieri potuiſſe, ut Neapolitani urbis ſuæ conditori Phalero φρητρίαν, ſicuti quibuſdam minoris famæ heroibus fecerant, minime dedicarint. Porro in quotidianis votis ſum, ut Laſena noſter iſthæc de Phalero minime cogitaſſet, nec Peregrinio deinde, quo familiariter utebatur, communicaſſet; hic etenim, quæ ab amico inaudiverat, fidentiſſimus chartis ſuis appingere haud veritus eſt, ſed tanta verborum ambage, ac περιπλοκῇ, ut, quo tandem collineet, uti moris ſui eſt, (plerumque enim lucidus ordo eum deſerit,) ignores; etenim uterque rerum noſtratium ſcriptor, quod Lycophronem ope Latiaris interpretamenti, licet a doctiſſimis viris appoſiti explicarunt, tranſverſus actus eſt, cum Græcanica hujus poetæ verba ſat alienum ab interpretum mente claudant; quare venia mihi ſit ejus carminum luculentiſſimam ſententiam expromendi, inde amicis aperiam, cur Φαληρειδῶν fratriam non crearint veteres cives, nec ſperandum, ut eam ætas proferat ex litteratis lapidibus.

Porro antequam hos Lycophronis verſus expendam, nodum mihi exſolvere ſinas rogo, quem me piget reperiſſe in Latiari interpretamento Diogenis Laertii in vita Menedemi; ubi Romana verba adſtruere videntur Lycophronem ante Platonem vitam vixiſſe, qui vates centenis fere poſt annis Caſſandram ſcripſerat; etenim iſthæc habes pag. 153. *Miſſus autem Menedemus ab Eretriatibus Megaram præſidio futurus contendit ad Platonem in Academiam, inque illius retia non invitus incidit, deſeruitque militiam:* inde pag. 157. additur: *Amabat Aratum, & Lycophronem tragicum poetam, Antagoramque Rhodium, ſed maxime omnium ſtudebat Homero:* ſane in his Latinis verbis nil apertius eſt, quam hunc tragicum vatem ante Platonis ævum floruiſſe, cum illius carmina legeret Menedemus, qui ad philoſophum contenderat, inque hujus retia inciderat; & ſcias hac in re nihil adnotaſſe magnum Menagium. Verum quod arduum, vel ſaltem implexum vides, planum erit atque æquum, ſi Græcæ ſinceritati verba reddes: Πεμφθεὶς δὲ φρουρὸς ὁ Μενέδημος ὑπὸ τῶν Ἐρετριέων εἰς Μέγαρα ἄνελθεν εἰς Ἀκαδημίαν πρὸς Πλάτωνα, καὶ θηραθεὶς κατέλιπε τὴν στρατείαν . . . Ἠσπάζετο δὲ καὶ Ἄρατον, καὶ Λυκόφρονα τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητὴν, καὶ τὸν Ῥόδιον Ἀνταγόραν, μάλιστα δὲ πάντων Ὁμήρῳ προσεῖχεν, ne vertas, *contendit ad Platonem in Academiam, inque illius retia incidit,* ſed, *contendit ad Academiam Platonicam, atque in retia incidit* (vocula *illius* Græce non eſt) *reliquitque militiam . . . Amabat Aratum, &c.* quod longiori poſt divini philoſophi tempore eveniſſe novimus, & poſt Lycophronem ipſum, quem lectitare amabat Menedemus. Interea per tibi mirum futurum reor viros Græce doctiſſimos ſæpe parum interpretamentis ſuis conſuluiſſe, qui iſthæc hiſtoriæ, ac chronologiæ peccata Græcis Scriptoribus crearint; atque in mentem revoces, quoties ipſe tantæ famæ interpretibus manum medicam appoſuerim, & in iiſdem ſanandis etiam poſthac me plurimum otii luſurum piget ac pœnitet. Laertii Latinate in lucem reſtituta, adſcribam triſte ternarum Sirenum fatum cum

brevi

Digitized by Google

brevi admodum commentario , nam prolixiorem in Puteolana chorographia exſpectes, verſ. 712.

Κτηνεῖ δὲ κούρας Τήθυος παῖδας τριπλᾶς,
Οἴμας μελῳδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας,
Αὐτοκτόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς,
Ὅπου λινεργὴς Κλῶσις ἑλκύσει πικρά.
Τὴν μὲν Φαλήρου Τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα,
Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης
Λοιβαῖσι, καὶ θύσθλοισι Παρθενόπην βοῶν
Ἔτεια κυδανοῦσιν οἰωνὸν Θεάν.
Ἀκτὴν δὲ τὴν προὔχουσαν εἰς Ἐνιπέως
Λευκωσία ῥιφεῖσα τὴν ἐπώνυμον
Πέτραν ὀχήσει δαρόν, ἔνθα λάβρος Ἴς,
Γείτων θ' ὁ Λάρις ἐξερεύγονται ποτά.
Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται
Κλύδωνα χελλύσσουσα, τὴν τε ναυβάται
Κρόκαισι ταρχύσουσιν ἐν παρακτίοις,
(Ὠκινάρου δίναισιν ἀγχιτέρμονα·)
Λούσει δὲ σῆμα βουκέρως νασμοῖς Ἄρης
Ὀρνιθόπαιδος ἴσμα φοιβάζων ποτοῖς.
Πρώτη δὲ καὶ ποτ' αὖθι συγγόνων Θεᾷ
Κραίνων ἁπάσης Μόψοπος ναυαρχίας
Πλωτῆρσι λαμπαδοῦχον ἐντυνεῖ δρόμον
Χρησμοῖς πιθήσας, (ὃν ποτ' αὐξήσει λεὼς
Νεαπολιτῶν,) οἳ παρ' ἄκλυστον σκέπας
Ὅρμων Μισηνοῦ στύφλα ναίσσονται κλίτη.

Adnectam, quod eleganti ſuæ ἐκδόσει Potterus adſcripſit interpretamentum, & licet aliquanto cultius præ ceteris, menti Lycophronis adverſantiſſimum vides, ſi quod ipſe e regione appono, licet ſit κατὰ λέξιν, paullo curatius penſites: ac indulgendum , ſi minoribus characteribus utrumque adſcribam; ſervandum enim eſt paginarum ſpatium, & συμμετρία curavi, ut meum, ac vetuſtius in iiſdem lineis ſibi reſpondeant , quo promptius ac citius eorum varietatem ac diſcrimen, quod non exiguum eſt, internoſcas. Verſum a me eſt τὸ κτηνεῖ v. 712. *perire fecit*, non enim Ulyſſes Sirenas ipſe interfecit, ſed ſponte ſeſe in undas immerſerunt: hinc appoſite canit Lycophron αὐτοκτόνοις ῥιφαῖσιν, quod illepide, & contra fidem redditum eſt ab omnibus, *ſpontaneis jactibus;* & novimus ex poetis Sirenas, quod ab ipſis aufugerit Ulyſſes, irarum plenas in undas ſponte præcipites periiſſe.

VIII. Age inquiramus, quænam ſit in v. 717. Φαλήρου Τύρσις , quam interpretes, & noſtrates Scriptores pro ipſa urbe Neapoli acceperunt , ut di-

Potteri interpretamentum quoad ſententiam.	Recens interpretamentum κατα λέξιν.
Tres autem occidet Tethyis neptes virgines,	*Perire faciet* Ulyſſes *puellas Tethyis filias*
Canoræ matris cantus exprimentes,	*Voces canoræ matris confingentes,* (*tres,*
Spontaneis jactibus ex alta ſpecula	*Sponte ſe necantes præcipites ab alta ſpecula,*
In undam Tyrrhenam pennis urinantes,	*Tyrrhenam in undam ſe ſubmergentes alatas,*
Quo lanificum trahet acerbum ſlamen.	*Quo lanifica Parca ſæva trahet.*
Unam quidem Phaleri arx expulſam,	*Unam quidem Phaleri turris ejectam,*
Clanisque terram humectans excipiet,	*Clanisque rivis excipiet irrigans terram,*
Ubi templum indigenæ exſtruentes puellæ,	*Ubi ſepulcrum exſtruentes cives puellæ*
Libaminibus Parthenopen, et ſacrificiis boviũ	*Libaminibus, & ſacrificiis Parthenopen boum*
Quotannis honorabunt volucrem Deam.	*Quotannis honorabunt volucrem Deam.*
In ripam autem eminentem Enipei	*In littus vero exporrectum Enipei*
Ejecta Leucoſia cognominem diu	*Leucoſia abacta cognominem*
Occupabit inſulam, ubi violentus Is,	*Rupem occupabit diu, quo præceps Is,*
Vicinusque Laris eructant latices.	*Vicinusque Laris exonerant aquas.*
Ligea denique in Terinam exponetur	*Ligia autem Terinam uſque exponetur*
Undam criſpans, quam nautæ	*Fluctum criſpans,* huic puellæ *nautæ*
In arena ſepellient littorali,	*In lapidibus parentabunt littoralibus,*
Ocinari vorticibus conterminam:	(*Ocinari vorticibus conterminam;*)
Abluet autem ſepulcrum corniger fortis	*Abluet & tumulum corniger laticibus Ares*
Semiavis extergens aquis monumentum.	*Gallinipedis* puellæ *buſtum inundans aquis.*
Primæ porro quondam ſororum Deæ	*Primæ porro deinde rurſus ſororum Deæ*
Imperator totius Atticæ claſſis	*Præfectus univerſæ Mopſopus claſſis*
Vectoribus lampadiferum inſtituet curſum	*Nautis lampadicum apparabit curſum*
Oraculis obtemperans, quem augebit populus	*Oraculis obediens,* (*quem inde augebit populus*
Neapolita, qui prope tranquillum tegmen	*Neapolitanorum,*) *qui* nautæ *ad tutum collem*
Miſeni portuũ ſaxoſa habitabit promontoria.	*Portuum Miſeni compactas habitabunt domus.*

dictum paullo ante eſt: vides Lycophronem non de urbe locutum, ſed de *turri*, ſive, lubens do, de *arce:* quare veſtigandum, an antiquum nomen majores noſtri ſervarint, quod indicet hanc Phaleri arcem: ſicuti in hoc longiori cap. de fratriis tot nomina Scriptoribus antehac ignota, ſed a patribus accepta illuſtravimus, audendum etiam, an huic *Phaleri* cognomento quid lucis addere ſatis ſim. Porro haud malum Œdipum me ſalutabis, ſi Mergillinen, Sannazarii noſtri ſedem olim ejus carminibus, nunc tanti vatis admirandæ artis ſepulcro celebratiſſimam, Φαλήρυ τύρσιν fuiſſe pronuntiem: ſiquidem nemo unus adhuc dubitavit, quin a *mergis* nomen ſibi quæſiverit *Mergilline*; quare cum Græce φαληρὶς etiam ſit *mergus*, ut me docuit Bochartus Hierozoic. par. 2. p. 107. dum inquit: *Φαληρὶς mergi, & tylas turdi genus eſt, & chennium coturnicis, ut auctor eſt ipſe Athenæus*, quis, niſi contentionum amator, obſtet Mergillinen non eſſe Græcanicæ vocis φαληρὶς interpretamentum, utpote

Digitized by Google

utpote quæ olim fuit ſtatio gratiſſima mergis , ſive φαληρίσιν ; nec mirum, ſi Scriptores aliquantulum immutarint φαληρὶς in φάληρος, nam jam admonuit, quantas mutationes paſſa ſint locorum nomina, ſummus virorum Bochartus: præſertim cum dictiones eſſent Græcis peregrinæ; quare nil dubius ſum, quin φαληρὶς ab Phœniſſa radice ſint פלר, *mergus*, & plurative פלרים , *mergi* detorta , quam ob Hebræorum librorum caritatem amiſimus .

Neque novum credas littora, ac quædam loca nomen adepta ab avibus , quas in iis frequentiſſimas cernimus; & ne in alienas regiones vagemur, a me habebis in Puteolana chorographia *Liternum* oppidum proximum Cumis dictum voce peregrina ab *gallinis* ſilveſtribus, quæ illud celebrabant, etenim Hebræa , ſive Chaldæa vox לתרן, quæ iiſdem litteris Latiari hujus urbis nomenclaturæ reſpondet, valet *ad gallum*, & ἀναλογικῶς לתרנה , ſive לתרנא *ad gallinam :* hinc a lexicis Hebræochaldæis tenes has ῥήσεις תרנגלה , תרנגולא , תרנגול , תרנגולת , תרנגולתה compoſitas, atque ab uno fonte cadentes omnes adnotare *gallum gallinaceum* , ſive *gallum ſuperbientem*, nam certo גול eſt *exſultare* , גיל & גילה , *exſultatio* , hinc certo תרן dicas *gallum*, & תרנה , *gallinam :* & nunc primum novimus veriloquium vocis *gallus*, nempe ab גול , *intumeſcere*, hinc vox *criſtatus* valet *ſuperbiens*, & tam de hac avi, dicitur, quam de hominibus; quare Juvenalis de Domitiano canit ſat. 4. v. *69. Et tamen illi ſurgebant criſtæ* (ideſt intumeſcebat,) *nihil eſt*, *quod credere de ſe Non poſſit* , *cum laudatur Diis æqua poteſtas ;* interea demiror , cur Voſſius in etym. & magnus Bochartus in Hierozoic. ubi præclara de gallinis congeſſit, iſthæc tam plana & aperta non viderint. Igitur nil obſtat, quin *Liternum* ſit ab לתרנה, *ad gallinam ;* præſertim cum nemo adeo hoſpes eſt in Tullii epiſtolis, vid. epiſt. 23. lib. 9. ad fam. ut neſciat ſilvam *Gallinariam* propter Liternum exſtitiſſe , cujus etiam Strabo meminit p. 373. Ἐν τῷ κόλπῳ τούτῳ (τῆς Κύμης) ὕλη τίς ἐστι , . . . ἣν Γαλλιναρίαν καλοῦσιν, ut Varronem taceam de R. R. lib. 3. c. 9. & Juven. Sat. 1. verſ. 307. imo adhucdum id genus gallinas venatores capiunt prope Liternum , quarum ibi ingens multitudo circumvolitant , ac enutriuntur . Peccarem ſane, ſi obliviſcerer etiam ab iiſdem ruſticis gallinis dictam *inſulam Gallinariam*, quæ ſita eſt in Liguſtico mari, ut ajunt Varro ipſe lib. 3. c. 9. de R. R. & Columella lib. 9. cap. 2. quos conſulas . Quare nil mirum , ſi etiam littus non longe a Neapoli dictum ſit Τύρσις φαλήρα , ſive Latine *Mergilline* ab *mergis* avibus . Juvat non parum Athenis etiam exſtitiſſe juxta mare vocem Φάληρον , hinc *portus Phalareus ;* etenim quiſque ſtatim aſſentietur id nomen , cum in non unis urbibus reperiatur, imo & circa littora , proprium alicujus herois non eſſe , at a φαλαρίσι , ideſt a *mergorum* ſtatione ſuo huic promontorio etiam Athenienſes illud impertiviſſe . Addas a Sannazario συμπολίτῃ nos habere etiam vocem *Turris*, adeo verum dicas me non aberraſſe ab hujus loci , quem meminit Lycophron,

phron, divinatione: ita enim canit in epigr.1. lib. 2.

Hic ubi veras imitata TURREſ
Tot ſimul pinnis, niveiſque tectis
Rupe Mergillina ſedens, propinquum
Spectat in æquor.

Et ob exciſam hanc Turrim ab Philiberto Aurantio, Cæſaris duce, & ob villæ ſuæ delicias peſſumdatas concepto morbo ad plures abiit, vide ejus vitam carminibus præfixam. Neque prætereundum, cum dicat Lycophron ἐγχώρης δωμήσαντες τὸ σῆμα puellæ Parthenope juxta Φαλήρου τύρσιν, adhuc in ſuperno Mergillinæ colle reliquias vetuſſimi ſepulcri ſupereſſe, licet noſtrates cujuſcumque pretii Scriptores civibus, atque exteris impoſuerint ajentes ſine ullo vade Virgilio erectum: imo & Neapolitana reſpublica in grandi memoria ex marmore affàbre conſtructa, atque addita epigraphe idipſum ſcalpſerit: quando Maronis ſepulcrum in ſuperiori Puteolana via conſtructum eſſe ſat certis monumentis alibi σὺν Θεῷ oſtendam: ſane, ut ſibi omnino conſtet Lycophron, ædificii illius reliquias potius exputo eſſe Parthenopes noſtræ ſepulcrum, quod cives certo ante Lycophronem erexiſſe, & ſacrificiis quotannis honeſtaſſe novimus, uti idem poeta canit.

His intellectis, neſcio quo animi ſenſu impellor, licet invitiſſimus, ut ſat audacis conjecturæ argumentum proferam, & magis firmem Turrim Phaleri eſſe Mergillinæ collem, eamque vocem monſtroſa quadam mutatione, quæ doctiſſimos viros exercuit, in Statii noſtri Silvis lib. 5. car. 3. v.104. extare pronunciem:

Exſere ſemirutos ſubito de pulvere vultus,
Parthenope, crinemque afflato monte ſepulti
Pone ſuper tumulos, & magni funus alumni.

Porro voces *afflato monte* nihili ſunt, nullamque ſententiam præferunt: Gronovius in adnotation. hæc tanto viro haud digna adſcripſit: *Fingit* (poeta) *ipſam Deam Parthenopen inhabitare, ceu ſacram ſibi ſedem, montem Veſevum . . . tum Parthenopes caput dicitur merito, quod altiſſimum in Neapolitano diſtrictu eſt, ideſt mons Veſuvius, qui ignes ejectabat. Porro crines ignium flammæ frequenter dicuntur;* tenes ab Gronovio Parthenopen, quæ certo Neapoli ſepulta eſt, abactam ſuper Veſuvium octonis milliaribus ab noſtra urbe diſſitum; tenes præterea *crines* eſſe *flammas;* verum nec volam, nec veſtigium hujus inſolentiſſimi interpretamenti etiam quis oculatiſſimus in his Statii verbis inſpiciet. Quare ut quid lucis corrupto ſimul, ac tenebricoſo loco creem, ῥῆσιν *afflato* confingo *Phalaro*, quæ idem eſt ac *Phalero*, nam tam φαλαρὶς, quam φαλαρὶς *mergus* eſt, atque inde non mala erit Statii ſententia optantis, ut *Parthenope e ſuo ſemiruto ob vetuſtatem ſepulcro erigat caput, & ponat reciſos crines ſuper tumulum patris Neapolitani ſepulti in monte Phalaro:* hinc novimus tum Phalerum collem eſſe, tum Menecratem

poetæ noſtri parentem inibi etiam ſepultum, ideſt juxta σῆμα Parthenopes; juvat etiam didiciſſe hujus Sirenis buſtum Statii ævo antiquitatem ſemirutam, ac venerandam oſtentaſſe; & ne cogites cum interpretibus illud a Veſuvii pulvere & cineribus, ejuſque montis igne atque flammis concoctum; nam ipſe *afflat* urbes, ac loca, non vero *afflatur*. Itaque cum librariis ſatis ignota eſſet vox *Phalaro*, in infrunitam, ſed ſibi ſuetam, & quaſi ſono affinem *afflato* audacter immutarunt; atque iſthæc Statiana carmina tum ipſi, tum interpretes riſu excipienda poſteris commendarunt. Mea ſolummodo intereſt vocem *Phalerus*, ſive *Phalarus* in Statio noſtro oboluiſſe, tamdiu ab quibuſdam Græcis Scriptoribus celebratam, collemque fuiſſe, ut Lycophroni Neapolitanus vates care conjuraret. Ceterum ne tam cito meum hoc medelæ audax facinus caſtiges, ac rejicias, cogitandum enim prius, an Gronovii, licet nil ſordidi interpretis ſententia quid boni præſtet, & an tutemet magis opportuna ſcruteris. Tenes igitur quænam fuerit Φαλήρου τύρσις, qua de perdiu diſputatum eſt: & quam falſus ſit Favorinus, quem affert Tzetzes, dum ait: Φάληρος τύραννος Σικελίας ἔκτισεν ἐν Ἰταλίᾳ Νεάπολιν.

IX. Verſus ille 718. Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα, doctos cives meos longe exercuit; etenim videtur Lycophron ceciniſſe Clanium fluvium prope Neapolim urbem fluxiſſe, qui longiuſcule abeſt; quare coacti ſunt ῥητὰ, καὶ ἄῤῥητα proferre: Peregrinius vero Campanus pag. 190. & 750. nodum fregit, dum ſibi ſufficere ratus eſt oſcitantia Lycophronem arceſſere, qui ad Neapolim Clanium pertinuiſſe cecinit. Verum ſi Peregrinius curatius omnem poetæ hujus contextum perlegiſſet, advertiſſet ſane ipſum, quo urbes, ad quas abactæ ſunt Sirenes, melius diſtingueret, fluvios etiam iis urbibus proximos adnotaſſe; quare cum Clanius Neapoli ſit vicinior, illum meminiſſe oportuit, ſicuti Leucoſiæ ſunt Is & Laris, licet non tam prope fluant; imo contra, ſi quem amnem urbi finitimum noviſſet, poetam illud exacte admonere vides; hinc Ocinarum vocat Terinæ ἀγχιτέρμονα, aitque Arem Ligiæ Sirenis buſtum λύειν, adeo huic oppido propinquum dicas; quare tanta ἀκρίβεια iſthæc Campaniæ, Lucaniæ, & Brutiorum loca, & amnes deſignavit, ut ea ſub oculis habuiſſe certo exputem: conſulas Cluverii Ital. geogr. Porro etiamſi Clanius parum ab Neapoli abſit, jure hunc poetam illius meminiſſe dicas, non enim vides fluvium, qui urbi noſtræ vicinior ſit; nec tamen definit ἀγχιτέρμονα· & Sebetum quidem poſthabuit, utpote aquarum indigentiſſimum rivulum, & veteribus vix notum; injurius igitur eſt Peregrinius Lycophroni, & potius vir Campanus caſtigandus, qui ſubſultim, & Latine veterem, & tanti pretii poetam lectitavit.

Si vero Sebeti meminerint, ut notum eſt, Virgilius Æn. 7. v. 734. Columella lib. 10. v. 263. demum Statius noſter 1. Silv. Carm. 2. v. 263. advertere eſt hos vates de rivo, ſive νάματι loqui, non vero de fluvio, ac ποταμῷ· nam primo ſermo eſt de *Nympha Sebetide*, quas Nymphas vel

ſat

Digitized by Google

ſat parva flumina, vel fontes coluiſſe finxerunt: Columellæ adeo exiguus eſt, ut ejus aquam rori comparet, vocetque *Parthenopen Sebetide lympha roſcidam;* & Papinius optat, ut hic pauperrimus aquis creſcat, & aliquando intumeat, *pulchra tumeat Sebethos alumna*. Averem, ut non ſtatim adjungeres fidem tum exteris, tum noſtratibus Scriptoribus, cujuſvis pretii ſint, qui pro tuenda Sebeti dignitate ac fama ad Gruterianum ſaxum 94. 9. provocant, in quo legere eſt ipſum inter Deorum chorum adſcriptum:

P. MAEVIVS · EVTYCHVS
AEDICVLAM
RESTITVIT · SEBETHO

Verum vel tiro reficeret extremam dictionem EX BOTO, etenim ſententiam & planiorem vides, & ſollemnem tritamque lapidum formulam; præſertim cum in ſcriptis ſilicibus honeſtatis ergo Deorum nomen, imo & Auguſtorum primo loco ſcalptum, atque perquam raro contrarium advertas; novimus etiam, cujus famæ ſint Aldi epigraphæ, a quibus hanc exſcripſit Gruterus, maxime cum additum ſit erutum fuiſſe ex noſtrorum murorum fundamentis: atque ipſe ſuperiore cap. V. par. V. longiſſimum ſermonem intexui, & momento multiplici evincendum curavi nullumdum ſaxum Latiare Neapolitanum in tot inſcriptionum συλλογῇ reperiri, & bene multas præſtiti me collegiſſe paucis ab hinc ánnis erutas, quas omnes Græcanicas fuiſſe gratulatus ſum; quare iſthæc una Eutychi princeps Latinarum ſalutaretur; & quis credat, niſi Judæus, in urbe Attice loquente Latine ſcalpi lapides? Ad hæc ſi revera hic *P. Mævius Eutychus* ſit *P. Metillius Eutychus*, qui, ut exputat Gruterus ibid. Romæ fuit *Fontis Galliani magiſter* ex alio Romano ſaxo, vid. Grut. 180. 1. ſane is, qui obduratiſſimæ indolis eſt, ſaxum dixerit Neapolitanum, & vocem SEBETHO ab Grutero minime deterſerit. Et nunc in mentem venit non ſolum in hoc Aldino epigrammate nomen *Sebeti* confictum, ſed & in famoſis binis verbis NAMA SEBESIO, quæ in tauri collo in ſacrificio Mithræ ſcalpta de noſtro hoc parvo fluvio quidam indoctiſſimi etiam interpretati ſunt, ſcil. *fluentum Sebeti:* adiſis tutemet tot ἀρχαιολόγυς, qui de his duabus tenebricoſis ῥήσεσι ſcriptitarunt.

Præterea advertas rogo adeo parvum, & vix notum exteris noſtrum hunc ποταμίσκον fuiſſe, ut præterquam quod nec ædiculam, nec aras meruerit, nomen ipſum ingenitam μικρότητα præſeferat; ejus enim vocis fons & caput eſt trita Hebræa ῥῆσις שבת, *quietus*, hinc ἀμέσως *Sebetus*, eo quod leniſſime, & in perquam parvo alveo etiam antiquiſſimo ævo defluebat, uti nunc etiam cernere eſt, quare *quieſcere* potius videbatur. Neque credas nullius pretii id etymon, cum non uni rivi, ſive parvi id genus fluvii ab שבת nomen ſibi adquiſiverint, uti *Sabatus*, qui a Benevento fluens Volturno ſe immiſcet; & *Sabatus* in Brutiis juxta Terinam,

Digitized by Google

quos quidem ob aquarum pauperiem, & fluenti quietem id nomen nactos dicas: hinc etiam Joſephus finxit de bell. Jud. p.411. Sabatum fluvium prope Arcæam in Phœnice adeo tenuem, ut ſeptimo quoque die exareſceret, ſicuti alius Judæorum in ulteriori oriente, vide Cellar. Geogr. to.2. p.357. de reliquis fluviis, & lacubus ejuſdem nomenclaturæ conſulas Strabonis opus, vel ſaltem geographorum indices, ubi bene multi tibi ſe offerent. Neque obliviſcendum Græcos his tenuibus fluminibus ἐπιθετὸν tribuiſſe πρηὺ ῥέοντα, *leniter fluentia*, uti Orph. in Arg. Αὔταρ ἐπεὶ ποταμοῖο διὰ στόμα πρηὺ ῥέοντος· quare fatendum eſt vocem *Sebetus*, ſive *Sabatus* eſſe γενικὴν id genus minimorum fluviorum. Et ποταμίσκος hic noſter antiquis vix notus grande nomen ſibi quæſivit, poſtquam Pontanus, & Sannazarius, par vatum lectiſſimum ſuis elegantiæ plenis carminibus concelebrarunt, & quovis fluvio antetulerunt, veluti ſi eſſet Sperchius, vel Scamander, quos ubique Iliados magnus Homerus διϊπετέας ποταμούς, *ab Jove ortos*, cecinit π. v. 174. ρ. 263. φ. 268. 326. His intellectis, nil mirum eſt, ſi Lycophron Sebeti haud meminerit, utpote undarum egentiſſimi fluvii, & antiquioris hujus poetæ ævo fortaſſe ne nomine quidem noti; contra vero Clanium recitarit undarum divitem, & ab urbe Neapoli non tam longe diſſitum. Et operæ pretium eſt, ut te commonefaciam Theophilum Maurum, virum indolis erectiſſimæ in membranis antiquioribus reperiſſe Clanium non ſolummodo per Acerras, (queis nil æquus eſt,) Neapoli propinquas, ſed per campos huic nunc principi urbi longe viciniores interfluxiſſe, uti brevi in eruditionis pleno libro legere volupe tibi erit, quem labore nil pœnitendo conſcripſit ob τὴν περιθρύλλητον de vectigalibus, & regundis finibus Atellanos inter, & Neapolitanos concertationem, cujus victoriam VII. viros litibus id genus judicandis Theophilo ὁμοθυμαδὸν adſcripſiſſe amicorum optimi, & quamplurimi, quibus Mauriana familia de omnibus, deque me potiſſimum benemerentiſſima abunde floret, ac læta eſt, gratulati ſunt.

Quoniam autem nunc moris eſt τοῦ ἑβραΐζειν, ſi quis noſſe cupiat, quo a ſemine vox Clanis, vel Clanius, vel Glanis enata ſit, nil hæſitans dicerem ab Phœnicio גלינן, iiſdem στοιχείοις a radice גלל *convolvere*, & ſane fluvii volvunt ſe circa urbes, & regiones, eaſque cingunt: neque obmurmures id etymon γενικώτερον eſſe, neque rem propius tangere; etenim reponam inter epitheta fluviorum ſollemnia illud eſt audire πολυγνάμπτους, *multum ſe volventes ac flectentes*, uti memini me legiſſe in Nonni Dionyſ. & nunc quis mihi intercedat, quominus *Volturnus* ſit Latine, quod ἑβραϊστὶ *Clanius*? Hinc factum reor, ut *Clanis* nomen proprium non ſit, ſed pluribus fluviis commune, vide tum veterum, tum recentiorum geographorum indices; ita etiam tenes tot amnium nomenclaturas, quæ ab verbo ῥέω, *fluo*, eductæ ſunt. Quod nos de *Clanio*, idipſum Clericus de Nilo ſat erudite ſcripſit in Heſiodi theog. v. 338. cujus verba hic perquam opportuna legere te jubeo: „ Certe Νεῖλος non eſt nomen

„ pro-

Digitized by Google

„ proprium amnis, vox enim illa *fluvium* ſignificat, & ita in Ægypto „ vocabatur unicus ille fluvius, quo fecundabatur, *κατ᾽ ἐξοχὴν*· vide, quæ „ notavimus ad num. 34. 5. Similitudo nominis, & forte eadem ratio ef- „ fecit, ut fluvius Heſperiorum Æthiopum idem, ac Nilus eſſe credere- „ tur. Pomponius Mela lib. 3. c. 9. *In horum finibus fons eſt, quem Nili* „ *eſſe aliquâ credibile eſt. Nuchul ab incolis dicitur, & videri poteſt* „ *non alio nomine appellari, ſed a barbaro ore corruptus:* נחול *nubbul*, „ & נחיל *nubbil*, unde Νεῖλος, ſunt nomina appellativa, quæ fluvium „ quemlibet ſignificant, ut Hebraice נחל *nabbal*. Accolæ ſolent vicinum „ amnem ſimpliciter *fluvium* vocare, ac ita res ſe habuit in Ægypto, forte „ & in Æthiopia; ſed Græci, qui eorum populorum linguas ignorabant, „ nomina propria eſſe putarunt, quæ erant appellativa. „ Hæc Clericus. Idipſum dicendum de Clanio, qui cum in origine *γενικὸν* amnium nomen ſit, poſteritas veluti proprium adhibuit, ideoque aliquando cum Liri confudit, vide adnot. in Stat. p. 193. Lug. Bat. 1671. & Cluver. Ital. ant. Atque iſthæc pro Lycophronis verſus 178. luce, quem tandiu vexarunt Neapolitanorum doctiſſimi, imo præcipites hunc poetam *ἀγαωγραφώτατον* traduxerunt.

x. In verſ. 730. *Λύσει δὲ σῆμα βουκέρως νασμοῖς Ἄρης*, quem omnes verterunt, *abluet autem ſepulcrum corniger fortis*, ipſe autem contra transfudi, *abluet & tumulum corniger laticibus Ares*, vides eos interpretes vocem *Ἄρης* non accepiſſe pro nomine ipſo fluvii, ſed veluti pro adjuncto quodam, hinc reddidere *fortis*; quare ignoraremus, quinam eſſet amnis *βουκέρως*, *corniger*, qui ſepulcrum Sirenis Ligiæ abluiſſet: itaque poetæ mens eſt Ligiam tertiam puellam ad Terinam ab undis compellendam eſſe, quæ urbs propter Ocinarum fl. erat, atque *Arem* rivum hujus Sirenis *σῆμα* fore ut abluat; duos igitur amnes diſcriminat Lycophron teſtis procul dubio *αὐτόπτης*, ſicuti juxta Leucoſiam binos advertit, ſcilicet *Im*, & *Larim*. Ne legas, quotquot longiores in hunc verſum commentarios ſcripſere, ne ipſum quidem Potterum excipiam, *ἀπροσδιόνυσοι* omnino ſunt, & nullius aſſis. Et mecum ipſe longe miratus ſum Potterum, Meurſium, &c. non advertiſſe hujus poetæ ſcholiaſten falſum eſſe, imo & ſibi ipſum adverſari, dum inquit: *Ἄρης γὰρ οὐκ ἐστὶ ποταμὸς παρὰ Τέρειναν, Ἔρις δέ· ὅθεν ἐπιθετικῶς αὐτὸ ἐδέξαντο ἐπὶ τοῦ Ὠκινάρου*, *Ares enim non eſt fluvius, ſed Eris eſt: hinc eam vocem epitheti loco acceperunt, atque Ocinaro tribuerunt;* fatetur igitur Tzetzes eſſe *Ἔριν* fluvium juxta Terinam, (quæ vox parum diſtat ab *Ἄρης*,) diſtinctum ab Ocinaro: hinc quiſque facile colligeret *Ἔρις* vocabulum eſſe ab *Ἄρης* corruptum ab librariis; obliviosos damnem cum Cluverium, tum Cellarium, qui nequaquam vocis *Ἄρης*, vel *Ἔρις* meminerunt. Hic meticuloſus adderem hunc *Ἄρην* dictum *ἀπὸ τοῦ α στερητικοῦ*, & *ῥέω*, *fluo*, quaſi *non flueret* ob caritatem aquarum; itaque opportune Lycophron canit de eo potius *λύειν*, *lavare:* hinc firmatur vocem *Sebetus* æque eſſe, ac *quies*, & idem dicas Græce *Ἄρης*, ac apud Hebræos

Sche-

Digitized by Google

Sebetus; & nunc primum novimus verbum Latiale *areo* hinc etiam natum: areſcunt enim omnia, aquis minime defluentibus: riſum movet Perrottus, qui cenſet *areo* eſſe ab *ara*, *quia*, *quæ Diis adolentur*, *torrendo ſicca aridaque reddi ſolent*, cui adſtipulari videtur Voſſius in Etym. voce *ardeo*.

In verſ. 731. ineſt vox ὀρνιθόπαιδος, quam univerſi dederunt *ſemiavis* menti Lycophronis perquam infeſti; quare ipſe cum hoc vate conjurans repoſui, *gallinæ pedes habentis*. A pueris didici ὄρνις eſſe *gallina*: & fundum divitem præter lexica do Bochartum in Hieroz. par. 2. p. 125. 126. qui cum multis exemplis prolatis ὄρνις dicat valere *gallina*, addit: *Cum igitur* ὄρνις *Homero*, & *Heſiodo nihil quicquam ſit*, *quam avis in genere*, *Platonis cœpit ævo uſurpari pro gallinaceo genere*, & *per aliquot ſæcula tam de gallo*, *quam de gallina dici*, *donec obtinuit uſus*, *ut proprium eſſet gallinæ nomen*, *unde apud Athenæum lib. 9. Myrtilus*, Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας, καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας, *nunc quidem fert conſuetudo*, *ut ſolæ* (gallorum) *feminæ* ὄρνιθες *dicantur*, & ὀρνίθια· inde Bochartus laudat Ambroſium, quod ὄρνις in Evangelio interpretatus ſit *gallina*, contra ac fecerunt Hilarius, Hieronymus, & Auguſtinus. Quod cum verum ſit, vocem ὀρνιθόπαις in Lycophrone γενικωτάτως verſam vides *ſemiavis*, cum ὄρνις ſit *gallina*. Piget me oblivionis tantum virum arceſſere, qui cum opportune præſtiterit ὄρνις eſſe *gallina*, de Sirenibus ibid. p. 830. inquit: *Superiora ſunt virginum*, *inferiora* τῶν στρουθῶν, *paſſerum*, *vel ſtruthionum*, *non piſcium*, *ut vulgus putat*; fugit ipſum hic Lycophronis locus, & Heracliti de incredib. p. 74. etiam ajentis, Ὀρνίθων δὲ σκέλη ἐλέγοντο ἔχειν, licet interpres reſuderit vocem ὀρνίθων, *avium* pro *gallinarum*; quare faceſſant, qui eas deſinere in piſcem ſcripſere; & caſtigandi tandem noſtrates pictores, & ſcalptores, qui caudatam piſcium inſtar Parthenopen ubique effingunt; vide numiſmata Spanhemii, & quæ multa Nicaſius de Sirenibus collegit; vel ſi tibi non tantum otii ſit, adeas Banierium, qui omnia curate contraxit in to. 4. mytholog. p. 381. quem mendacii arceſſere haud piget, nunquam enim me ulli parſiſſe memini, qui in Homero lectitando ſocors eſt; ipſe ſiquidem ibidem pag. 382. hæc nil hæſitans divino vati appingit: *Homere . . . nous apprend*, *que le deſtin leur avoit permis de regner juſq' à ce que quelqu' un les eût trompées: que le prudent Ulyſſe accomplit leurs deſtinées . . . Il ajoûte*, *qu' elles en conçurent tant de deſeſpoir*, *qu' elles ſe precipiterent dans la mer*, *où elles furent changées en poiſſons de la ceinture au bas*; verum id ne ſomniavit quidem Homerus, tutemet conſulas ex indicibus terna loca, in queis Sirenum meminit poeta, atque inconcinna iſthæc ipſum haud dixiſſe comperies, ac Banierium de Homero malemerentem traduces.

XI. Verſus 731. & ſequentes adeo contra Græcam fidem verſi ſunt, ut videas tum verba Latiaria, tum ſententiam ad libidinem appoſita, imo &

in

Digitized by Google

in Græcanicas grammaticæ leges peccantia, præter turpe hiſtoriæ mendacium; quare ut brevis ſim, ea eſt Lycophronis mens: Mopſopum quendam claſſis præfectum Miſenum advectum Cumani oraculi monitu Parthenope Deæ curſum lampadicum indicturum eſſe nautis, qui circa Miſeni promontorium habitaſſent: quam λαμπαδρομίαν deinceps potiori cultu Neapolitanus populus celebrabit. Ac primum quidem cujuſvis ſubſellii interpretes in v.753. Κραίνων ἀπάτης Μόψοπος ναυαρχίας, duplex grande peccatum patrarunt tum in hiſtoria, tum in grammatica; etenim perquam benignas Timæo cuidam Siculo, quem refert Tzetzes, aures præbuerunt edicenti Diotimum fuiſſe hujus claſſis Athenienſis Miſenum advectæ ductorem, quando apertiſſime inquit hic poeta Mopſopum hujus claſſi præfectum fuiſſe in verbis, Μόψοπος κραίνων ναυαρχίας· & quis non iraſcatur tot interpretibus Græce gnariſſimis, qui vocem Μόψοπος caſum patrium exputarunt, atque adjunctum eſſe dictionis ναυαρχίας, ac reddidere *imperator Atticæ claſſis?* interea obliviosiſſimum traduxere Lycophronem, vetuſtum poetam, ac ſollertiſſimum, qui nomen præfecti hujus claſſis omnino reticuiſſet in noſtra Neapolitanorum, ac Cumanorum commoda peccans, ita ut ab Tzetze pro Mopſopo Diotimum emendicaremus. Quinam fuerit hic Mopſopus, & cujas, nemo divinet, id enim ſilentio preſſit Lycophron; neque de Athenienſis urbis indigena quid cogites, dixiſſet enim poeta ναυαρχίας Μοψοπίας, nam Athenæ Μοψοπίαι audiebant ab antiquiſſimo heroe, qui eis hoc nomen acquiſivit, vid. Strab. p. 608. & 676. ejuſque ſanequam doctos interpretes, qui etiam in eundem lapidem impegere, & vocem Μόψοπος in Lycophrone pro ſecundo caſu accepere, & ἐπιθετικῶς cum ναυαρχίας conjunxerunt, ficta in primo dictione Μόψοψ, quam ad barbaricas gentes amandes rogo: advertas ad quas incitas maximæ eruditionis viros unus Tzetzes redegit, qui hujus ἀβλεψίας in voce Μόψοπος in Lycophrone princeps fuit! Hinc factum eſt, ut civium meorum doctiſſimi Mopſopi hujus penitus obliti, quinam fuerit Diotimus inani prorſus labore, non parvis ſcriptis voluminibus, veſtigarint, quos inter præcellit epiſtola Jo. Baptiſtæ de Miro, quæ adjecta eſt Miſcell. obſervationibus crit. vol. 10. p. 448. Amſtelæd. 1739. quare vir hic Græce doctus omnem luſit operam.

Demum ab tribus extremis verſibus non uni ex noſtratibus ingentis famæ jureconſultis latiſſimos veteris Neapolitani agri fines ſe percepiſſe gaviſi ſunt, idque quidam brevibus, quidam craſſioribus ſcriptis commendarunt: ajunt ſiquidem ideo Lycophronem ceciniſſe plures Neapolitanos curſum lampadicum juxta Miſenum celebraturos, ibique habitaturos, quod urbis noſtræ ager ad hujus promontorium uſque extendebatur. Attamen ipſe exputem doctiſſimis hiſce viris ob vehementiſſimæ cauſæ patrocinium Græca Lycophronis perpendendi otium defuiſſe, quæ ſatis aperta ſunt, atque eorum ſententiæ adverſantiſſima, licet Latinum interpretamentum anceps ſit atque implexum: ſed cur te diu teneo? Mens Caſſan-

Digitized by Google

Caſſandræ eſt venturum Mopſopum ad Miſeni portum, atque indicturum nautis, qui in eo promontorio ſedem fixerint, lampadicum curſum, quem in poſterum majori apparatione Neapolitani celebraſſent. Porro vocula οἵ in v. 736. negotium omne faceſſivit, quam minime ad proximos Νεαπολίτας referas, quos ideo παρενθέσει cum paucis verbis concluſos vides, ſed ad πλωτῆρας, *nautas* Miſenates paullo ante v. 734. appoſitos: qua ſine παρενθέσεως medela quiſque incuſabit vatem Neapolitanæ urbis fines heroicis temporibus ad Miſenum Cumarum portum uſque extendiſſe. Nemo mihi moleſtus ſit, ſi inter parentheſin hos verſus adſcripſerim, ſententia neceſſario eam expoſcente, quo Lycophronis famæ, & exactæ ἀκριβείᾳ conſulerem, alias cerneres Neapolitanos cum Miſenatibus colonis confuſos ac commixtos, multorum lapidum intervallo diſſitos: præterea ſi has parentheſes ſæpe in Lycophrone, qui σκοτεινώτατος audit, adjicias, multa lux erit Caſſandræ oraculis; & ut exempla ab ipſo poetæ κειμένῳ, in quo verſamur, arripiam, ſimillimum teneo in voce ἀγχιτέρμονα, verſ. 127. quam niſi facias παρενθετημένην, prorſus ignoras ad κλύδωνα, an ad Τέρειναν v. 126. referas, cum poeta certo ad hanc urbem, non ad κλύδωνα, *undam*, retulerit; quod una παρενθέσεως ope a me etiam illita diſtingues.

Atque pauca hæc de longo verſuum Lycophronis contextu, quos ſuæ luci reddere aggreſſus ſum, nam his diebus de eorum interpretamento ingens Neapolitanum forum ſatis diu perſtrepuit; utinam Græce tantum ſcirem, quantum Statii noſtri pater, qui, ut habes Silv. 5. car. 3. v. 156.

> . . . . *pandere doctus*
> *Carmina Battiadæ, latebraſque Lycophronis atri,*
> *Sophronaque implicitum, tenuiſque arcana Corinnæ,*

meliora ſane dediſſem; ſed prolixiorem in hos verſus commentarium in Puteolana chorographia ſervo; & haſce nunc adnotatiunculas acceptes, veluti antecœnium. Sed ut a longo diverticulo in viam redeamus, atque animum ad phratrias advertamus, quas Lycophron tenebris ſuis ab oculis veluti eripuit; vides jure Neapolitanos *Phalero* cœtum φρητόρων non dedicaſſe, quippe qui noverant hoc nomen non herois unius ex Argonautis fuiſſe, uti Laſena, inde Peregrinius, ceterique noſtrates Scriptores in horum verba juratiſſimi edixerunt, ſed loci nomenclaturam non exiguo intervallo ab urbe diſſiti, & a *mergorum* multitudine peregrina ῥήσει vocitati φαληρίδες· quare amicorum cariſſimis factum eſt ſatis ſciſcitantium, cur adhuc in lucem tracta non ſit inter tot φρητρίας illa Φαληρειδῶν, licet Neapoli *Phalerus* omnium libris, ac vocibus celebraretur, cum ipſæ vel a Diis, vel ab heroibus, vel a novis colonis, vel etiam ab locis, ſed non tam longe ab urbe diſtantibus, uti eſt Mergilline, nomen ſibi adquiſiverint.

XII. Habes igitur de Neapolitanis fratriis tum γενικῶς, tum ſingillatim ditiſſimum commentarium, quo de tot doctiſſ. noſtrates Scriptores vel ſat

pauca

pauca delibaſſe juvit, vel ſueto magnis promiſſoribus hiatu, uti Laſenam in Gymn. plurima daturos paſſim nobis ſpondere vides, qui mos ſollemnis eſt quibuſdam id genus ἀλαζονείας venditandi, quanquam nil concoctum, aut paratum habeant oblitiſſimi Horatii *multa promiſſa levare fidem* commonentis. Reliquum nunc mihi eſt, ut quædam veluti παραλειπόμενα ſimul aggeram, inde totius longiſſimi capitis ἀνακεφαλαίωσιν adnectam. Ex his bene multis, quæ de fratriis lucidiore ordine ſimul compacta a me ſunt, ne parum quidem dubii relictum eſt, quin fratria, & fratores, in bina dumtaxat republica Athenienſium, & Neapolitanorum, collegium fuerit ἱερατικόν, nam ubique legere eſt eos numero ſat exiguos ſacrificia, numina, & res Diis dicatas tractaſſe, contrario vix profanis, & πολιτικοῖς negotiis ſe implicuiſſe: imo gratulor etiam Latinos ſemel, quod ſcio, ab rep. Neap. vocem *phetrium* ſibi commodaſſe, ut *Auguſtalium* ſacerdotum domicilio, ac templo, quod hi curabant, proſpicerent: teneo enim ab Grutero ea de re decretum adeo prolixum, ut omnem paginam 214. impleat, cujus initium eſt: VESBINIVS·AVG·L·PHETRIVM· AVGVSTALIBVS · MVNICIPI · CAERITVM · LOCO ACCEPTO · A · RE · P · SVA · IMPENSA · OMNI · EXORNATVM · DONVM · DEDIT · DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · &c. quæ verba refert etiam magnus Joſ. Scaliger de emend. temp. pag. 447. at oblitus eſt, quod nec fecit Gruterus, adnotare poſt OMNI neceſſario apponendum eſſe CVLTV, ut in decreti titulo ſententia ſtet & vigeat.

Ne otium teras, ut alibi gentium, quam Athenis, & Neapoli nomina fratriarum ſcruteris, neque Mazochii τοῦ πάνυ auctoritas te frangat in Eccl. Neap. p.144. col. 1. recitantis verba Pindari ſcholiaſtæ, Ἐμμενίδαι φατρία Θήρωνος ἐν Σικελίᾳ, ſed locum non adnotat, (qua de creberrima reticentia in tanto viro dolendum eſt;) aſſerit autem id ſcholiaſtes in Olym. δ. antiſtr. γ. & in Pyth. ς. ſtroph. α. verum quanti ducendi ſint horum grammaticorum ſcholia, norunt omnes: ſcias autem Pindarum non de fratria laudes canere, ſed de ipſis Emmenidis, qui Theronis majores fuerunt; quin & ipſe ſcholiaſtes id docet, Τηλεμάχου . . . παῖς γίνεται Ἐμμενίδης, οὗ Αἰνησίδαμος, οὗ Θήρων, καὶ Ξενοκράτης, Θήρωνος δὲ Θρασυδαῖος, Ξενοκράτους δὲ Θρασύβουλος, *Telemachi . . . filius eſt Emmenides, hujus Æneſydamus, hujus Theron, &c.* vides nil de fratria cogitaſſe Pindarum, & ſcholiaſten ſibi apprime adverſantia ſcripſiſſe; conjurat mecum Eraſmus Schmidius in comment. in Pind. p. 265. aitque Ἐμμενίδας æque eſſe, ac Αἰγεΐδας Spartanos ab Ægeo heroe dictos; quare ſolummodo locuples fides ſit de Athenienſibus fratriis Demoſtheni, &c. ac de Neapolitanis fratriis Straboni, & Varroni, totque noſtratibus litteratis lapidibus, non autem ſcholiaſtis, queis mos eſt antiquis Scriptoribus nugas ſonoras appendere.

Inter iſthæc παραλειπόμενα opportunum mihi, vera fratorum notione intellecta, proferre quatuor Ariſtophanis locos, quos & ſcholiaſtæ, &

Ssss doctiſs.

Digitized by Google

doctiſs. interpretes ſuſque deque agitarunt, at nil boni ab ipſis prolatum eſt, in Equit. v.255.

Ω' γέροντες Ἡλιασταί, φράτορες, τριωβόλου
Οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια, κἄδικα,
Παραβοηθεῖθ' ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν.

Ne cures, etiam quæ in elegantibus editionibus lectitas interpretamenta, nec Caſauboni adnotationes, & mecum vertas:

O judices Heliaſtæ, & fratores, trioboli pretio
Quos ego bonoro, clamitans æqua, & iniqua,
Opem ferte, nam ab hominibus vapulo conjuratis.

Hi verſus cariſſimi mihi ſunt, nam firmant & fratoras fuiſſe ſacerdotes; & hinc noſcimus collectitio peculio vixiſſe, imo, & quanti unuſquiſque pro ſacra eorundem vitæ ratione ſolviſſet, tres ſcilicet obolos; & jure ſervus, qui vapulat, opem implorat ab judicibus, & ab ſacerdotibus, utrique enim cœtui lites diſceptandi poteſtas erat, vide quæ de fratorum ἀγορευτηρίῳ a me dicta ſunt pag. 635. Adverte a me factum bene, quod ὑποστιγμὴν deterſerim poſt vocem τριωβόλου, atque ante ſcripſerim, & inſcite verſum eſt vulgo, *triobolares fratores*. Alter locus Ariſtophanis eſt in Avib. v.765. ubi aves hortantur homines, ut ſecum convivant, & inter ceteras ſuas beatitates enarrant inter ſe nullum eſſe ſervi a libero diſcrimen; quare ſervus proavis gloriabitur, & inter fratrias adſcribetur: atque hinc etiam novimus Atticos ſervos excluſos omnino a civium cenſu:

Εἰ δὲ δοῦλός ἐστι, καὶ Κὰρ, ὥσπερ Ἐξηκεστίδης,
Φυσάτω πάππους παρ' ἡμῖν, καὶ φανοῦνται φράτορες.
Si autem ſervus eſt, & ab Caria, ſicuti Execeſtides,
Proferet avos apud nos, & confirmabunt fratores.

Mens igitur comici ita ſe habet: ſi quis ſervus eſt, & e Caria, ſicuti Execeſtides, donabitur civitate, jactabit avos apud nos, & fratores φανοῦνται, *apparebunt*, i. e. a fratoribus acceptabitur, quorum munus erat ſui δήμου civium nomina volumini adſcribere; conſulas, quæ multa eo de more prolata ſunt pag. 596. E contrario illinam, uti transfuderunt binos hoſce verſus, in queis verba vides nil ſibi, vel parum cohærentia, & Græcæ fidei adverſantiſſima:

Si vero ſervus a Caria, quemadmodum Execeſtides,
Avos ſibi procreet apud nos, & invenientur ipſi gentiles.

Porro τὸ φανοῦνται minime παθητικόν eſt, ut tiro novit: præterea rus & ſtivam olet *procreet avos*, & ipſe ſcholiaſtes admonet hic τὸ φύειν peræque eſſe, ac ἀποδεικνύναι, *oſtendere*, piget me ingentia iſthæc peccata in magnis viris advertere: parum lucis his verbis fert Salmaſ. in jus At p.137.

Tertius Ariſtophanis locus eodem recidit in Ran. v.421.

Βούλεσθε δὲ τὸν κοινῇ
Σκώψωμεν Ἀρχέδημον;
Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας.

Quos

Quos verſus tenebricoſiſſime in Latium immiſſos intueor:

Vultiſne nos, ut una
Taxemus Archedemum?
Qui ſeptennis nondum tribules edidit.

Verum, ut brevis ſim, mens comici eſt, *an deridendus ſit publice Archedemus, qui, licet ſeptennis, nondum oſtenderat ſe fratoribus*, quo inter cives adſcriberetur, uti in more erat Athenienſibus; nam puelli ſtatim in lucem editi ad fratoras ſui δημȣ̃ afferebantur, atque ovis mactabatur, præter ceteras cæremonias, quas pag. 584. adnotavimus; (vide igitur, quam male verſum eſt ȣ̓κ ἔφυσε φράτορας, *non dum tribules edidit.*) Palmerius Græce doctiſſimus jurans in verba ſcholiaſtæ luſum videt hac in voce φράτορας, quam vult ab comico adhibitam ad riſum pro φρατῆρας, *dentes ſeptennii*, ſed gerras venditat germanas. Et ſcias adeo neceſſarium fuiſſe infantes ſtatim ad fratoras adduci, & in filiorum, & civium cenſum adſciſci, ut ſi id poſthaberetur, hereditate caderet filius; id nos docet ipſe comicus in Avib. v. *1666.*

ΗΡ. Ἐμοὶ δ' ἄρ' ȣ̓δὲν τῶν πατρῴων χρημάτων
Μέτεστιν; ΠΕΙ. Οὐ μέν τοι μὰ Δία· λέξον δέ μοι,
Ἤδη σ' ὁ πατὴρ εἰσήγαγ' ἐς τȣ̀ς φράτορας;

HER. *Ego igitur nullatenus paternorum bonorum*
Particeps ſum? PI. *Nullatenus per Jovem: dic autem mihi,*
An te pater adduxit ad fratoras?

Vetus Latiaris interpres parum vim Græcam aſſequitur, potiſſimum in voce φράτορας, quam *curiales* transfudit; quare recens interpretamentum appoſui. Vides jam tot Ariſtophanis loca antehac tenebricoſa luci ſuæ reddita, eo quod longum de fratriis commentarium, veramque earum διάγνωσιν præſtitimus.

Ut etiam atque etiam ſtabiliam φρήτορας Neapoli, & Athenis fuiſſe collegium virorum ſacris rebus addictorum, uti ὀργεῶνας, & θιασώτας alibi gentium; advertam ingenitum eſſe, atque omnium animis inditum ſibi pro reip. tum regimine, tum decoris cuſtodia & ſacerdotes creare, & peculiaria quædam nomina eiſdem impertiri; ea doctiſſimos viros officioſa ſollertia collegiſſe juvit, veluti Petitum τὸν πάνυ var. lect. lib. 2. c. 10. p. 140. qui iſthæc congeſſit eleganti titulo: *De Judæorum patriarchis, apoſtolis, archiſynagogis, patribus ſynagogarum, biereis, presbyteris, didaſcalis, archiperecitis:* & cap. XI. p. 169. *De cælicolis, eorumque majoribus, & patriarchis.* Petito addas Muratorium in Antiq. med. æv. to. *6.* p. 450. *De piis laicorum confraternitatibus*, quas inter primos adnumerat jure *fratoras*. Si de profanis ſacerdotum nominibus Scriptores quæras, adeas præter ſexcentos Vandalium in diſſert. 1. *De orig. & virib. ſacri Taurobolii*, & in diſſ. 2. *De pontifice maximo, de vicario pontificis, rege ſacrorum, &c.* quibuſcum etiam ſacerdotum feminarum nomina apponit. Quare reſp. Neapolitana, cum ſuos etiam ſacrorum admi-

Digitized by Google

niſtros habuiſſe oportuerit, ab Athenienſibus, queis ſemper æmula vixit, φρήτορας mutuata eſt; quod nec moleſtiſſimus quiſque poſthac inficiaturus eſt, præſertim, cum id nominis præter tot veteres chartas, queis illitum eſt, vel in noſtratis miſeræ & jejunæ plebeculæ ore durat adhuc. Et quis mihi non amiciſſime conjurabit inter tot nomenclaturas variarum gentium ſacerdotum decentiſſimam eſſe vocem φρήτορες, quam Athenienſes omnium ſapientiſſimi cuderunt, & Romani ipſi optarunt, quando *fratres arvales* crearunt; & præſertim cum id vocabulum ab ſancta ac præclara origine פרט defluere p. 601. oſtenſum ſit? & nil per omnem terrarum orbem magis diffuſum, ac celebrius, quam ῥῆτις *fratres*, nam quotquot Eccleſiaſtici viri ἐν τῇ κοινωνίᾳ ſancte victitant, eo nomine ſalutantur. Nec ingentis ponderis auctoritas Mazochii tibi imponat ajentis in Eccleſ. Neap. p. 241. poſt milleſimum Chriſti annum cæptum eſſe audiri Neapoli id nomen, nec in Jo. Diaconi Chronico occurrere, cum contra ſit, nam dictum a me eſt p. 633. hunc chronologum de S. Agnello adſerere, *FRATRUM Chriſti cellulas collocavit . . . & ſaponem pro labandis juris dari ſancivit*, *&c.* rogo, ut hæc relegas.

Atque adeo nomen, & veterum fratriarum inſtitutum in Neap. rep. perduravit, ut poſtquam Chriſtiani in ſanctos ritus eas verterunt, ac dedicarunt, in iiſdem templis ſervata ſint & nomina, & cœtus ipſe ἱερατικός· quare gratulabundi audimus in templo maximo, quod olim Soli, ſive Apollini dicatum regebant fratores *Eumelidæ*, nunc cum Chriſto ſervatori ſacrum ſit, adhuc celebrari, licet parum detorta nomina, *fratanciæ*, & *fratanciarii*. Idipſum dicas de φρήτορσιν *Artemiſiis*, qui Dianæ templum curabant, ἱερατικόν enim collegium in eo viget adhuc. Nec prætercam *Antinoitas*, qui locum ceſſerunt inclyto ſacerdotum cœtui ſub S. Jo. Majoris tutela; nec *Eunoſtidas*, qui reperiuntur in pomerio extra S. Januarii portam, & in ejus loci *parœcia* σύστημα colligitur ſacerdotum, qui adhucdum *fratanciarios* ſalutamus. Addas *Agarrheenſes*, quos occuparunt ἱερατικοὶ φρήτορες, qui templo S. Mariæ, quod vulgo *in Coſmodin* vocitant, addicti ſunt. Reliquas veterum fratriarum nomenclaturas tutemet nuperis *Eccleſiis* deſtines, cum id tibi nemo interdicturus ſit; nil mirum igitur, ſi vocabulum *fratanciarii* omnium civium ore, atque in antiquis membranis ab Attica, & honeſtiſſima inſtitutione accitum tamdiu concelebretur. Nunc in mentem venit me ſæpe cum amicis conqueſtum eſſe, quando doctiſſimi viri, quorum nomen recitare haud fas eſt, quinas noſtrorum patriciorum curias in publicis inſcriptionibus FRATRIAS dixere, quod ab impolitiſſimo Tutini noſtratis libro hauſtum reor, inſcripto: *Origine de' Seggi*, cap. 7. quanti pretii ſcriptor iſte ſit, nemo non novit, cum conſtet jam id nomen non profanorum virorum κοινωνίαν eſſe, ſed ſacrum paucorum civium σύστημα· quare interdicatur poſthac, quominus ἱερόν vocabulum ab inſita, priſcaque διαγνώσει deſciſcat. Pauca ex multis, quæ de fratriarum origine a me corrogata ſunt, gratulor oboluiſſe Januarium

Ma-

Digitized by Google

Majellum in ſynodo Neap. ab ipſo ſacra elegantia, doctеque conſcripta, quam conſulas pag.178. cui ſummo viro, ſi quid ſcio, lubens omne refero acceptum: & Majellorum nomen, & virtus floret adhuc, nec ſeneſcet, nec unquam interitura eſt.

Reliquum nunc mihi eſt, ut improbo hoc *fratriarum* labore perfunctus, (quem certa mihi ſpes eſt cives æqui bonique accepturos,) quædam ad grammaticam rationem ſpectantia adnectam, cur exteri ſcil. Scriptores præſertim Attici dixerint φρατρία, & φράτορες cum elemento principe, contra vero cuncta Neapolitana ſaxa, neque unum excipias, exhibeant φρητρία, & φρήτορες, inverſo τῷ α in η. Neque credas me falli, ſi adſeverem Neapolitanos, eo quod impenſe Homero ſtuduerint, eumque *fontem felici pectore biberint*, ut ait Petronius, & quanto cultu ejus poemata honeſtaverint, jam ſuperne pluribus in locis dictum mihi eſt, præſertim pag.362. potius τὸ φρητρία Homericum, quam τὸ φρατρία Atticum uſurpaſſe, uti in aliis Græcis vocibus idipſum feciſſe jam paſſim oſtendimus; neque alia hunc ſcribendi η pro α æternum tenorem ratione inniti poſſe ſcrutaberis; atque adeo ratum certumque eſt cives meos vocem φρητριῶν amaſſe, non φρατριῶν, ut etiam Latini oris gentes ſi noſtras fratrias meminiſſe oportuerit, ῥωμαϊστὶ *fretriæ*, *fretriacus*, & *fretrium* dixerint, ſonum Atticum Neapolitano poſthabentes: adeas lapides, quos pagg. *660*. *662*. *687*. adſcribere operæ pretium fuit; atque audaciæ exſors eſſem, ſi in Strabone, & Varrone, dum de Neapolitanis fratriis ſermonem inſtituunt, appoſitis vocibus φρητρία, & *fretria*, abſtergerem φρατρία, & *fratria*, haud credam enim hos duoviros ignoraſſe Neapolitanam διάλεκτον, ſed ſecordibus librariis id tribuendum, quorum aures nil religioſæ, & teretes ad communem φρατρία ſonum ſolummodo obduruerant. Neque me caſtiges, ſi de fratriis Neap. æternum commentarium intexens nunquam ipſe *fretriam* dixerim, metuebam ſane, ne omnium primus patrium, atque Homericum hanc vocem pronuntiandi morem proferrem, præſertim cum nemo meorum civium doctiſſimorum antehac *fretriam* dixerit, ſaltem ſi magnum virum Mazochium ſocium nactus eſſem, inſcripſiſſem lubens hoc caput *De fretriis Neapolitanis* veteribus ſaxis concors, & nil degener a majoribus avitum os tutatus eſſem, & ad ſolum Atticum τὸ *fratriam* ablegaſſem.

Probe factum ſcias, ſi per elementum ſimplex *f*, non vero per compoſitum *ph* vocem *fratria* ſcriptitaverim, quam licet raro admodum Latini adhibuerint, in ſaxis optimæ ætatis ita ſcalptam reperire eſt. At piget me oblitum eſſe, ut omne fratriarum negotium concludam, non advertiſſe Mazochium mihi adverſari ajentem in Eccl. Neap. p. 139. *multitudinem Neapoli*, & *in aliis Græcis civitatibus in* φρατρίας *diſpartitam eſſe;* verum jam multis firmatum a me eſt in una urbe Athenarum, nec *multitudinem*, ſed paucos cives ſacris addictos vocari φρατριῶν· & conquerendum etiam eſt tantum virum ibid. pag. 140. illeviſſe Neapolitanos

pro-

procudiſſe voces *συμφρητρίας*, & *συμφρήτορας*, quas neque Neapoli, neque uſquam gentium me reperiſſe lubens fateor. Quid ſit *ἐν Φρεάττῳ* vid. Potteri Archæol. l. 1. c. 20. in fin. nil enim mea refert. Atque iſthæc veluti *παραλειπόμενα* longiori huic capiti appendiſſe ſatis ſit: hic autem ſanequam indoleſcendum eſt, cum tot fratriarum noſtrarum, & regionum nomina, & ſitum repererim, haud vires, nec tantum facultatis mihi ſuperfuiſſe, ut ſpecimen urbis noſtræ topographiæ ſollerti cura in æs affabre inciſum, inde in membranam typographorum opera translatum, uti in more eſt, legentibus offerrem; quanto facilius ac celerius omnia, quæ a me per partes explicata ſunt, juncta ſimul, & brevi ſpatio concluſa oculos oblectarent, animique mentem afficerent! atque haud ſcio an in Græcia ipſa, atque in Italia urbem invenias, quæ, (Romam facile excipiam,) ſitum, ac nomina regionum, templorum, Deorum, ſacerdotum, & bene multas id genus Græcanicæ vetuſtatis reliquias ſervet, & cum Neapoli comparari poſſit. Ceterum cum hic totius hujus ſexti capitis *ἀνακεφαλαίωσις* adſuenda eſſet, quoniam iſthæc *παραλειπόμενα* præter ſpem increviſſe novi, ad cap. ſequentis initium eam rejiciendam laboris pretium ratus ſum.

****

C A P U T VII.

Planetarum imagunculæ Regiæ thecæ calamariæ appoſitæ, eo quod vir aſtrologus ejus poſſeſſor fuerit: Neapolitanos ſiderum ſtudio perdite indulſiſſe oſtenditur: ætas vaſculi divinatur, ejuſque ſingulare pretium commendatur.

I. LONGISSIMI *excurſus ἀπολογία. Veteres opificiis quibuſque Deos præſides & tutelas addixiſſe exemplis pateſit, ac in annulis, lucernis, & vaſculis ſuæ profeſſionis ſymbola incidiſſe, atque appoſuiſſe; qui mos & apud Chriſtianos viguit: Clementi Alex. lux.* II. *Locus ſat tenebricoſus in actis S. Theoduli de ejus annulo illuſtratur, contra ac ſenſere Bollandiani, ac Mazochius, præſertim in vocibus ἐπιφανεῖ, & ὀδυρόμενος, queis ſatis affectis parum opis hi ſummi viri attulere. Infeliciſſime exſcripti lapidis Chriſtiani ſententia, quem ethnicum rati ſunt Gruterus, & Mazochius, antehac ignota facile extunditur. Querelæ de Mazochio ajente Chriſtianos uſos in annulis nomine* יהוה. III. *Regiam hanc thecam calamariam aſtrologi vaſculum fuiſſe non unis documentis firmatur: Kirchmannus oblivionis arceſſitur.* IV. *Eo quod Regii hujus σκευαρίου Neapolitanus poſſeſſor fuit, oſtenditur rempub. Neap. perdite Chaldææ arti ſtuduiſſe ex Horatio, & potiſſimum ex plurimis Petronii locis ſtrictim collectis. Burmannus notatur.* V. *Ἐπίθετον* otioſa *uni Neapoli attributum æque valet, ac* Chaldææ arti dedita: *Virgilius aſtronomiæ ſtuduit. Vox* otia *ab Tacito pro Chaldæa arte adhibita; hujus vocabuli* otium *notioni adſtipulatur Phaleſgica origo* עית, & עותה. VI. *Kalendarium perpetuum Trimalchionis expenditur, & illuſtratur, quod utpote Neapolitanum, Lunare, ſive Atticum fuiſſe oſtenditur: querelæ, quod ſummi interpretes commentarios ei attexere auſugerunt. Petronio multa lux in vocibus* III. ET PRID. KAL. IAN. *Neapolitani ritu Attico menſium*

ſtum dies diſpenſaſſe etiam Tullio teſte nunc primum palam fit. VII. *Trimalchionis cœnam Neapoli celebratam apertiſſimis documentis evincitur*. Herculis portus *peraque eſt*, *ac* Herculaneum. *Quid* Platanon. *Ἀγκλανὸν non eſt collectivum loci nomen, uti ratus eſt Mazochius*. VIII. *Ex Hebone Neapoli enixe culto, ex M. Tullio, ex litterato lapide noſtrate, licet corruptiſſimo, qui adverſus Reineſium longiori commentario illuſtratur, & ex Statio Neapolitanos otio aſtrologico omnimodam operam dediſſe evuitur: Arati aſtronomiæ principis poeſis noſtra in urbe celebratiſſima. Etiam Vaſſallianum atramentarium inter cives meos ſiderum curam viguiſſe abunde præſtat*. IX. *Æterna lis componitur, cur Symmachus Neapolim reli*gioſam *ſalutaverit: Peregrinio acerrime reſiſtitur: Ambroſius in hac vocis notione cum Symmacho conjurat: mirum ſane eſt etiam Mazochium Symmachi mentem non aſſecutum. Arduum divinare, qua ætate reſp. Neapolitana omnino Chriſtiana evaſerit. Quid in Homero vox ſingularis τείρεα*. X. *Ætas Regii vaſculi multis veſtigatur, quam antiquiſſimam dicimus, præſertim tum ex Auroræ icuncula, tum quod Saturnus princeps planetarum in eo inviſitur, præter artis ἐμπαιστικῆς opificium*. XI. *Cur vaſculum noſtrum ſit octogonum, cum ſeptem dumtaxat imagunculis fulgeat. Regiæ hujus thecæ calamariæ pretium ſingulare, tum quod id genus vaſcula nuſquam cimeliarchiorum invenire ſit, tum quod ornatius atque elegantius deſperandum ſit: binorum atramentariorum, quæ Herculanei nuper reperta ſunt, plena deſiderii mentio. Operis totius ſumma*.

I. PERFUNCTUS jam in binis ſuperioribus capp. non illiberali gravique labore, quo patria decora antehac poſthabita, utpote in libris præſertim Græcis, vel in ignotis antehac litteratis lapidibus latentia in lucem proferrem, tandem ad Regiæ thecæ calamariæ negotium iterato illuſtrandum aggredior, quaſi qui a via diu aberrarim, nunc in eam ingrediendam lætiſſime revocatum me ſentiam; atque extremum hoc caput, ac jucundius tam inſigni vaſculo dedicare rei ordo poſtulat; & antequam id opus ſuſcipiam, me parumper ἀπολογούμενον, & hujus exorbitantiæ cauſam tutantem indulgentiſſimus ſuſtineas. Porro ordinis virtus, ac σεμνότης erat, ut hanc binorum ſuperiorum capitum materiem omiſiſſem, quippe quæ rei atramentariæ importuna, imo & adverſantiſſima, ita ut jam reprehendas me offendiſſe in vitium, quo *placidis immitia coire* fecerim. Verum tuam obteſtor legentis fidem pauca cogitanti mihi pro Neroniani numiſmatis luce, quod æque ac atramenti vaſculum variis metallis conflatum erat, & appoſitum vides pag.408. ſenſim illa omnia obverſata eſſe, atque abdito quodam igniculo paucis amicorum noto ad Græcanicæ patriæ decus illuſtrandum etiam adactum fuiſſe, ut quid hilare ac lectu jucundum huic operi intermiſcerem, ne omne thecæ calamariæ opus in atrum ac tetrum, a quo cœperat, argumentum defineret. Ceterum niſi mearum rerum amor ſubleſtus ſit, atque me tranſverſum abripiat, haud tam importuna & ἀπροσδιόνυσα, quæ hic de Neapolitanorum reipublicæ libertate, de Helleniſmo, &c. tandem de fratriis adjeci, quiſque exputabit, ſi penſitarit hic jure adſuta, eo quod pag.362. probandum ſuſcepi Regium vaſculum Neapolitanum opificium fuiſſe; imo & in hoc cap. oſtendam poſſeſſorem etiam civem aſtrologum; quare nemo non conjurabit recte factum eſſe, ut formam

mam ac ſtatum Neap. civitatis, nec non & decora pateſacerem; ita enim melius argumenti ratio conſtabit; atque ſpes erat me facilius, quod intenderam, adſecuturum. Verum quoquo modo ſeſe res habeat, id unum optarem, ut quid boni de Neapolitanorum Græcanicis antiquitatibus, & non ab aliis occupatum protuliſſem; tunc ſiquidem vel moroſiſſimi, etiamſi res loco ſuo non tam belle ſederint, ac fixæ ſint, eas jucunde perlegerent, & decenti, qua utuntur libertate φιλολόγοι, lubentes parcerent.

His breviter animadverſis, extremi hujus capitis argumentum aggredior ſat feſtivum & liberale, reſque plures perpendere animo ſedet, nim. quinam fuerit hujus noſtræ thecæ calamariæ poſſeſſor, & licet nomen lateat, cujus tamen ſectæ ac muneris fuerit, facile divinabitur; & quoniam a Neapolitanis σκευάριον fabrefactum jam dedimus, oſtendam bene multis, quam præcipiti ſtudio cives veteres in res aſtrologicas & Chaldaicas arſerint. Ætatem etiam vaſculi veſtigabimus, & felicioribus ſæculis elaboratum bonis conjectationibus firmabitur. Demum pauca habebis de ejus octogona facie, licet planetarum icunculæ ſeptenæ ſint: itaque hoc ultimum caput varietate multarum rerum te alliciet, veluti poſt longiſſimam cœnam non unæ ſimul commixtæ cupediæ, & τρωγάλια. Negotium ſat protritum, & adoleſcentes norunt, (ut rem aliquanto altius repetam, quo vaſculi noſtri poſſeſſorem firmem,) veteres feciſſe Deos ſuos unicuique artis opificio, ac muneri præſides, atque addixiſſe ἐπιστάτας ac patronos: hinc ad tædium tot eorum Deorum ἐπιθετὰ legere eſt, uti Ἑρμῆς ἀγοραῖος, vid. Lucian. in Jove Tragœdo; nam ut ait ſcholiaſtes Ariſtoph. in Equit. ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ ἵδρυται Ἑρμοῦ ἀγοραίου ἄγαλμα· eadem de re non te fugiat Heſychius, & Suidas in voce ἐπιστάτης· erat etiam γυμνασίων ἐπίσκοπος, uti paſſim in Antholog. atque, ut epigrammatis flore te exhilarem, acceptes id Niciæ lib. 4. c. 12. 36. ubi puelli Mercurii ſignum præſidis gymnaſii variorum florum corollis honeſtant:

Εἰνοσύφυλλον ὄρος Κυλλήνιον ἐπὺ λελογχὼς
Τῇδ' ἕστηκ' ἐρατοῦ γυμνασίου μεδέων
Ἑρμῆς, ᾧ ἔπι παῖδες ἀμάρακον, ἠδ' ὑάκινθον
Πολλάκι, καὶ θαλερὰς θῆκαν ἴων στεφάνους.

Neque oblivifcenda Hermathena Tulliana, hujus maximi oratoris bibliothecæ peculiare ornamentum in epp. ad Att. 3. 6. 7. 8. lib. 1. Et quis a teneris non didicit Mercurium fuiſſe mercatorum numen, imo & latrunculorum? Et in mentem revoces etiam librarios, ſive ταχυγράφους hunc Deum tutelam ſibi elegiſſe, & jam tenes ſcriptoria inſtrumenta, calamos, thecas atramenti, &c. eidem appoſita, relege tot Græca epigrammata longiori commentario a me illuſtrata pag. 209. & ſeqq. Præterea habeo ab Euſtathio in v. 455. Od. ρ. olim juxta caminos appoſitos fuiſſe Vulcanos fictiles, utpote δαίμονας ἐπιστάτας fabrorum ferrariorum; atque in Antholog. lib. 4. ἀπὸ μαγείρων non unum ineſt epigramma, in quo etiam coqui ſui miniſterii ὄργανα Vulcano dedicant, & citharœdi Phœbo;

bo ; verum id argumentum protritum nimis eſt , & piget me ea de re iſthæc adnotaſſe, nam vel tirones ſatis ſunt Gruterianos indices evolvere, ac Fabricianas bibliothecas, unde ſexcentena id genus Deorum προςατῶν miniſteria corradi poſſent.

Verum rem propius tangamus , poſthabitis etiam quarundam civitatum ſymbolis, veluti cicadis Athenienſium, quas ipſi gemmis, & ubique rerum, vaſorum &c. incidebant, imo aureas capillis inſerebant, ea de re vide bene multa in Thucid. ſcholiis, & in adnot. edit. Dukeri pag.6. & plurima ac quæſitiſſima, quæ Perizonius Æliano adjecit p.381.382. & poſthabitis præterea ſphingibus, quæ cariſſimæ erant Thebanis, adeas adnot. in Statium verſ. 252. lib. 8. Theb. & ſcarabæis Ægyptiorum bellatorum propriis, vid. Ælian. Hiſt. anim. lib.10.c.15. his, inquam, miſſis, evolvendum edico libellum Jo. Kirchmanni de Annulis cap. 12. & 13. opus plurimarum horarum, ubi vir laborioſus collegit ſexcenta annulorum genera, in quorum gemmis quidam vel artem , vel fortunæ ſuæ fatum , vel majorum ſuorum inſigne facinus, &c. ſcalpſerunt; ſed ipſius Kirchmanni verbis utar: *Ut rem in pauca conſeram, quod cuique in mentem veniebat, hoc, vel illo apoſphragiſmate utebatur; plerumque tamen, ut cl. & doctiſſimus Meurſius notavit, eas annulis ſignaturas inſculpebant, quæ ſibi convenirent vel ob eventum quempiam, vel artem , quam factitarent, vel munus, quod gererent*, ita Kirchmannus pag.72. & Scriptorum locos utriuſque linguæ δαψιλῶς aggeſſit, quos fere omnes Franciſcus Junius miræ lectionis vir pagg. 114. & 115. exſcripſit, ne dicam, expilavit, nihilque de Kirchmanni labore, & memoria benemeritus eſt; quod peccatum nollem in magno Junio me , nam minuti ingenii turpitudo eſt , deprehendiſſe.

Inde pag.73. Kirchmannus pauca exempla præſtat annulorum Chriſtianorum, in queis etiam ipſos ſcalpſiſſe conſtat ſymbola, quæ ſe a gentibus diſtinguerent: & Clementis Alex. egregium, ac longiuſculum locum recitat mihi ſat opportunum in Pædag. lib.3. c.x1.p.289. Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῶν ἔςων πελειαὶ, ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς ὀυρανοδρομῦσα, ἢ λύρα μυσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἡ ἀγκύρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ· κἄν ἀλιεύων τὶς ᾖ, Ἀποςόλȣ μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. Οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται· ὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον τοῖς εἰρήνην διώκȣσιν, ἢ κύπελλα τοῖς σωφρονȣ̃σιν. Πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάςων γεγυμνωμένȣς ἔχȣσι τȣ̀ς ἐρωμένȣς, ἢ τὰς ἑταίρας, ὡς μηδὲ ἐθελήσασιν αὐτοῖς λήθην ποτὲ ἐγγενέσθαι δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων διὰ τὴν ἐνδελεχῆ τῆς ἀκολασίας ὑπόμνησιν, quæ ita verſa ſunt : *Sint autem nobis ſignacula columba, vel piſcis , vel navis, quæ celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel ancora nautica, quam inſculpebat Seleucus ; & ſi ſit aliquis, qui piſcetur, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum ſunt imprimendæ facies , quibus etiam adhærere prohibitum eſt ; ſed nec enſis,*

Digitized by Google

vel arcus iis, qui pacem perſecuntur; nec pocula iis, qui ſunt temperantes. Multi enim libidinoſi nudatos habent amaſios, vel amicas, ut ne ſi velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes poſſint, quod libido eis perpetuo in mentem revocetur: quæ quidem habes in edit. Potteri. Abſtergam tum in Græcis, tum in Latinis, quæ ſententiæ Clementis infeſta ſunt: ναῦς ὀυρανοδρομοῦσα, *navis per cælum currens*, hoc ἐπιθετὸν audaciſſimum eſt, repone nullo negotio ἀνεμοδρομοῦσα, vel ut ſanarunt interpretes οὐροδρομοῦσα, quod idem valet: illepidiſſime converſa ſunt verba: κἂν ἁλιεύων τὶς ῇ, Ἀποςόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων, *& ſi piſcans aliquis inſit, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur*; piſces enim, non pueri ex undis capiuntur; quare reſtituas δίκτυον ἀνασπωμένων, *rete ſubducentium*; atque ea eſt verborum ſententia: ſi quis in annulum piſcatorem inciderit, in mentem revocat Petrum, & Apoſtolos rete a mari trahentes; reſpexit enim Clemens ad Joan. c. 21. v. 5. & 6. ubi Chriſtus piſcantes Apoſtolos παιδία ſalutavit; mirum cuique futurum eſt Potterum haſce interpretamenti labes ab ſua præclara Clementis ἐκδόσει minime deterſiſſe, vel quid adnotaſſe. Nullius pretii æſtimes, quæ appoſuit Hervetus in comment. pag. 88. *Si inſculpatur autem in gemma ſignum piſcantis, meminerit, qui geſtat annulum, Petri, quem Chriſtus fecit piſcatorem hominum, & puerorum, qui baptizati ex aquæ lavacro, ſeu piſcina extrahuntur*; omnia turbat Hervetus, nunquam Chriſtus Apoſtolos ſalutavit piſcatores puerorum: & vox παιδία in Joanne valet æque, ac *miniſtri*; nec eſt *blanda compellatio*, ut ratus eſt Grotius, ſed reſpondet ῥήσει נערים, quæ γενικῶς ſe habet, uti advertit Caſtalio. Ceterum mea intereſt, ut advertas etiam Chriſtianos ſanctis ſymbolis uſos, quo ab gente ethnica diſcriminarentur, quæ plerumque profanis ſcalpturis utebatur, vide tot rerum Chriſtianarum ἀρχαιολόγους, qui grandia volumina de his ſignis compegerunt. Si vero ab hac multorum librorum copia te expedire optes, adeas primos præſertim tomos Antiquit. Criſtian. doctiſſimi Mamachii.

II. Ne mihi intercedas, ſi te parum teneam, quo lux ſit actis S. Theoduli, de id genus Chriſtianorum ſcalpturis loquentibus, nam mihi lis eſt cum magno viro Mazochio in Kal. Neap. p. 154. & ut quid novi addam Kirchmanni documentis: ita Bollandiani Græca dederunt pag. XLII. die 4. April. p. 322. poſtquam dictum eſt dormienti Theodulo annulum ignotæ materiæ manui divinitus inditum eſſe: Δακτύλιός τις ἐξ ὕλης καινοτέρας, ἔχων δὲ ἐπὶ τῆς σφενδόνης σφραγῖδας, δι' ὧν, οἶμαι, κατεμήνυσεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ὅτι παρ' αὐτοῦ τὸ δῶρον τοῦ τὰ τέσσαρα ςοιχεῖα διοικοῦντος· εἰ γὰρ σὺν τούτῳ μόνον ἦν ἐπιφανεῖ ἀνδρὶ πάθος ἀνίκητον ἀποδυρόμενον, μὴ τῇ παρουσίᾳ πρὸς ἀπαλλαγὴν ἤρκει τῆς νόσου, atque ita ii doctiſſ. viri verterunt: *Annulus erat ignotæ materiæ habens in pala ſigillum, quo reor univerſorum dominum indicaſſe eſſe ab eo munus, qui elementorum quaternario imperat: ſi enim hunc ſolum habenti illuſtri viro gravis, ac deſperatus morbus obveniſſet,*

ſola

ſola ejus præſentia ſufficiebat ad morbi depulſionem: Mazochius ita contra aſſurgit: *Bollandiani correxerunt*, μόνῃ τῇ παρȣσίᾳ . . . *ſed quanto facilius fuit pro* μὴ τῇ παρȣσίᾳ *leviſſima mutatione ſcribere* μή τι (*quod* nedum *ſignificat*) παρȣσία, *recto caſu*, *&* *adjecta* ὑποστιγμῇ. *Deinde ſic totus locus verti ad verbum poteſt : Vel enim cum hoc* (annulo) *tantum*, *ſi cui illuſtri viro morbus inſuperabilis ac deploratus incidiſſet*, *nedum* (Theoduli) *præſentia ad morbi depulſionem id ſatis erat* . Sed quis ferat tam Bollandianos, quam Mazochium perbene Græca callentes tam inopem medelam affectiſſimis verbis feciſſe ? quare meo diſcrimine ea ſic aptes: Εἰ γὰρ σὺν τȣ́τῳ (δακτυλίῳ) μόνον ἂν ἐπιφαυεῖ (Θεόδȣλος) (vel potius ἐπιφανῇ) ἀνδρὶ πάθος ἀνίκητον ἀποδυρομένῳ, μή τι (vel μή τι) παρȣσίᾳ πρὸς ἀπαλλαγὴν ἤρκει τῆς νόσȣ , *Si enim ſolum cum hoc* (annulo) *auxilio foret* (Theodulus) *viro*, *qui pertinaci morbo laboraret*, *etiamſi haud præſens adfuiſſet*, *nil aliud opus eſſet ad morbum expellendum:* licet hi ſummi viri ſententiam aucupari viſi ſint, tamen a vocabulorum vi longe abiere; etenim ἢν ἐπιφαυεῖ, ſive melius ἂν ἐπιφανῇ non eſt ſane uti nomen adjungendum τῷ ἀνδρὶ, nec vertendum *illuſtri viro*, ſed ῥῆμα eſt ab ἐπιφαίνω, *accurro*, quod tritum eſt : & ne lexicorum opem implores, tenes a Dione Caſſio edit. Reim. pag. 242. lin. 31. Κἀν τȣ́τῳ ὁ Κάσσιος ἔς τι τὴν ὁδὸν, δι᾽ ἧς ἀποπορεύεσθαι ἔμελλον, ἐλόχισε· κἀνταῦθα ΕΠΙΦΑΝΕΙΣ σφίσι μετ᾽ ὀλίγων, ἔς τι δίωξιν αὐτȣ̀ς ὑπηγάγετο, quæ vertenda ſunt: *Interea Caſſius collocatis in via*, *qua tranſituri erant*, *inſidiis*, *cum parva militum manu iis* AUXILIO FUIT , *atque ad inſequendum pertraxit*. Sane ſi ἐπιφανεῖ adjungas ἀνδρὶ, & dicas *illuſtri viro*, ſat avarum incuſes elementorum dominum, qui Theodulum annulo donavit, ut illuſtribus viris, non vero ignobilibus opem ferret. Vox ὀδυρόμενον tum in ſyntaxi, tum in ſignificantia mire laborat, etenim πάθος ὀδυρόμενον nuſquam Græcarum gentium reperies, cum ὀδύρομαι, ſit *angor*, neque res inanimas dicat quis ὀδύρεσθαι, *angi*, quare jure a me leviſſima mutatione τῷ ἀνδρὶ copulata eſt: id autem verbum eadem notione adhibitum Homero cariſſimum ſcias, quam ubique ejus poeſews reperire eſt, ſat tibi ſit unum exemplar deguſtare v. 315. Il. β. Μήτηρ δ᾽ ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα· imo leviſſimum negotium erat huic affectæ voci mederi, cum inter ἀνίκητον, & ὀδυρόμενον conjunctionis particula nulla exſtet; ſed parcas viris multa, & grandia ſcribentibus.

Pro re nata in mentem venit etiam in lapidibus vocem ὀδυρόμενος in eadem ſententia ſcalptam, in Gruter. p. 1129. 1. ubi iſthæc verba incompta viſuntur, & nil bonis characteribus deformia, imo & ab duabus erectis manibus inter ſe diſtracta ſunt: optabam porro characterum deformitatem hic ex optimo ſcalptore expreſſam apponere, ſed operarum feſtinatio prohibuit, ſed facile eſt unicuique in ipſius Gruteri theſauro eos inviſere; ſi vero aliquantulum in hujus marmoris interpretamento te morer, futurum fortaſſe, ut te non pœniteat.

Digitized by Google

ΟΥΝΟ
ΜΑCΟΙ ΚΑΠΙΤ ΩΛΙC
ΘΕΟC Ε ΝΕΡΓΟΥ ΔΕΠΕΠΕ
ΙΕΠΑΡΕ ΧΩΝ Τ ΑC ΝΟΤΟΥ
ΧΑΡΙΤΑCΦΕ ΝΙΠΟC ΚΑΙΚΑΠΙΤΩ
ΚΕΜΑΡΚΕΛΛΟC ΠΕΔΕCΟ Ι ΦΑΝΙ ΟΓ ΟΔΥ
ΡΟΜΕΝΟΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤ—ΜΝΗΜΗC ΧΑΡΙΝ

Hanc epigraphen ipſe Gruterus reſtituere inibi fruſtra adlaboravit : ſed quatuor ab hinc annis vir mihi amiciſſimus, ope etiam Mazochii implorata , uti ipſe candidus fatetur , in docto libello ſuo nitori reddere aggreſſus eſt , atque iſthæc tanquam ex Sybillinis foliis extraxit : *Ουνομασα Καπιτωλις Θεος εξ εργων επι επεται παρεχων τας νοτου χαρμας Φαινιππος και Καπιτων και Μαρκελλος παιδες ορφανοι οδυρομενοι γλυκυτατη μνημης χαριν·* & vertit : *Nomen tibi* (eſt) *Capitolis Deus* (tuus tutor) *ex difficultatibus* (vitæ te abeuntem) *juxta ſequitur præbens* (modo) *auſtri gaudia Phænippus & Capiton & Marcellus filii orbi lugentes dulciſſimæ memoriæ cauſa* (matri poſuerunt) ; vir clariſſimus neſcio , quæ de genio tutelari Capitolidis, de auſtrali plaga, de inſulis Fortunatis, & de Elyſiis commentatus eſt ; ſed poſt longum ejus commentarium adhuc marmoris ſententiam deſideramus , qua de etiam mei penſi ſit periculum facere, non ut amico contra eloquar, ſed ut Græcanica monumenta, quæ partes meæ ſunt, non tam prave exſcripta circumferantur.

ΟΥΝΟ
ΜΑ ΣΟΙ ΚΑΠΙΤΩΛΙΣ
ΘΕΟΣ ΕΞ ΕΡΓΟΥ ΔΕΧΕΤΑΙ
ΣΕ ΠΑΡΕΧΩΝ ΤΑΣ ΠΟΘΟΥ
ΧΑΡΙΤΑΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΣ ΚΑΙ ΚΑΠΙΤΩΝ
ΚΑΙ ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΡΦΑΝΟΙ ΟΙ ΟΔΥ
ΡΟΜΕΝΟΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΜΗΤΡΙ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ

NO
MEN TIBI CAPITOLIS
DEVS EX ANGVSTIA EXCIPIT
TE PRAEBENS DESIDERII
GRATIAM PHAENIPPVS ET CAPITO
ET MARCELLVS FILII ORBI MOE
RENTES SVAVISSIMAE MATRI MEMORIAE ERGO

Itaque marmor Chriſtianum prorſus dicas, non ethnicum, uti quiſque ratus eſt, & luxatiſſima vel tiro ſic componeret, nulla litterula vel inſuta, vel detracta, & miror Mazochium id non vidiſſe, atque amico communicaſſe.

Vel

Digitized by Google

Vel luſcitioſus cerneret τὰς πόθυ χάρτας Chriſtianorum φράτιν eſſe præter ſententiam totius lapidis, quæ Eccleſiaſticæ pietatis plena eſt; & eadem verba, atque indolem in marmore vides in Grut. pag. 1050. 3. licet ſit paullo prolixius: *D. M. Aurelio Balbo vita integerrimo, moribuſque ornato, qui ſe quietioris perfectioriſque vitæ deſiderio ex negotiis civilibus, in quibus fuerat cum laude verſatus, Jovis op. ma. beneficio ducto, hic in ſpe reſurrectionis quieſcenti locus publice datus eſt;* hanc epigraphen inter Chriſtianarum claſſem jure adſcribit Gruterus, licet injuria id neget Scaliger, cum vox *reſurrectio* id aperte oſtendat: interea vides, quantum lucis ſibi mutuo præſtant gemellus ſilex Græcanicus, & Latiaris, ita ut alter eſſe alterius interpretamentum videatur.

Noſtra vero intereſt, ut unde dilapſi ſumus, redeamus, & poſtquam advertimus vocem ὀδυρόμενος etiam in ſaxis adhibitam, ut in S. Theoduli actis, adnotare etiam Chriſtianos ſua ἰδιώτατα ſymbola habuiſſe, uti erat δακτύλιος S. Theoduli habens σφραγῖδας, δι' ὧν, οἶμαι, κατήμυνεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ὅτι κἀρ αὐτῷ τὸ δῶρον τῷ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα διοικοῦντος, κ. τ. λ. Si a me, quas cœlaturas hic annulus habuiſſet, quæras, lubens reponam id me ignorare, nec actorum Scriptor nos docet: magnus Mazochius ibid. docte more ſuo hariolatur ſcalptum fuiſſe in annulo nomen Dei Hebræis characteribus יהוה; ſed hæc divinatio difficultatibus ſat affligitur; etenim ne unum quidem exemplum præſtare ſatis ſum, quo Chriſtiani iis characteribus Dei nomen ſignarent, millena ſymbola in tot marmoribus quotidie nanciſcimur ex ſacris cœmeteriis, & nihil litterarum præter famoſas illas A, Ω, & Chriſti nominis XP ſimul commixtas, illud יהוה nuſquam repertum, quod ſciam, nec in tot ſacrarum rerum ἀρχαιολόγοις unquam vidi. Si autem acta dicant Θεὸν τέσσαρα στοιχεῖα διοικοῦντα dediſſe annulum, haud ſcio, an hinc ſine periculo colligat Mazochius ſcalptum in eo τετραγράμματον יהוה, nam videtur auctor actorum nomine quatuor elementorum indicaſſe Dei poteſtatem omnimodam, atque in res univerſas, nec non & in morbos imperium. Adde non adhucdum me in Græcis cujuſvis ævi Scriptoribus inveniſſe σφραγῖδας eſſe *characteres*, ut inquit Mazochius, ſed ſolummodo *ſcalptas quaſvis figuras navis, lyræ, & cujuſvis animantis, &c.*

Provocat Mazochius ad acta S. Pionii in eodem doctiſs. opere Kal. p. 91. ubi proconſul jubet hunc martyrem prodere Dei Chriſtianorum nomen, cui Pionius repoſuit prodi non licere; hinc vir ſagaciſſimus arguit martyrem ideo illud reticuiſſe, ne ſi pronuntiaret *Jovam*, proconſul *Jovem* crederet, ac merito ei ſacrificandum cogeret. Verum voluiſſem, ut Mazochius unum, aut alterum teſtem protuliſſet ab veterum Chriſtianorum libris Græcis, Latiniſque, in queis illitum ſit Deum dici *Jovam;* ſi unam excipiat epigraphen Aurelii Balbi paullo ſuperius adſcriptam, in qua inſolentiſſimum nomen *Jovis* eſt pro Chriſtianorum Deo; hinc νοθείᾳ eam damnare Scaligero viſum eſt. Ceterum id genus actorum ſcri-

pta

Digitized by Google

pta tam reconditæ eruditionis myſteriis, & divitiis carere quiſque novit, & ad mores potius conformandos exemplo martyrum apta, quam ut ingenii noſtri vires exerceant. Demum ita conqueritur de his actorum verbis male diſtinctis in Ruinarto Mazochius: *Non licet, prodi: ſed removenda eſt meo periculo diſtinctio ante illud Prodi, ne videatur eſſe imperativus a prodeo, quod ineptiſſimum fuerit; ac junctim pronuntiandum, Non licet prodi, a Prodo ſcilicet;* verum librarii error eſt in Ruinarto, & Bollandiani ante Mazochium στιγμὴν illam importunam jam eraſerant, vid. Febr. 1. pag. 42. edit. Ven. Sed a ſemita in viam; vides tum ab Clementis Alex. verbis, tum ex actis S. Theoduli etiam Chriſtianos in annulis ἴδια ſigna ſcalpſiſſe, queis a gentibus diſtinguerentur; & ad ethnicorum vaſcula, unde dilapſus ſum, redeundum eſt.

Annulis addam lucernas, & rogatum te cupio, ut iterato, non ſemel lectites opus Paſſerii viri doctiſſimi, & comitatis pleni æternali rumore dignum de Lucernis fictilibus, qui ex tenui re antiquitatem omnem miro, aptoque ordine commonſtravit, ac digeſſit, atque in Prolegom. cedro dignis docet p. XXII. *veteres habuiſſe in lucernis domeſticis inſculpta ornamenta, Deorum imagines, &c. pro ſuperſtitione, & inſtituto privatorum.* Neque abs re mea alienum putarem converrere veterum utriuſque linguæ Scriptorum teſtimonia, quibus docemur vel affixa, vel inſculpta ſepulcris ſymbola ſtudiorum, ſive ἐπιτηδευμάτων defuncti, nimirum arma militibus, nautis remum & tubam, ſphæram & cylindrum mathematicis, canem Cynicis; verum iſthæc ſat protrita, & Kirchmannus in lib. 3. c. 18. de funer. id genus ſepulcrorum emblemata bene multa congeſſit. Idipſum veteres in ceteris vaſculis, veluti in poculis, (quod & adhucdum viget,) feciſſe teneo a Cic. lib. 5. de fin. cujus verba mox opportunius proferam.

III. Quæ cum ita ſe revera habeant, ut tandem prolixus ſermo, quo tendat & collineet, ſcias, ipſe, poſtquam omnigena exemplorum vi præſtiti veteres affixiſſe cuivis vaſculo, atque inſtrumento ſui ἐπιτηδεύματος, vel artis ſymbola, vel imagines, ne Chriſtianis ipſis exceptis, haud in animum induco meum quemquam mihi moleſtiſſimum fore, ſi edicam Regium hoc noſtrum atramentarium ſeptem hebdomaticis planetis ſplendidum *aſtrologi* vaſculum fuiſſe, quæ ars, & deliramenta omnino in planetarum ratione verſabantur, meritoque hujus fructuoſiſſimæ facultatis inſtrumenta aſtris condecorabantur; eodem prorſus modo, quo Epicuri familiares, ejuſque hæreſim ſectantes in quavis ſupellectile magiſtri ſui imaginem apponebant, ita Cicero ſuperne laudatus: *Nec tamen Epicuri licet obliviſci, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in anellis habent;* vides jam quis ardor, ſive κακοήθεια inerat unicuique ſuæ profeſſionis ſigna σκευαρίοις affingendi.

Ne autem credas me adeo irato Apolline natum, ut preſſius documentum, ac veluti ſi ipſe mihi aptaſſem, quo hanc thecam calamariam

ὅλως

ὅλως aſtronomici muneris fuiſſe adſeverem, minime ſcrutatus ſim, cum Græcorum Scriptorum ditiſſima penus ſit : ab Philoſtrato in vit. Apollonii Tyanenſis lib.3. c.41. appoſitiſſime narratur hunc aſtrologorum, ſive magorum omnium principem toto orbe περιβόητον ab Jarcha ſeptem annulos dono accepiſſe ſeptem planetarum nominibus inſignes, eoſque ſingulos geſtaſſe Apollonium, ut dies hebdomadis id ferrent : Φησὶ δὲ ὁ Δάμις καὶ δακτυλίους ἑπτὰ τὸν Ἰάρχαν τῷ Ἀπολλωνίῳ δοῦναι τῶν ἑπτὰ ἐπωνύμους ἀστέρων, οὓς φορεῖν τὸν Ἀπολλώνιον κατὰ ἕνα πρὸς τὰ ὀνόματα τῶν ἡμερῶν. Vides jam nil fuiſſe acceptius aſtrologis, atque hujus furfuris hominibus, quam vaſcula, & inſtrumenta planetis diſtincta, queis deinde imponerent ſimplicioribus, ut crederent quemque ex iis Diis dierum præſidem ac dominum eſſe, vimque ſuam exſerere. Nil mirum igitur poſthac, ſi vaſculis etiam atramentariis ſeptena hæc aſtra ex argento affixerint, quo majorem arti ſuæ ope hujus pretioſioris metalli facerent fucum: atque reor in deliramentis ſuis ſcriptitandis illum Deum atramentarium ſibi adverſum appoſuiſſe, qui diei dominio fruebatur, uti Apollonius diales anellos permutabat.

Porro, antequam ab Philoſtrato diſcedam, cui nihil non debeo hujus ſeptem aſtriferorum annulorum monumenti gratia, miror Kirchmannum illud fugiſſe, quod certe opus ſuum ampliore luce perfudiſſet, licet tot alia exempla annulorum non ſine fructu collegerit; verum *non omnia legimus omnes*, *nedum meminimus*, ut doctiſs. D'Orvillii verbis utar in Charitonem p. 421. Neque dubites, quin Apollonius Tyanenſis in aſtronomica re ſatis operæ luſerit, cum nos doceat Philoſtratus ibid. illum quatuor libros de ea divinationis diſciplina ſcriptitaſſe : Καὶ ξυγγράψαι μὲν ἐκεῖθεν περὶ μαντείας ἀστέρων βίβλους τέτταρας, ὧν Μοιραγένης ἐπεμνήσθη. Et adverte, quantum etiam atramenti hoc Regium vaſculum his aſtronomicis ſtribliginibus ſcribillandis ſuffecerit! Inducendam prorſus reor adnotatiunculam cl. Olearii in hunc Philoſtrati de ſeptem annulis Tyanenſis locum, qui ἀποτροπαίους interpretatur illorum nomina fuiſſe *ſcripturas Taliſmanicas averruncandi mali*, *vel procurandi boni ſcalptas*, quando ævo Apollonii Taliſmanorum uſum nondum invaluiſſe conſtat; vide diſſertat. Paſſerii in opere de gem. aſtrif. qui ea de re nova omnia, & eruditiſſima procudit, atque ipſe ſumma voluptate, & fenore iterato perlegi. Adiſis, quæ multa etiam de his Apollonii annulis a me cap.1. lib.2. pag.310. dicta ſunt.

Teneo præterea, qui æque uberior teſtis eſt, ac Philoſtratus, Diogenem Laertium narrantem Menedemum ſive philoſophum, ſive magum, quo artis ſuæ (τερατείας) ſigna præferret, adnexuiſſe pileo duodena Zodiaci στοιχεῖα, adeo id genus homines ope ſiderum non tantum vaſculis ſuis, ſed veſtimentis etiam adfixorum ſimplicioribus imponebant : ſed Laertii verba, quo brevis ſim, adnectam, jucunda enim lectu ſunt: pag. 364. ſegm. 102. Μενέδημος Κολώτου τοῦ Λαμψακηνοῦ μαθητής· οὗτος (καθά φησιν Ἱππόβοτος) εἰς τοσοῦτον τερατείας ἤλασεν, ὥστε Ἐριννύος ἀναλαβὼν σχῆμα περιῄει

περιῄει λέγων ἐπίσκοπος, (al. κατάσκοπος) ἀφῖχθαι ἐξ ᾅδου τῶν ἁμαρτανομένων, ὅπως πάλιν κατιὼν ταῦτα ἀπαγγέλοι τοῖς ἐκεῖ δαίμοσιν· ἦν δὲ αὐτῷ ἡ ἐσθὴς αὕτη, χιτὼν φαιὸς ποδήρης, περὶ αὐτῷ ζώνη Φοινικῆ, πῖλος Ἀρκαδικὸς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων ἐνυφασμένα τὰ δώδεκα ςοιχεῖα, ἐμβάται τραγικοὶ, πώγων ὑπερμεγέθης, ῥάβδος ἐν τῇ χειρὶ μειλίνη, *Menedemus Coloti Lampſaceni diſcipulus: hic, ut ait Hippobotus, tanta prodigioſæ ſuperſtitionis vi agitatus eſt, ut ſumpto furiæ habitu circumcurſaret dicens ſpeculatorem ab inferis emerſiſſe iis, qui ſcelera patrarent, ut rurſus deſcendens hæc dæmonibus illic degentibus narraret. Erat autem ipſi id indumenti, pulla tunica talaris, adſtricta punicea zona, pileus Arcadicus in capite habens intexta duodecim elementa, cotburni tragici, barba promiſſa, baculus in manu fraxineus*. Ne dubites, quin hic δώδεκα ςοιχεῖα ſint *Zodiaci aſtra*, adeas adnotationes ſummi viri Menagii, qui, corrogatis tot Scriptorum exemplis, id firmat; ſicuti etiam vocem *elementum* valere *aſtrum* oſtendit apud Latinos, & provocat etiam ad Salmaſium de annis Climactericis, rejicitque quorundam ſententiam δώδεκα ςοιχεῖα *duodenos characteres* interpretantium; quare ſuſpicio mihi ſubit τέσσαρα ςοιχεῖα in annulo S. Theoduli fuiſſe etiam quatuor *aſtra*, vid. ſup. p.*696*. Interea advertas aſtrologos & magos ſideribus adeo ſtuduiſſe, ut & privatim, & publice ea oſtentarent, ut admirationi populo eſſent, ac deciperent.

Quæ cum ita ſe haberent, & aſtrologi ubique ſidera creparent, & σκευαρίοις, & veſtibus etiam affigerent, haud inficiandum atramentarium hoc Regium cujuſdam fuiſſe in hac arte magiſtri. Et nollem, ut quis mihi infeſtus vivat, objiciatque, ſi artifex hujus thecæ calamariæ Neapolitanus exſtiterit, ut ſuperius pag.*364*. multis præſtare adniſus ſum, ſe nuſquam veterum Scriptorum legiſſe Neapolitanos in planetarum divinatione, ac γοητείᾳ otium triviſſe. Attamen ego id objectanti lætiſſimus reponam veteres meos cives, eo quod Græcanicam omnimodam, ac elegantem vitam viverent, (uti ſat multis in cap.2. par.2. hujus lib.2. oſtenſum eſt, & nunc aperte vides, an probe factum, ſi tantum membranarum impenderim, ut Neapolitanum Helleniſmum, quem doctiſſimi viri clam & cuniculis impetierunt, tutarer,) tempus omne luſiſſe in ſiderum arte, eique enixe ſtuduiſſe. Et quis adeo hoſpes eſt in hiſtoria, ut ignoret ab Græcanicis unis civitatibus Romam præſertim aſtrologos ab impp. accitos? & ipſa id genus hominum nomina ſtatim vides Græcam διάγνωσιν præferre; notum eſt Tiberium ad Rhodios navigaſſe, atque otium luſiſſe apud Thraſillum, ejus artis magiſtrum, quem deinde utpote ſiderum callentiſſimum Romam abduxit, ac inter intimorum cenſum eſſe voluit, Tac. ann. l. *6*. c. 20. 21. ſed adeas, quæ de iſto Thraſillo, & de ejus arte adnotavit in Dion. magnus Reimarus pag. 783. & p.*861*. Et quotquot hariolos, Chaldæos, mathematicos, aſtrologos, γόητας, &c. referunt Suet. Tac. Dion. ceterique hiſt. Aug. Scriptores, Græcos omnes fuiſſe reperies: vide l. 3. Cod. de maleſ. & mathem. & Cod. Theod. eod. tit. & quid de his legib. diſputat

tat

Digitized by Google

tat Gothofredus ; & ſi tibi otium eſt , & pectus patientiſſimum , evolvas opus Salm. de ann. climacter.

IV. Sed miſſis iis, quæ ad reliquas Græciæ gentes ſpectant de aſtrorum ſcientia, mei penſi. eſt, ut patefaciam, quod antehac ignotiſſimum erat, Neapolitanos præ ceteris civitatibus longe ardentius Chaldæam artem excoluiſſe, corraſis undique ab antiquis Scriptoribus documentis, quæ plurima & maxima miror tot noſtrates viros, qui res patrias magnis voluminibus honeſtare adniſi ſunt, licet ob oculos verſarentur, minime advertiſſe; & ſpondeo me bonam lucem tum exteris, tum noſtratibus membranis, quæ ab veteribus de Neapolitanis moribus conſcriptæ ſunt, acquiſiturum; & licet priſcas civium meorum nugas, ſive deliramenta lectites, ita eadem exornare in animo eſt, ut nec tædio tibi, nec ſatietati futura ſperandum mihi eſt. Ab Horatio lyricorum principe mihi cariſſimo incipiam, qui epod. 5. v. 42. canit tantum hanc artem amaſſe Neapolitanos, ut etiam advenis mulierculis hanc aſtronomicam fatuitatem profitentibus fidem dederint, imo fortaſſe in urbem invitarint: quare poeta jucundiſſimus civibus meis iratus id otium tanquam illiberale exprobat, & quod Foliæ feminæ Ariminenſi, Canidiæ anus comiti planetariam artem ac magicam jactanti, ac ſidera Theſſalis verſibus excantanti crediderint:

Nec defuiſſe maſculæ libidinis
Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quæ ſidera excantata voce Theſſala,
Lunamque cælo deripit.

Si igitur Neapolitani tanto ſtudio ſagas & divinatrices colerent, quas a longinquis urbibus etiam accitas vides, quanto majori divinatores? quorum miniſteriis niſi apprime vacarent una cum toto vicino oppido, (quod Herculaneum fuiſſe inferius dicam,) nec Foliam excepiſſent benigne, nec Horatius eorum ſtupori adverſaretur.

Neque ex uno tantum Horatii teſtimonio conſtat Neapolitanos aſtronomicæ arti, & præſtigiis affatim, ne dicam perdite indulſiſſe, quo probem in vaſculis, & ubique inſtrumentorum ſidera appoſuiſſe; ſed & bene multa me collegiſſe gratulor ex Petronio. Et quidem ſi mens animi tibi ſit lectitandi cap. 39. longus ſatis eſt hic auctor in deſcribendis Zodiaci ſignis, deque eorundem poteſtate & vi in hominum genituram, cum lepide Trimalchionis cœnam deſcribit, quam Neapoli fuiſſe inſtructam & totius orationis contextus, & frequentiſſimi interpretes oſtendunt: ipſeque etiam mox huic opinioni gravius pondus addam. Præterea in ejuſdem Satyrico nihil aliud occurrunt, niſi vetulæ maleficiis famoſæ, veluti capp. 17. & 18. Quartilla, ejuſque ancilla operto capite incedentes, quæ cum oſtium impellerent, tandem occulta arte ſera ſponte ſua delapſa cecidit, recluſæque ſunt ſubito fores. Non mihi obliviſcendus duplex locus cap. 129.

Digitized by Google

qui cum Horatio conjurat, dum de Folia Ariminenſi maga, an de Neapolitana ſaga dicat, dubium mihi eſt: *Lunamque cælo deripit* Hor. locus Petronii eſt: *Solent fieri & præcipue in hac civitate, in qua mulieres etiam Lunam deducunt:* & cap. 135. etiam Enothea anus oratione ligata, & proſa, dum vim maleficiorum ſuorum commendat, canit: *Lunæ deſcendit imago Carminibus deducta meis;* videtur ex Horatio, & Petronio Neapolitanarum vetularum proprium fuiſſe in Lunam imperium.

Præterea in variis capitibus circa Satyrici finem deſcribit venuſte ac lepide Petronius Enotheæ ſagæ præſtigia, interque cetera ſcorteum faſcinum; opportune igitur Folia ejuſdem artis improbæ ſcientiſſima a Neapolitanis anibus amice excepta fuit. Et, ſi lubet, conſule cap. 131. inibi legere eſt Chryſidem ſagam cum licio varii coloris filis intorto ad cervicem vinciendam, & circa ſexcentas veneficas nocendi artes ſollertem, quas hodiedum a noſtratibus mulierculis etiam apparari audio. Ceterum ea erat frequentia Neapoli feminarum ſacro ac magico huic miniſterio addictarum, ut prope cryptam, qua Puteolos itur, ſacellum Priapi exſtiterit, ubi nocturnæ quædam cæremoniæ celebrabantur profanis interdictæ: quare narrat Petronius Quartillæ ancillam conqueſtam fuiſſe, quod advenæ ea ſacra inſpexerint, ac turbarint, cum non licuiſſet inſpicere, ſibique ſpem eſſe Deos pœnam ſumpturos, dum *ſua regio* (Neapolitana) *tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius inveniatur Deus, quam homo*. Rogaris, ne credas Burmanno pag. 232. de Jove καπβάτῃ, dum magnus vir hunc locum Petronii male extendit ad terram omnem, cum de una Neapoli intelligendus ſit; ait enim, ut mihi præſtes fidem: *Et aliquando etiam deſertum fuiſſe cælum, ut omnibus fere in terra verſantibus Diis, ſi Petronio fides cap. 17. terra tam plena præſentibus numinibus, ut facilius Deum, quam hominem poſſis reperire*, hæc Burmannus contra fidem Satyrici. Demum ancilla rogat ſupinis manibus, ne illa ſacra, & nocturnas religiones jocum & riſum faciant, neque tot annorum ſecreta traducant: hæc ex Petronii cap. 17. 18. excerpta ſunt. Et nunc primum novimus, cur Statius apponit urbi noſtræ ἐπιθετόν *ſecretam*, dum eleganti carm. 8. lib. 4. Silv. v. 6. laudat Menecraten ob novam prolem: *Nec ſolum feſtas ſecreta Neapolis aras ambiat, &c.* reſpicit poeta arcanas haſce, & nocturnas coitiones, ac initia, quæ ab his mulierculis celebrabantur.

Hic autem animadvertendum jubeo me collegiſſe ex Petroniana lectione Neapolim noſtram fuiſſe plenam jocis, & quarumcumque ſuperſtitionum ſtribligine; omne genus Deorum ita cultum, ut plura eſſent numinum ſtatuæ, quam homines: exſtitiſſe plures ſagarum centurias, quarum magicæ hilaritatis frequens comitium in Priapi ſacello indictum lego, ceteraque ſexcenta id genus ſacra, quæ ab ea civitate excoli ſolerent, quæ inter pacis artes innutriebatur, atque gymnaſia, theatra, & ſpectacula ſemper meditabatur, nec unquam bellorum tumultus concoquiebat, nec armorum ſtrepitus, vel ſaltem fori jurgia. Non mirum igitur, ſi etiam

Nea-

Digitized by Google

Neapolitani, eorumque præſertim uxores norint cælo Lunam deducere, & in aſtronomicæ artis diſciplina, & ſiderum μορφώτει diligentiſſimi audiant apud Petronium, ac ſi non una vaſcula ſideribus ornata fabrefecerint, & nuper bina atramentaria reperta ſint.

v. Hinc ſi mihi mens non læva ſit, ἐπιθετὸν illud famoſum noſtræ urbi a non uno vate ſæpe adjectum *otioſa* exputo valere *ſuperſtitioſam*, jureque Virgilius *otium* Neapolitanum *ignobile* traducit in extremis Georg. IV. carminibus, *Me dulcis alebat Parthenope . . ſtudiis florentem ignobilis otj;* non ut vulgus interpretum ratus eſt, qui de litterarum, ac poeſeως ſtudio vatem loqui adſtruit, cum damnandus eſſet Maro, ſi humaniores diſciplinæ *ignobiles* ſibi forent; præſertim cum ipſum Neapoli Græcas artes, & Homericas ῥαψῳδίας addidiciſſe dubio procul putandum ſit: neque te vexet vocula *florentem*, nam γενικῆς notionis eſt, uti vocabulum *plena*, & ubique legimus *florentes ære catervas*: & Græce tenes ϛρατὸς χαλκοπληθὴς, vid. ſup. pag. 194. Hinc poſthac haud miror, cur apud inferioris ævi noſtrates Scriptores inveniam Virgilium magicæ artis callentiſſimum audire, ita ut, quæ admiranda in noſtra urbe viſuntur, ab eo conſtructa ſint, uti Neapolitana immenſi operis crypta, &c. fortaſſe majorum documento. Mitto, quæ de urbis noſtræ Neapolis effigie in olla vitrea incluſa, & Virgilii magi opera fabricata memorat Arnoldus Abbas Lubecenſis in hiſtor. Slavorum lib. 4. cap. 19. Id autem hic haud prætereundum eſt fortaſſe ideo veteres, uti Hadrianum hiſt. Aug. to. I. p. 19. in captandis ſortibus Virgilii carminibus uſos, quippe qui noverant hunc vatem Neapoli & Græcas litteras didiciſſe, & divinandi artem hauſiſſe, hinc tanquam a Sibyllinis foliis ſcrutari futura ſibi blandiebantur. Ceterum quis ignorat Maronem rerum ad ſidera ſpectantium gnariſſimum fuiſſe, ejuſque ſcientiæ grande ſpecimen præbuiſſe in Georgicis, & præſertim in primo, (ubi cæli partes omnes, ac planetarum orbes enumerat, & vel bonam, vel triſtem eorum vim lectiſſimis carminibus portendit:) & magica quæque etiam perbene calluiſſe, dum in ecl. 8. *pharmaceutria* inſcripta pæne eadem hujus artis deliramenta, quæ Petronius deſcribit, graphice enumerat? quæ omnia quis in Neapolitano otio eum didiciſſe poſthac inficiaturus eſt, cum ipſe in noſtræ Parthenopes ſinu altum, atque excultum lubens canat?

Huic interpretationi facem tulit Horatius, cujus *verbis* ineſt *vivax gratia*, & *cautus* eſt in iis *ſerendis* de Art. Poet. etenim tunc dicit Neapolim *otioſam*, cum illa excepit lubentiſſime magam Foliam, omnemque ei fidem præſtitit: frigeret enim ſententia, ſi dum magicis inaniis Foliæ Neapolis ardenter ſtudet, *doctam* appellaret Horatius, ſed belle ſibi conſtat, dum *ſuperſtitioſam* traducit. Porro optares, ut hujus notionis vocabulorum *otium*, & *otioſus* non priva Horatii auctoritate, ſed utpote prorſus antehac ignotam, & inſolentem alio Scriptoris exemplo fulciam; & ſiquidem, niſi egregie fallar, me eam etiam in Tacito ſcrutatum eſſe animus

Digitized by Google

blanditur Ann. lib. 13. c. 20. licet hujus verba tot doctiſs. interpretes inſuper habuerint : ne tædio tibi ſit longiuſculum ejus κείμενον perlegere, quanquam circa triplex Neronis ſceleribus marcidi facinus verſetur: *Ceterum abolitos paullatim patrios mores , funditus everti per accitam laſciviam, ut quod uſquam corrumpi, & corrumpere queat, in urbe viſatur , degeneretque ſtudiis externis juventus , gymnaſia , & OTIA, & turpes amores exercendo, principe, & ſenatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiſerint , ſed & vim adhibeant . Proceres Romani ſpecie orationum, & carminum ſcæna polluantur , quid ſupereſſe , niſi ut corpora quoque nudent, & cæſtus aſſumant, eaſque pugnas pro militia, & armis meditentur? An juſtitiam augurii, & decurias equitum egregium judicandi munus expleturos , ſi fractos ſonos , & dulcedinem vocum perite audiſſent? Noctes quoque dedecori adjectas, ne quod tempus pudori relinquatur, ſed cœtu promiſcuo, quod perditiſſimus quiſque per dies concupiverit , per tenebras audeat .* Igitur Tacitus terna iſtius imp. ſcelera enumerat, atque deſcribit: immutatas ſcil. bellicas exercitationes in *gymnaſia* poetarum : auguriorum ſanctitatem , queis bellorum exitus prædicebantur, in *otia*, ſive divinorum mendacia; & Romani pudoris decus in perditiſſimos ac nocturnos *amores*. Sane niſi *otia* hic pro futili divinandi arte accipias, cui notum eſt totum ſe devoviſſe Neronem, hiſtorici triplex κόμμα langueſceret, eaque vox nec vim ullam, nec decorem præferret.

Præterea neſcio, quid hujus ignobilis ſignificationis latet in originatione hujus vocis *otium*, quæ ἀμέτως ex Phaleſgica radice pullulat, עותה ſcilicet, *deceptio*, *perverſitas*, & עות, *decipere*, & eccleſiaſtice *ſubvertere*, quod proprium eſt ſagarum, atque id fæcis mulierum; a quibus conqueritur Horatius Neapolitanos facile deceptos , atque omne vicinum oppidum, quod Herculaneum interpretor; Herculanenſes enim omnes ad audiendam, viſendamque hanc magni nominis veneficam Neapolim magnis itineribus accurriſſe reor, quippe qui fere, ac Neapolitani huic magicæ diſciplinæ operabantur ; etenim Petronius cap. 106. narrat in *porticu Herculis*, (de quo inferne pauca addam,) ridiculoſa ſatis, & ſuperſtitioſa a Tryphæna factitata, ut *tutela navis placaretur*, quare merito ait Horatius gentem omnem Herculanenſem Neapolim adventaſſe, quo de Folia ejuſdem farinæ muliercula benemereretur, officioſeque eam coleret. Adde, niſi quid ſignificationis peculiare, & nihil commune voces *otium* & *otioſa* Neapoli adjectæ clauderent , ſed in ſueta notione eſſent, neminem ſatis futurum, ut præſtet, cur una Neapolis ab Scriptoribus tam proſæ orationis, quam ligatæ *otioſa* ſalutetur, neque unquam Athenas, Alexandriam , Berytum, & ſexcentenas æque doctas urbes id ἐπίθετόν conſecutas reperies; quare niſi ad Chaldæam artem Neapoli omnimode cultam confugias , omne otium ludes, quo quid opportunius, ac veritati proximius veſtigaveris.

VI. Porro tantam Neapolitanos ſideribus præſtitiſſe fidem, eiſque ſtuduiſſe traditum eſt, ut etiam inter cœnæ hilaritatem de Zodiaco cogitarent,

Digitized by Google

tarent, vid. Petronium cap.39. ſed quod pro re nata appoſitiſſimum eſt, inquit quoque Arbiter cap. 30. dum de oſtio Trimalchionis loquitur: *Duæ tabulæ in utroque poſte defixæ, quarum altera, ſi bene memini, hoc habebat inſcriptum*, III. ET. PRIDIE. KAL. IAN. G. NOSTER. FORAS. COENAT, *altera Lunæ curſum, ſtellarumque ſeptem imagines pictas, & qui dies boni, quique incommodi eſſent, bulla diſtinguebantur:* hunc illuſtrem Petronii locum admirandæ lectionis vir Salmaſius in ſuum de Ann. climacter. grande opus comportat, verum nihil adnotat: Arbitri interpretes multa aggerunt, ſed καίρως ἀκαίρως, apponunt etenim hic importuniſſimos nummos gentis Claudiæ, quos pag. 343. nos jam attulimus, & late illuſtravimus; & Burmannus, quæ de iiſdem commentatus eſt Spanhemius, non vidit: nodus ineſt in eo, quod Petronius, cum jam Lunam meminerit, inde non ſex planetas, ſed ſeptem vult depictos in poſte; quare merito verba Arbitri crucem figunt legentibus. Sane mihi videor, abſit verbis odium, nodum ſolviſſe, mentemque Petronii facile adſecutus: Trimalchio enim oſtio appenderat kalendarium perpetuum, ut hodie vocamus, ſcilicet menſes, & dies totius anni, ita ut cum *curſum Lunæ* pinxerit, *menſes* intelligas; cum ſeptem *ſtellarum imagines*, ſeu planetarum, *hebdomadis dies*; uti cernere nunc eſt in noſtris faſtis; quod clare eruitur ex ipſis Petronii verbis: etenim Trimalchio *commodos* (καπρὰς), atque *incommodos* (μελένας) dies nigra, vel alba bulla diſtinguebat; omnes igitur anni dies depictos oportuit in tabella per ſuos menſes diſtinctos: (hinc novimus in Propert. 2. eleg. 20. v. 63. &c. ſtellam *ſalubrem*, & *commodam* eandem eſſe, ac *diem*;) neque te mordeat me per *Lunæ curſum* menſes accipere, cum Romani ſolummodo Solarem annum noverint, Lunarem nunquam curarint; etenim Trimalchio Neapoli in urbe Græca degebat, & vel tirones norunt Græcos annum menſos fuiſſe per Lunæ curſum, & Lunarem annum *Atticum* vocitari: probe igitur conſtat, cur Petronius dixerit *Lunam*, & *ſeptem*, non vero *ſex* ſiderum *imagines*, quod tam duriter atque immiſericorditer torſit interpretes.

Hinc multa colligo, nunc primum nos didiciſſe priſcos Neapolitanos ad Atticum morem annum diſpenſaſſe, ſicuti habuiſſe notum jam erat fratrias, ludos, aliaſque Athenienſium inſtar πολιτείας atque inſtitutiones: præterea planetas diales non per ſymbola barbarica, uti in faſtis nunc appingimus, ſed per ipſas imagines, uti vides in regio noſtro atramentario, & fortaſſe pro Sole Auroram, appoſitos in poſtibus Trimalchionis, ut ſollemne erat Neapolitanis, & pag.361. &c. ut non ſpernenda rationum vi probatum eſt: demum eleganti opere conſtructa id genus kalendaria, utpote pluries depictis ſeptem Deorum imaginibus elegantiſſima; hinc etiam Naſo canit *faſtos* fuiſſe *pictos*. Nollem autem, ut cogites Trimalchionem per ſeptenos planetas dies menſis, atque anni diſtinxiſſe, eo quod hujus liberti ævo illos enumerandi per ſidera mos viguerit, quando plurimis a me præſtitum eſt ſuperiori lib. 2. cap. 1. veteres ſolummodo

Digitized by Google

do dies planetis dedicaſſe, nunquam autem per eoſdem connumeraſſe; neque huic ratæ jam ſententiæ adverſantem dicas Petronium, imo mecum conjurantem potius vides; etenim Trimalchio per ſiderum ἑβδομάδα menſes diſcriminavit, ut noſceret, quinam illorum dierum planetis addictorum *commodus* eſſet ac *bonus*, quis *incommodus* & *lævus*; ſermo igitur ei eſt deſidereorum Deorum in dies dominio, non autem quod ab iis numinibus ea hebdomas nomen adipiſceretur: ceterum id luculentiſſime eo cap. multa documentorum vi oſtenſum eſt, quod ut evolvas vellem, quo iſthæc cariſſima Petronii verba omnimoda donentur luce.

Nec aufugiam, quod mihi quis facile objectet: ſi Trimalchio in tabella ante oſtium affixa commeminerit verba Latina, III. ET PRID. KAL. IAN. &c. me tranſverſum iviſſe, cum ratum credam Græcanicum kalendarium Neapoli viguiſſe, cui enim non notum eſt Græcam gentem kalendas ignoraſſe? Verum vel puer facillime reponeret Petronium Latiali ore Satyricon ſcripſiſſe, neque unquam Græca uſurpaſſe; quare quos ambos dies *III. & prid. Kal. Jan.* Attico ritu ſcripſerat libertus ille, ad Romanorum faſtorum uſum detorſit: & quem fugit ſollemne eſſe Latinis Scriptoribus univerſis res Græcorum geſtas enarrantibus horum dies, & menſes in Romanum morem invertiſſe? Imo vel qui lapidariam diſciplinam vix deguſtavit, didicit Latiarem gentem in Græcis urbibus ſæpe vocabula νωνῶν, εἰδων, & καλανδῶν patrium inſtitutum perſequentes, Græcis licet peregrina, adhibuiſſe; & ne ad exteros lapides provocem, conſulas noſtratem adſcriptum ſuperne pag. 612. ab Romanis in fratria Eumelidon. ſcalptum, ubi vides προ ε ειδων Μαρτιων.

Contra adeo ratum dicas γνησίυς & αὐτόχθονας veteres Neapolitanos menſes, & annos Atticorum norma menſos eſſe, ut ipſe primus e longiſſimo marmore noſtrate, quotquot ſunt, præclariſſimo, licet antehac a nemine perlecto ob eorum, qui exſcripſerant, grandia σφάλματα, ac quamplurima, cui ipſe omnem medelam feci, in vitamque reſtitui pag. 624. ut ipſe primus, inquam, ab hoc marmore kalendarium Atticum civibus meis firmarim, ex quo ſane multa lux nunc Petronio eſt: iſthæc enim nitide legere eſt, Τὺς δὲ χαλκὺς οἱ δανειτόμενοι κατωφερέτωσαν ἐν τῇ ἑβδόμῃ τȣ̃ Πανθεῶνος μηνὸς ἱςαμένȣ, *nummos autem, qui mutuum dare optant, conferant die ſeptima Pantheonis incipientis*. Itaque Neapolitani menſem Πανθεῶνα habebant inflexum, uti erant illi Atticorum Γαμηλιῶν, &c. ac diſciſſum vides in δεκάδας ternas ἱςαμένȣ, μεσȣ̃ντος, & φθίνοντος, a Neapolitanis prorſus poſthabitis nonis, idibus, & kalendis, ceteriſque Romanorum enumerandi dies ritibus, quos uni Romanenſes inquilini in Græcis urbibus adhibuiſſe viſi ſunt. Jure igitur Trimalchionem in kalendario Neapolis, urbis Ἑλληνικῆς & Ἀςυκῆς, ut vocat Philoſtratus, quem retuli pag. 498. &c. Lunæ curſum depinxiſſe narrat Petronius, atque hac de re multam illi habemus gratiam.

Et ſcias me plenum lætitiæ fructum percepiſſe, qui, ut quotquot a me

dicta

dicta ſunt de Lunari Neapolitanorum anno, tibi certa ac ἀκίνδυνα redderem, incidi, dum aliud peragerem, in Verr.2. c.52. ubi Tullius, qui teſtis audit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, adſeverat cum Siculos, tum reliquas ætatis ſuæ Græcas civitates, quas inter, niſi Atticæ Neapolitanorum virtutis æmulus cives meos minime adſcribet, Lunari anno uſas eſſe: *Eſt conſuetudo Siculorum, ceterorumque Græcorum, quod ſuos dies, menſeſque congruere volunt cum Solis, Lunæque ratione, ut nonnunquam, ſi quid diſcrepent, eximant unum aliquem diem, aut ſummum biduum ex menſe, quos illi* ἐξαιρεσίμους *dies nominant; item nonnunquam uno die longiorem menſem faciunt, aut biduo. Quæ cum cognoviſſet novus aſtrologus* (Verres), *&c.* Atque haud ſcio, an majori luce Trimalchionis kalendarium adſpergere quis potis eſſet: interea civibus meis abunde gratulandum eſt, eo quod in cenſendis diebus Ἀττικωτάτως etiam fuiſſe repererim: & iratus vivo tot doctiſſimis Petronii interpretibus, quod nihil pro hujus Satyrici loco adnotarint. Miraris fortaſſe me ad tantam exemplorum opem aggerendam ſatis fuiſſe, ſane nec ipſe tot ſperabam, quo veteres cives meos aſtrorum viribus, & magicis rebus inſignem operam dediſſe palam facerem; velim tamen, ut hinc non repuţes id genus ſtudiorum tunc temporis male audiviſſe, præſertim in libera, & religioſiſſima civitate Græcanica; cum ſcias Cæſares ipſos aſtrologos impenſe coluiſſe, & de ſua, & filiorum genitura ſæpe conſuluiſſe, licet inde ob grandem petulantiam, ſæviſſimis legibus ex urbe ejecti ſint, & capitalis, atque invidioſi criminis rei evaſerint: vide Schultingium in collat. Moſaic. & Rom. leg. tit. xv. Probe igitur Neapolitani, qui huic aſtrorum diſciplinæ perdite ſtudebant, vaſculis ſuis, & præſertim atramentariis vel æneis, vel marmoreis, vid. pag. 17. planetas affixerunt.

VII. Scio poſſe in dubium vocari, an ipſa re Trimalchionis cœna Neapoli celebrata ſit, præſertim, cum nullius urbis expreſſe meminerit Petronius in iis, quas habemus Satyrici longiores partes: verum ipſe bene multa ſelegi, quibus omnis ambiguitas, quin Trimalchio in hac urbe degerit, diſpellatur. I. enim dicitur cap. 52. libertus iſte habuiſſe Cumanum prædium, & hortos Pompejanos, & interpretes accipiunt, quos inter Heinſius, de oppido Pompejorum, qui æque, ac Cumæ non longe a Neapoli viſuntur, imo media inter utrumque oppidum hæc urbs interjacet, ut quando Trimalchio populoſiſſimæ urbis tædio afficeretur, ad lætiora, & non tam civium referta oppida facile ſe reciperet. II. Legere eſt in cap. 100. & 101. amicos Trimalchionis cum Tryphæna navim Tarentinam aſcendere; igitur libertus hic in urbe maritima degebat, quod contra eſt eos, qui cœnam Capuæ fuiſſe contendunt; ex maritimis urbibus haud alia excogitari poteſt opportunior huic liberto ditiſſimo, quam Neapolis amœniſſima, & libera urbs, & Græca hilaritate nobilis: cum præſertim cap. 81. dicatur: *In diverſorio Græcæ urbis jacerem deſertus*, atque etiam interpretes conjurent de Neapoli accipiendum.

III. Me-

III. Meminit etiam Petronius loca non pauca proxima Neapoli, veluti cap. 106. *Herculis Porticum*, quem ceteri Scriptores appellant *Herculaneum*, de eoque accipiunt interpretes, atque hodiedum vernacule *Portici* dicimus, oppidulum nunc auguſto Regis domini noſtri prætorio ſuperbum, & toto orbe veteri theatro, duabus equeſtribus ſtatuis, & veteribus mille picturis celebratiſſimum, & nunc primum ſcimus; cur vulgo *Portici* nomen acceperit: id quod tot eruditos Neapolitanos Scriptores latuiſſe miror: & fero graviter incolas, & exteros adhuc ambigere, an locus, ubi tot admiranda vetuſtatis rudera effodiuntur in lucem, ſit Herculaneum, cum videant & Petronium, & Strabonem, & Dionem Caſſium id ajentes; vellem autem, ut Græcum κείμενον horum duumvirorum adcuratius legerent, ut ſileam duas illic inſcriptiones nuperrime repertas, nomine HERCVLANENSES ſculptas: utinam liceret mihi, quotquot, ſunt autem quamplurima, quæ de Herculaneo, ejuſque veteri gaza commentatus ſum, proferre, non vero inter has res atramentarias nullius fortaſſe pretii, atque obſcuriſſimas fatis diu verſari; norunt omnes melius nos incolas curare antiquitates noſtrates: & ipſe pag. 562. &c. non pauca appoſui, quo ſitum hujus oppidi firmarem. IV. Præter *Porticum Herculis* Petronium legimus bis viciniorem locum urbi Neapoli meminiſſe, ſcilicet *Platanona*, dum cap. 126. ait: *Procedentibus deinde longius jocis, rogavi ancillam, ut in Platanona duceret dominam*, & cap. 131. *In eundem Platanona deſcendi, etiam locum inauſpicatum timebam, &c.* eſſe in urbe noſtra prope amœniſſimum littus locum, qui *il Platanone*, licet ſecundum Neapolitanam διάλεκτον parum detortus, dicitur, atque eundem eſſe, ac Petronianum oſtendit etiam vox *deſcendi;* etenim cum Neapolis omnis in colle ſita ſit, ut ad littus maris eatur, uſque *deſcendendum* eſt: atque id genus nomina in Græca urbe plura exſtitiſſe oportet, nam huic ſimile relictum eſt *Agnone*, quod tractum eſt a Græco ἀγνών, de cujus interpretatione noſter Laſena δαψιλῶς κ' ἀφθόνως ſibi plaudit pag. 188.

Pro re nata pacem poſco adnotandi Mazochium de re litteraria egregie meritum apponere inter nomina in ών cadentia, uti eſt πλατανών, &c. non tam antiquum vocabulum paludis extra cryptam, quam Puteolanam dicimus, ſitæ, Ἀγκλανών, atque vult eſſe *rectum caſum ſingularem, & collectivum nomen, uti παρθενών, &c.* in Eccl. Neapolit. p. 214. in adnot. verum vox Ἀγκλανών barbariei plena eſt, nihilque Græcitatis olet; quare ne reputes, uti ἀγνών, & πλατανών, præſertim cum neque Puteolani, neque noſtrates vocitent *lago d' Agnanone*, ſicuti dicunt littus illud Neapolitanum *il Platanone*, & *Santa Maria dell' Agnone*, ſed *lago d' Agnano* ab recto Ἄγκλανον. Si autem in Zachariæ interpretamento dialogorum S. Gregorii legas, Εἰς τὰ θερμὰ τὰ ἐπονομαζόμενα Ἀγκλανῶν, librariorum ſomnolentiam dicas; quare confinge Ἄγκλανον, & ſententia, & ἀναλογία nominis probe ſtabit; & Gregorii ætate certe ſalutabatur *Agnanum*, nunquam vero *Agnanon*, *onis*. Ignoro, cur doctiſs. Mazochius ſcripſerit

Ἀγκλα-

Ἀγκλαυῶν , παρθενῶν , πλατανῶν , ternas voces cum περισπωμένῃ , quando conſtat eſſe ὀξυτόνως , refundas autem leve id doctis juvenibus , quibus ſummus vir typographorum errata detergenda commendat: & fortaſſe non una id genus peccata , & grandiora in meo hoc atramentario opere etiam offendes. Spondeo autem meliora de hac palude , ejuſque nomenclatura me in Puteolana chorographia daturum , nec non fore , ut ſitum Lucullani ſtatuam , quo de tot turbæ rixæque noſtro ævo enatæ ſunt : oſtendam ſcilicet propter lacus Lucrini confinia Luculli famæ plenam villam exſtitiſſe, quod ſat luculentis monumentis evincam.

V. Præterea certum eſt cœnam Trimalchionem prope cryptam condixiſſe capp. 17. 18. & conſpirant interpretes fuiſſe Neapolitanam , quam etiam in fragm. p. 870. edit. Burm. clare eam eſſe edicit Petronius: *Satis conſtat eos nonniſi inclinatos non ſolere tranſire cryptam Neapolitanam.*

VI. Demum bene multa aggerere poſſem ex iis, quæ ſuperne dicta ſunt, conteſtarique Trimalchionis cœnam Neapoli peractam eſſe eo , quod in hac urbe ait Arbiter pueros Homericos fontes felici pectore bibiſſe ; hinc jure coram Trimalchione canentes inducit Homeriſtas , & depictas ubique domorum Iliada , & Odyſſeam , Trojæque aloſin meminit ; cum notum ſit ex Philoſtrato In procemio Iconum Neapolitanos a teneris Homerum amaſſe ; necnon fuiſſe urbem ſagarum , atque id genus mulierculaum plenam , quod cum Horatio idipſum de Neapoli canente belle conjurat , ut Atticum kalendarium ſileam Græcæ urbis proprium , Neapolis ſcilicet , neque alii civitati tribuere quis poſſet. Et ſi bona pars Satyrici peſſum minime iviſſet , profecto certos nos , qua in urbe hæc indicta ſit cœna, reddidiſſet Petronius : interea tot locupletibus argumentis ex Petronio ipſo collectis Neapoli concelebratam Trimalchioneam cœnam nemo unus poſthac inficiaturus eſt.

VIII. Neque ipſe ex uno Petronio didici , (quem ſubſultim evolvi , etenim ipſe, veluti κάνθαρος κοπρίᾳ , ita perpetua μαχλοσύνῃ oblectatur , ut animum legentis obturbet,) Neapolitanos planetarum otio omnimode indulſiſſe ; teneo etiam æque vehementes teſtes , quos διὰ βραχίστων proferam. Quanquam rerum noſtratium Scriptores a marmoribus ſcriptis , atque a Macrobio edocti noverint Hebonem a Neapolitanis devotiſſime cultum , ita ut nil frequentius in noſtris Græce cuſis nummis reperias , quam id numen , tamen nemo hariolatus eſt , cur veteres cives tam impenſe illud honeſtarint, atque veluti ἴδιον Neapolitanorum Deum fecerit Macrobius, & noſtratia ſaxa ἐπιφανέστατον prædicent ; at ipſe pag. 673. tum ex iis, quæ de Hebone hic genialium dier. auctor teſtata reliquit, tum ex iis, quæ in Hebræo fonte hoc nomen adnotat, ſcil. *divinationem inducens*, oſtendi Neapolitanos *Solem*, ſive *Hebonem* & ſimulacris , & numiſmatis decoraſſe, & precibus ſollicitaſſe, quod planetarum princeps eſt, & quod ſane haud ſe egregie divinos eſſe rati ſunt, atque hanc Chaldæam artem mancam facturos, niſi a Sole ſiderum duce enixe a ſe culto initium duce-

Xxxx rent;

Digitized by Google

rent; rogaris, ut quæ in eadem pagina de Hebone a me dicta ſunt, recoquas.

Præterea nunc in mentem venit, quare Tullius pro Balbo cap. 24. laudat præ ceteris ſacerdotes Neapolitanas, etiam præ ipſis Velienſibus, nam noſtras his anteponit: *Has Sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienſes, federatarum ſine dubio civitatum, &c.* quas quidem ἱερείας Cereris fuiſſe vix ambigendum eſt, cum eam apprime coluiſſe cives meos ſuperne dictum ſit pag. 502. atque hujus Deæ ſacra & myſteria fuiſſe Eleuſinia, & theſmophoria certum dicam, tum ex Statio, qui Neapolitanam Cererem *Actæam* vocat, i. e. *Atticam*, & aliquando urbem noſtram ἐπιθετῷ *ſecretam* compellat, vid. ſup. p. 705. tum ex lapide, qui aperte id aſſerit, quem mox dabo, & adeas Reineſium ep. 35. circa fin. quare cum in urbe Neapoli Eleuſinia initia curarentur a ſacerdotibus muliérculis, quæ etiam ob artis ſuæ, & myſteriorum ſagacitatem a longinquis civitatibus, imo a Romanis ipſis, quo ea ſacra docerent, expetebantur, quis neget urbem noſtram id genus ſacris femellis refertam, quæ ſecretioribus ἐπιτηδεύμασι cum ſiderum, & Lunæ præſertim diſciplina commixtis? Saxum autem ſervavit nobis Capacius pag. 215. ſed adeo deforme, & nominum barbarie ita hirtum, ut legentibus riſum cieat, & memini me a pueris in eo lectitando riſiſſe plurimum: Reineſius ab ea fœditate purgare accuravit, verum multum etiam labis relictum adhuc eſt: accipias primum, uti exſcripſit Capacius, ejuſque interpretamentum:

ΚΟΜΙΝΙΑΙ·ΠΛΟΤΤΟΓΕΝΙΑΙ·ΙΕΡΕΙΑΙ·ΔΗΜΗΤΡΟΣ·ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΤΣΑ
ΘΤΓΑΤΡΙ·ΓΤΝΑΙΚΙ·ΠΑΚΚΙΟΤΚΑ·ΑΗΔΟΤ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΤ·ΚΑΙ·ΜΗΤΡΙ
ΠΑΚΚΙΟΤΚΑ·ΑΗΔΙΑΝΟΤ·ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΤ·ΜΑΜΜΗ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΤ
ΠΟΛΑΙΩΝΟΣ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΤ·ΕΙ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ·ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΣ·ΔΗ
ΜΑΡΧΗΣΑΣ·ΤΗ·ΠΡΟΜΑΜΜΗ·ΕΤΣΕΒΙΑΣ·ΕΝΕΚΑ
ΔΟΓΜΑΤΙ·ΣΤΓΚΑΙΤΟΤ

Cominiæ Plutogeniæ ſacerdoti Cereris legislatricis filiæ
Optimæ Paciucca Aediani viri Archontici & matri,
Paciucca Aediani Aedilitii aviæ Caſtricii Polæonis
Archontici, & Caſtricius Calædianus tribunus plebis
Proaviæ, pietatis ergo. Ex ſenatus conſulto.

Verborum ſqualorem ita deterſit magnus Reineſius;

ΚΟΜΙΝΙΑΙ·ΠΛΟΤΤΟΓΕΝΕΙΑΣ·ΙΕΡΕΙΑΣ·ΔΗΜΗΤΡΟΣ·ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΤ
ΘΤΓΑΤΡΙ·ΓΤΝΑΙΚΙ·ΠΑΚΚΙΟΤ·ΚΑΛΗΔΟΤ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΤ·ΚΑΙ·ΜΗΤΡΙ
ΠΑΚΚΙΟΤ·ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΤ·ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΤ·ΜΑΜΜΗ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΤ
ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΤ·ΕΙ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ·ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΣ·ΔΗ
ΜΑΡΧΗΣΑΣ·ΤΗ·ΠΡΟΜΑΜΜΗ·ΕΤΣΕΒΕΙΑΣ·ΧΑΡΙΝ
ΔΟΓΜΑΤΙ·ΣΤΓΚΛΗΤΟΤ

Cum autem ita verba conformaſſet Reineſius, nec Latine dediſſet, pau-

ca

ca iſthæc ei adnotaſſe ſatis fuit: *Hinc intelligi poteſt, quid in lapide legerit* (Capacius,) *& quid in eo emendaverim ego: erat enim hinc inde nævis obſitus; in quorum cenſum inſuper referendum eſt* τὸ ΕΙ *in verſu quarto, eique ſubſtituendum* τὸ ΤΙ. *exponendumque* ΥΙΟΣ, *quam veriſſimam lectionem eſſe ex ſubnexo graduum cognationis hoc ipſo ſaxo contentorum ſchemate patebit:*

Cominia Plutogenia,
cui maritus Cominius.

Paccius Caledus II. Viralis. —— *Cominia.*   *Caſtricius.*

Paccius Caledianus Ædilicius. ——   *Caſtricia.*

N.N. ——————   *Caſtricius Pollio II. Viralis.*

Caſtricius Caledianus
δημαρχήσας.

Piget me intueri honeſtiſſima reip. Neapolitanæ monumenta ab exteris miſere perturbari, & neminem ex doctiſſimis meis civibus hunc affectiſſimum lapidem curaſſe; quare tentandum, an ipſe ſatis ſim opportuniorem opem epigraphæ vexatiſſimæ afferre: itaque ſic reſtituas, atque veritati proximius interpretamentum teneas:

ΚΟΜΙΝΙΑΙ·ΠΛΟΥΤΟΓΕΝΕΙΑΙ·ΙΕΡΕΙΑΙ·ΔΗΜΗΤΡΟΣ·ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΡΙ·ΚΟΜΙΝΙΟΥ...ΓΥΝΑΙΚΙ·ΠΑΚΚΙΟΥ·ΚΑΛΗΔΟΥ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ·ΚΑΙ·ΜΗΤΡΙ
ΠΑΚΚΙΟΥ·ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΥ·ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΚΟΥ·ΜΑΜΜΗΙ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΥ
ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ·ΑΡΧΟΝΤΙΚΟΥ·ΤΙ·ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ·ΚΑΛΗΔΙΑΝΟΣ·ΔΗ
ΜΑΡΧΗΣΑΣ·ΤΗΙ·ΠΡΟΜΑΜΜΗΙ·ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ·ΧΑΡΙΝ
ΔΟΓΜΑΤΙ·ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ

Cominiæ Plutogeniæ ſacerdoti Cereris legislatricis, filiæ Cominii....uxori Paccii Caledi viri conſularis, & matri Paccii Calediani viri ædilitii, aviæ Caſtricii Pollionis viri conſularis, Ti. Caſtricius Caledianus, qui fuit demarcha proaviæ pietatis ergo.
Decreto Panclidarum.

Vides quantum a vero abluſit Reineſius, qui contra Capacii αὐτόγραφον vocem Πλȣτογενείᾳ in Πλȣτογενείας immutavit, ita ut & cognomen Cominiæ ignoremus, imo & unam matronam Cominiam Plutogeniam in binas diſciſſam cernamus; præterquam quod inſolentiſſimum dicas maternam

originem adnotari in ſaxis; quare ipſamet Plutogenia ex gente Cominia Cereris ſacra tractabat. Deceperat Reineſium vox ſolitaria θυγατρὶ, cum non appoſitum legiſſet, cujus eſſet *filia;* ſed Capacium incuſes, qui nomen patris Cominii τοῦ δεῖνα e marmore vel eraſum, vel lectu arduum, punctis adjectis minime nos commonuit: ceterum ſi Plutogenia ex Cominia familia ortum traxerit, pater Cominius ὁ δεῖνα certe auuit. Turbas ciet Reineſius in quarti verſus ſyllaba EI, quam ſat importune confingit ΥΙΟΣ, *filius*, quando Caſtricius Caledianus eſt ipſius Plutogeniæ pronepos, eamque ipſe vocat προμάμμην· quare mecum dejerabis minima mutatione in ſilice ſcalptum TI. uti mos eſt prænomen *Tiberii* decurtandi; & qui marmor poſuit, terna ſua nomina jure adſcripſit. Hinc factum eſt, ut gradus cognationis, quos cudit vir magnus, turbatiſſimi ſint, & ἄτοποι, ut ne ſollertiſſimi quique ex noſtris tabellionibus percepiſſe viſi ſint: vides enim, ut cetera taceam, appoſitum a Reineſio *Cominiæ Plutogeniæ* fuiſſe maritum *Cominium*, cum ſaxum dicat Paccium Caledum, & filios natos ex gente *Paccia*. Ceterum vel tiro dignoſcit in epigraphe Plutogeniam fuiſſe matrem Paccii Salediani, filii ex patre Paccio Caledo, aviam Caſtricii Pollionis, & proaviam Caſtricii Calediani, ille nepos, hic pronepos ex ſorore Plutogeniæ, cum cernas gentem *Caſtriciam*, non *Pacciam*. Verum hæc ſat aperta, ut conquerar de Reineſio, qui in his me plus otii luſiſſe coegerit.

Moleſtum mihi negotium faceſſunt honorum tituli reip. Neap. adverſantiſſimi, quos in ſaxo legimus, & ſi ſaxum Neapoli ſcalptum eſt, cur additum ſit δόγματι συγκλήτου, *ſenatus conſulto*, cum ipſe negarim pag. 635. noſtra in urbe βουλὴν, *ſenatum* ullum exſtitiſſe? quare ex iis, quæ multa cap. ſuperiori congeſſi, colligo viros, poſtquam Romæ iis, quos in lapide vides, magiſtratibus jam functi erant, Neapolim ſe recepiſſe una cum Cominia Plutogenia, quo Græcanicam viverent vitam, quæ adſcripta eſt inter ſacerdotes feminas Cereris Actææ enixe a Neapolitanis cultæ, ut ait Stat. cujus carmina ſup. pag. 502. dedimus; & Ti. Caſtricius Caledianus ejus pronepos demarcha ab eiſdem ob merita ſalutatus eſt; qui deinde fratorum Panclidarum decreto memoriam proaviæ erigendam curavit; quare probe a me factum eſt, ſi vocem ἀρχοντικὸς verterim *conſularis*, non ut placuit Reineſio *II. viralis*, tanquam ſi bini archontes, uti Athenis, Neapoli creati ſint, vide pag. 635. quando princeps magiſtratus noſtra in urbe fuit *demarchatus*, eumque Hadriano ipſi tribuerint cives, ut ſæpe dictum eſt. Quod autem ἀρχοντικὸς æque ſit, ac *conſularis*, conſtat ex Dione, qui plerumque vocem ἀρχὴ pro ipſo *conſulatu* adhibuit, uti pag. 258. lin. 12. Ὁ δὲ δὴ Κάτων οὐδένα αὐτῶν ἐθεράπευσε, καὶ ὁ μὲν οὐκέτ' αὖθις τῆς ἀρχῆς ἀντεποιήσατο, κ. τ. λ. & vertit Reimarus, *Cato neque ullum demereri voluit, & in poſterum petitione conſulatus abſtinuit, &c.* nec non pag. 264. lin. 5. Λέντουλος ὁ Κορνήλιος, καὶ ὁ Κλαύδιος ὁ Γάϊος τὴν ἀρχὴν ἀνεστήσαντο, *Cornel. Lentulus, & C. Claudius conſulatum inibant;*

pag.

Digitized by Google

pag.253. lin.6. Προήει τε (Μίλων) ἐς μέσον, ϗ τῆς ἀρχῆς ὁμοίως, ἢ ϗ μᾶλλον, ἀντιποιεῖτο, *& in medio* (Milo) *progreſſus pari, aut majori etiam, quam prius contentione, conſulatum petiit*; atque idem dicit Caſſius pag. 254. lin.49. pag.256. lin.29. idque etiam firmatur, eo quod ſicuti ex ἀγορανομία, *ædilitas*, fit ἀγορανομικός, *ædilitius*, uti paſſim apud Scriptores, atque in hoc lapide; ita etiam ex ἀρχή, *conſulatus*, ἀρχοντικός, *conſularis*, educitur. Itaque Cominia Plutogenia beatiſſima fuit ob maritum, & nepotem viros *conſulares*, filium *ædilem*, & pronepotem Neapoli *demarchum:* niſi qui in Rom. hiſtoria peregrinus eſt, ambiget, quin de Neapolitano demarchatu lapis loquatur; atque cum ἀρχοντικός verſum ſit, *vir conſularis*, ne credas me de eo, qui conſul Romæ fuerat, intellexiſſe, ſed accipias, ut notum eſt, illum, qui conſulari imperio in provincias mittebatur, quo de magiſtratu, ejuſque nominibus docte more ſuo Salmaſius, ſed ſatis acerbe contra Caſaubonum in Hiſt. Aug. to.2. p.349. plurima adnotavit, & to. 1. p.34. &c.

His animadverſis, neminem reor fore, qui obſiſtat, quod ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΓΚΛΙΤΟΥ conformarim in ΔΟΓΜΑΤΙ ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ, etenim de Rom. ſenatu, niſi, qui excors eſt, intelliget: qui vero de Neapolitano, is unus erit, qui noſtræ veteris reipublicæ regimen prorſus ignorat, in qua neque in lapidibus hunc virorum cœtum ſcalptum invenies, neque in aliis monumentis, quæ reliqua ſunt, hoc nomen σύγκλητος inviſes: contra cum jus omne ſacrarum rerum penes fratoras eſſet, ſane haud proaviæ Plutogeniæ Cereris ſacerdoti Caſtricius Caledianus memoriam, ſtatuamque erigere valuit, niſi hujus ἱερατικοῦ corporis ſententia; relegas, quæ multa de fratorum auctoritate in Neap. rep. ſuperne a me dicta ſunt. Porro nil hæreas, quin bonus Capacius, cum fortaſſe ſat fugientes litteras vocis ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ vidiſſet, & notiſſima eſſet ſollemnis formula, δόγματι συγκλήτου, contra nova omnino, atque ſibi illiberalis vox Πανκλειδῶν, (nam noſtro ævo ex marmore novimus,) adverſus fidem marmoris τὸ ΣΥΓΚΛΙΤΟΥ nobis propinaverit, exſcribens etiam I pro H. Et ſi quis reliqua grandia errata hoc in lapide ad nos tranſmiſſo a Capacio penſitet, facile id extremum etiam σφάλμα ei minime pepercerit.

Interea gratulor me iterato in noſtris ſilicibus nomen fratriæ Πανκλειδῶν ſcrutatum eſſe, de qua pag. 632. non pauca collecta a me ſunt; & iraſcor tot doctiſſimis civium meorum, qui gazam hujus lapidis opulentiſſimam, licet exſcriptoris incuria erroribus fœdam minime curarint, imo ne ſemel quidem recitarint, quando in eo ad veteris reip. noſtræ decus cernimus Romanorum honeſtiſſimos tum viros, tum matronas Neapolim confugiſſe, & noſtratia ſacerdotia, & magiſtratus appetiviſſe: & nulla habenda Reineſio gratia, qui illuſtrandum tam inſigne ſaxum aggreſſus eſt, quippe qui potius omnia turbavit, & ſat importuna nos docuit. Des autem veniam, ſi ab incepto longius te abſtractum vides, nam probandum ſuſcepi Neapoli Eleuſiniæ Cereris ſacra ab mulierum tur-

ba

bæ concelebrata, & ſaxum hoc pæne ignotum, atque negleċtum protuli, in quo Plutogeniam Romanam matronam etiam iis initiis addiċtam gratulatur Caſtricius Caledianus pronepos; quo ratum redderem urbem noſtram id genus ſacrificiorum plenam, & nil aliud concoxiſſe liberæ reip. cives, quam ſecreta quædam ſacra, & gerras Chaldæas.

Si vero quis rixarum amans Capacianæ lectioni *δόγματι συγκλήτȣ* patrocinetur, meamque *δόγματι Πανκλειδῶν* porro repellat, atque hoc uno marmore corruptiſſimo teſte tueri velit Neapoli *ſenatum* fuiſſe, ipſe neque indulgentiſſimus do, neque ſat illiberalis intercedo, cum vox *σύγκλητος* libertati Neapolit. nil officiat: attamen nocat ſe hoc uno lapide nil curate exſcripto ſententiam ſuam tutari, nec ſibi prædem alterum proferendi ſpem eſſe: contra in monumentis Athenarum, & Romæ, in queis urbibus revera *βȣλή*, & *ſenatus* floruit, nil frequentius lectitare eſt & in libris, & in marmoribus, quam *ἡ βȣλή*, *καὶ δημός*, & S. P. Q. R. imo in quibuſvis Atticis, & Rom. legibus iſthæc vocabula iterata ad tædium: quare mihi, & fortaſſe cordatioribus ſemper mirum futurum, cur, ſi *ſenatus* Neapoli celebratus ſit, ſemel in hoc lapide ejus nomen ſcalptum inviſatur, totque cetera, quæ plurima ſunt, monumenta, & Statium, qui etiam fratrias nominavit, de *ſenatu*, & *ſenatoribus* videas *Ἀρεοπαγίτȣ σιωπηλοτέρους*. Hic autem iraſcendum mihi eſt his Romanenſibus viris, qui cum Græcanicam Neapoli *διαγωγήν* ſibi elegiſſent, & litteratos lapides inde ſibi apposuiſſent, attamen in urbe hac *ἑλληνικωτάτῃ* verba quædam uſurparint nil Attici oris ſanctitatem præferentia, uti eſt vox *σύγκλητος*, *ſenatus*, quam Scriptores Græcanici dumtaxat, qui ſub Cæſaribus vixerunt, uti Lucianus, & Plutarchus, &c. ac quædam ejuſdem ævi marmora uſurparunt; contra bonæ ætatis Scriptores, & cultiores, licet ſæculi non ſapientis, uti Caſſium, nunquam adhibuiſſe reperi; imo Pollux caſtiſſimus grammaticus in ſuo onomaſtico minime adſcripſit *σύγκλητος* pro *ſenatu*, contra vero ſæpe utitur voce *βȣλή*, *βȣλευτήριον*, *κ. τ. λ.* hinc haud fallor, dum exputo fore, ut ſi Neapoli *ſenatus*, & *ſenatores* exſtitiſſent, cives mei *Ἀστυκοί*, & *τὰς σπȣδὰς λόγων Ἑλληνικοί*, (vide ſup. pag. 498.) uti ſalutantur a Philoſtrato, certe *βȣλήν* vocitaſſent *ſenatum*, uti ſemper eo nomine eſt apud Demoſthenem, Æſchinem, & ceteros Atticos, nunquam vero *σύγκλητος*· quare Romanenſes indigenæ procul dubio appoſſuiſſent lapidi *δόγματι βȣλῆς*, ut vocem *αὐτόχθονα*, & Atticam ſectarentur, & a Neapolitanis Atticæ *διαλέκτȣ* intelligerentur; quare iterato eo vergit mens animi, ut credat Capacium immutaſſe patriam vocem ΠΑΝΚΛΕΙΔΩΝ in peregrinam, importunam, ac male exſcriptam ΣΥΓΚΛΙΤΟΥ.

Præterea, niſi vehementer errem, ipſe noviſſe viſus ſum cives meos Arato impenſe ſtuduiſſe, qui inter aſtrologiæ Scriptores principem ſedem occupaverat, id me docet Statius, dum canit de parente jam denato, & ad aſtra aſcendente, vel ad Elyſios abeunte, Silv. 5. carm. 3. v. 19.

At

Digitized by Google

At tu ſeu membris emiſſus in ardua tendens,
Fulgenteſque plagas, rerumque elementa recenſes,
Quis Deus, unde ignes, quæ ducat ſemita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Cauſa queat, NOTIQUE *modos extendis* ARATI:
Seu tu Lethæi ſecreto in gramine campi
Concilia Heroum juxta, maneſque beatos
Mæonium, Aſcræumque ſenem non ſegnior umbra
Accolis, alternumque ſonas, & carmina miſces, &c.

In his mihi cariſſimis verſibus primum advertas Statii patrem, utpote ab Neapoli urbe Græca ad Elyſios deductum inter Græcorum poetarum chorum, & juxta beatos ſummorum vatum manes Homeri, ac Heſiodi aſſediſſe, cum iiſque alterna carmina commiſcuiſſe longe a Latinorum grege ſejunctum; quare cum civibus die conquerendum mihi eſt de Mazochio τῷ πάνυ edicente a Neapolitanis ad barbarum os cœptum eſſe ab Tiberii Aug. ævo deſciſcere; cum eos videas cum Mæonio, Aſcræoque ſene collatos, neque ipſe civibus meis majorem laudem implorem: id unum dolendum mihi ſemper eſt patris Papinii tam varii argumenti carmina univerſa fato improbo periiſſe. Deinde, quæ nunc mea interſunt, vides Statium adſerere *Aratum notiſſimum* Neapolitanis, ac patri, quod ἐπιθετὸν perquam otioſum dicas, niſi intelligas res aſtronomicas familiariſſimas civibus meis, & Statii parenti cordi fuiſſe; atque eo magis, quod unum Aratum *notum* dicit, non vero Homerum, atque Heſiodum, par vatum longe præ Arato celebratiſſimum; videtur igitur Statius ad Neapolitanorum ſtudium planetarum, etenim Aratus tunc temporis aſtronomiæ primipilus ac princeps erat, animum intendiſſe; & cui non mirum ſit tot urbis noſtræ Scriptores, & Statii interpretes iſthæc ejuſdem tanti pretii carmina nihil curaſſe, ac ne meminiſſe quidem?

Si vero tot documentorum pondere, & vi exemplorum, quæ ex Horatio, Petronio, & Statio, aliiſque Scriptoribus deprompſimus, non fruerer, queis ſatis ſuperque præſtitum eſt Neapolitanos perdite aſtronomicis diſciplinis ſtuduiſſe, mihi affatim eſſet vaſculum atramentarium Vaſſallianum, quod pag. 17. affabre ſcalptum, ac deſcriptum appoſui, Neapoli dubio procul elaboratum, atqueinter noſtratia ὑδραγωγεῖα repertum certo etiam ſcimus; quod etiam ſeptem dialibus argenteis planetis ſplenduiſſe oportuit, cum in octonis faciebus ſeptena tantummodo foramina inviſantur; ita ut niſi hujus marmorei atramentarii poſſeſſores multa fide valerent, nemo unus non moleſtus eſſet, & me illud ex induſtria apparaſſe, & confinxiſſe contenderet. Porro vides cives meos adeo hanc aſtrorum artem coluiſſe, ut etiam in vaſculis vilioribus ſidera, quæ animo ſemper revolvebant, affixerint; atque ea mihi indubia eſt animi mens, ut ſi antiqua Neapolitanorum ſupellex non iviſſet peſſum, profecto id genus cimeliorum bonam partem aſtrorum ſignis, vel imagunculis honeſtam cerneremus; cum jam

Digitized by Google

jam conſtet vix binas thecas calamarias in lucem evectas dialibus Diis ornatas conſpexiſſe; etenim & regium atramentarium Neapoli conflatum, quando de Aurora verba inſtituimus pag. 364. multis argumentis teſtati ſumus. Quare ſi quis poſthac de civium meorum aſtrologiæ inſana ſollicitudine dubitarit, is unus erit, qui cæcutit in meridiana luce; idipſum dicas, ſi parum hæreat, ut credat etiam Vaſſallianum vaſculum in cujuſdam mathematici Neapolitani uſura fuiſſe, cum in eo planetas exſtitiſſe certum ſit, dum abunde ſuperius vaſa ſecundum poſſeſſorum artes ac inſtituta ſymbola habuiſſe commonſtratum eſt.

Hic opportune cadit, ut in mentem revoces æneam ſcaphulam ſeptem planetarum προτομαῖς ſecundum hebdomadis dies onuſtam, quam pag. 323. delineandam, & longo commentario, nihilque pœnitendo ornandam a me curatum eſt, aſtrologi cujuſdam ſtribliginem fuiſſe, quam ſecum in captandis itineribus, præſertim maritimis comportabat fortaſſe uſu fibulæ, nam quædam veluti foramina in ea intueor, cujus ope & tutela a ſexcentis undarum, & ventorum diſcriminibus ſe tutum fore blandiebatur. Nec obliviſcar lucernam etiam dialibus Diis illuſtrem, quam mihi præſtitit Jo. Bapt. Paſſerius, (cujus omnigenam eruditionem demirer magis, an comitatem morum, divinet quivis μάντις, non ego,) atque etiam depictam a me vides pag. 330. illam ſane dicas mathematici quoque vaſculum fuiſſe, cui in lucubrationibus ſuis ſcriptitandis, & in aſtrorum vel bonam, vel malam vim interpretando lumen ſuffecit; atque haud negem hujus lucernæ ſociam etiam calamariam thecam ad Regii σκευασίαν exemplar hunc ipſum aſtrologum ſibi fabrefeciſſe, quo omnia, ut moris erat, artis Chaldææ organa ſibi eſſent σύμφωνα· optaſſem, ut Paſſerius quid eruditionis ſuæ in hanc ceterarum præſtantiſſimam lucernam ſparſiſſet, etenim neque de aſtrologi inſtrumento cogitavit vir ſummus, neque quid de ea Deorum dialium ἑβδομάδι nos docuit. Atque plura, quam mentis animo intenderam, de aſtronomicis, atque hujus ignobilis otii Neapolitanorum ſtudiis, quæ vereor, licet nova, ne prolixitate tædium crearint; verum de rebus patriis commentandi urget vel invitum voluptas.

IX. Vix iſthæc de Chaldæa civium meorum arte conſcripſeram, atque doctioribus amicis, floreo autem ſanequam multis, communicaveram, (horum enim conſilio, ac diſciplina facile utor, ac proficio, quæ quidem re vera, an dumtaxat benevolentiæ ergo probarunt, norunt ipſi;) cum factum ſit, ut ſtatim exceperint Symmachum lib. 8. ep. 27. fortaſſe ideo Neapolim *religioſam* vocitaſſe, quod aſtronomicis ſtudiis ſe tota devoverat; quare rogarunt, ut id famoſum ἐπιθετόν urbi noſtræ ab Symmacho adjectum excuterem, veramque notionem detegerem; animumque addiderunt rem non eſſe hic importunam, cum de Neapolitanorum ſuperſtitione ſermo ſit. Porro bene multos Scriptores exteros hac in voce tranſverſos actos deprehendi, præſertim Peregrinium ζηλοτυπίαν in Neapolitana decora ſubdole concoquentem, qui poſtquam de Chriſtianis legibus Petri

apoſt.

apoſt. tempore Neapolim invectis dubii plenus pauca ediſſeruiſſet, ut id dubium aliquantulum firmaret, Symmachi verba affert: inde, uti ſuus eſt mos, Neapolitanos ita laceſſit pag. 738. *Simmaco fieriſſimo inimico de' Criſtiani... diede a Napoli il titolo di* urbis religioſæ, *non intendendo a patto veruno della Criſtiana religione. Ma laſciando ai valoroſi letterati Napoletani, che ſciolgan queſto nodo, io ſeguirò a ſcuoprire il reſto dell' inganno preſo da alcuni intorno l'antico ſtato della medeſima Città loro.* Ex noſtratibus unus Petrus Jannonius to. 1. p. *62.* & *63.* cum Symmachi κείμενον nihil perpendiſſet, ſat poſteriori tempeſtate Neapolim Chriſtianis ſacris imbutam edicit: e contrario tot reliqui Scriptores pietatis gratia in patriam, & quæſitis documentis in membranas plurima ingeſſerunt, quo mendacem ipſum Symmachum traducerent, ac Neapolim longe temporum ante hunc virum conſularem Chriſtianam fuiſſe oſtendere conati ſunt; quorum nuperrimus πολύγλωττος, deque me meritiſſimus Joſ. Aſſemanius in to. 1. de reb. Neap. p. 412. ut ceteros minoris famæ taceam. Verba Symmachi ſunt ad Cenſorinum l. 8. ep. 27. *Nunc ad alia reſpondeo, quæ de me ſcire voluiſti: quamprimum Neapolim petitu civium ſuorum viſere ſtudeo, illic honori urbis* RELIGIOSÆ *intervallum bidui deputabo: dehinc ſi bene deſtinata Dii juverint, Capuano itinere venerabilem nobis Romam, laremque petemus.*

Verum ipſe ad ſtuporem uſque demiratus ſum utriuſque partis pertinax, atque ardens ſtudium acerrime decertantis de his Symmachi verbis, quæ nil vel Chriſtianos mordent, vel ethnicos tangunt; quare ſi is vir ab Elyſiis rediret, & tot membranarum vim ob hanc voculam conſcriptarum perlegeret, vel exputaret rem, quæ omnium irriſione luderetur, vel temporum noſtrorum calamitatis miſereſceret, quando a vocum notione tam longe deflecti cerneret. Itaque ne perdiu te teneam, ſciendum eſt epitheton *religioſa*, ut erat illius ſæculi ignobilioris ingenium, peræque eſſe, ac *officioſa*, *obſequens*, *officii plena*; cumque erga Symmachum ita ſe præſtaret Neapolis, (nam dicit ſe ab Neapolitanis expetitum,) pro hujus officii gratia, & pro tantæ urbis honore ſe bidui ſpatio in ea manſurum ſpondet. Et quis neſcit vim vocabulorum inferioris ævitatis non corradendam ex bonis lexicis, ſed ab ejuſdem temporis Scriptoribus, & præſertim ab eo, cujus gratia de ῥήσεως alicujus notione ardentius diſceptatur, addiſcendam? quare omne, licet non tam grande epiſtolarum Symmachi volumen pervolvere patienter aggreſſus ſum, atque reperi voces *religio*, & *religioſus* in hac *officii*, & *officioſi* ſignificantia adeo ſibi caras, ut fere in unaquaque ex epiſtolis adhibere ſtuduerit; quarum verba, ſi hic exſcriberem, longiſſimam κλίμακα appenderem; itaque unum, aut alterum exemplum adjiciam, reliqua vix indicare animus jubet, & ſi tibi libeat, conſulas, lib. 2. ep. *79.* *Advertis igitur, quam prompto, & patulo amicitiæ ſinu* (Andromachus) *acceptandus ſit, qui tui deſiderium ſuæ valetudini prætulit . . . ergo accurrenti religioſam manum porrige, ut qui*

te novit virtutibus ſuperiorem, *comitate parem ſentiat* ; vel luſcitioſus videt hic *religioſam manum* valere *officioſam*, maxime cum id ipſe Symmachus definiat , dum *comitatem* apponit ; contra ſi quis dicat *manum ſuperſtitioſam*, ridendum traduces. In lib.3. ep. 34. circ. fin. invenies *religioſum intuitum* , & lib. 5. ep. 8. *cura religioſa* ; & ib. ep. 75. *religioſa admonitione:* lib. *6*. ep. 80. *bonore religioſo:* & ne te exemplis opprimam brevem epiſtolarum elenchum adſcribam ſecundum eorundem librorum ordinem, in queis ῥῆτις *religio*, & *religioſus* me reperiſſe memini in ea, quam tueor, διαγνώσει. In lib. I. ep. *96*. in fin. ep. *99*. in princ. ep. 101. init. In lib. III. ep. 3. init. ep. *6*. circ. fin. ep. 18. circ. med. ep. 22. bis vox *religio* in eandem notionem appoſitiſſime: ep. 52. In lib. V. ep. 2. ep. 7. hanc legas rogaris: ep. 15. ep. 54. ep. *92*. bis ea vox repetitur. In lib. VI. ep. 4. ep. 14. ep. *66*. In lib. VII. ep. 28. In lib. VIII. ep. 12. ep. 28. opportuna ſatis: ep. 48. In lib. IX. ep. 15. in fin. ep. *91*. ubi vox *religioſus* mihi aptiſſima: ep. 102. idem repetit. ep. 125. &c.

Præterea ſervavi cariſſimi pretii locum Symmachi ep. 71. lib. 1. quem meliorem ipſe mihi fabricari haud quiviſſem ; initio hujus brevioris epiſtolæ Symmachus fratrem ſuum Cæcilianum , qui Laurentibus Lavinatibus patrocinabatur, quæ civitas in Symmachum erat *religioſa*, ſive officii plena, ita hortatur: *Ama ergo hominem placitum mihi*, *&* *religioſæ civitatis commodis obſequentem*; vides jam ἐπιθετὸν Neapolitanorum idem, ac Laurentium; ridendus ſane, ſi quis etiam grande, & acre certamen inſtitueret, num Laurentes, eo quod & *religioſi* ab hoc conſulari viro ſalutantur, quinto circiter ſæculo nomen Chriſto dederint. Ecquis igitur ferat tot turbas ob unam hanc voculam nihil ſacri præferentem inter tot doctiſſ. Neapolitanos de ſuæ religionis vetuſtate commotas? cum ævo Symmachi ea ῥῆτις peræque eſſet, ac *devotus* , hinc in millenis lapidibus proſtat, *devotus numini majeſtatique ejus*. Atque iterum demiror , quo pacto Symmachianum hoc vocabulum tot eruditis viris imponere potuerit , ita ut res magnis utrinque contentionibus acta ſit, ac duret adhuc ; ſed mihi nunc ſpes eſt tantum irarum fore, ut concidat, quando Symmachi mens jam tandem aperte patuit, atque ſententia illuxit.

Neque reputes me ab uno Symmacho novam hujus nunc famoſæ vocis notionem didiciſſe, cum eandem Ambroſius hujus viri legitimus, & potentiſſimus hoſtis adhibeat lib. 5. cap. 5. de fide pag. 710. edit. Ven. 1751. *Conſiderate*, *quæ mater filiorum Zebedæi cum filiis*, *&* *pro filiis petat: mater eſt utique*, *cui pro filiorum honore ſollicitæ* , *immoderatior quidem*, *ſed tamen ignoſcenda menſura votorum: atque mater ætate longæva* , *ſtudio religioſa* , *ſolatio deſtituta* , *quæ tunc temporis* , *quando vel juvanda*, *vel alenda foret validæ prolis auxilio* , *abeſſe ſibi filios patiebatur* , *&* *voluptati ſuæ mercedem ſequentium Chriſtum prætulerat filiorum . . . Hæc igitur ſtudio maternæ ſedulitatis indulgentior obſecrabat Salvatorem*, *&c.* vides aperte verba *ſtudio religioſa* valere *ſtu-*

dii

Digitized by Google

dii plena in Chriſtum, *& obſequentiſſima*, *&c.* Ceterum ſi mihi tempus ſuppeteret, plura, & clariora ex Ambroſio exempla converrerem; ſed tutemet facile colliges. Peccarem ſane, ſi te certiorem facere oblivıſcerer, me neſcire, quo fato id vocabulum *religioſus* etiam feliciore Gellii ætate acri contentioni fuerit obnoxium, de ejuſque rata veraque notione lis exarſerit, ſcilicet, ut verbis Gellii utar, *in quæ diverticula ſignificatio vocis religioſus flexa ſit, & an in culpam, an in laudem diceretur*, quod ἀπόρημα docte, & quæſitiſſimis exemplis ſolvit hic grammaticus lib.4. c.9.

Sed ineſpectatum quid, & minus præviſum animum perculit, cum in mentem venerit virorum ſummum Mazochium to.1. Kal. pag.40.col.1. hunc famoſum Symmachi locum luce ſua adſpergere cupientem *ῥῆσιν religioſus* pro *ſuperſtitioſus*, ſive *ethnicus* accepiſſe, & una cum turba tot malorum, ac bonorum Scriptorum religioſe conjuraſſe, quando ipſe alias in extrudenda vocum vi ac ἰδιότητι ſe gnarum ſatis, ac ſollertiſſimum præſtitit: *Exeunte ſæculo IV. ne Neapolim quidem penitus Chriſtianam fuiſſe quidam contendunt; de quo vide Petrum Jannonium Hiſt. civ. lib.1. cap. ult. pag.62. 63. Decepit nimirum illos Symmachi locus VIII. ep.27. Neapolim urbem religioſam vocantis: qui cum ethniciſmi perditus propugnator fuerit, non aliam in partem Neapolim, uti religioſam laudaſſe videtur, quam quia adhuc gentilitatis errores conſectaretur. Verum ex Symmachi loco aliud non efficitur, quam ævo Theodoſii plures Neapoli gentiles adhuc fuiſſe; ſicuti ne Romæ quidem tunc ethnici deerant, maxime inter ſenatores, & honoratos viros. Id quod Symmacho ſatis fuit, ut Neapolim religioſam diceret. Ceterum gentilibus iſtis Neapoli templa numinum patuiſſe nego; niſi quod tantum in domorum ſuarum larariis, aut vero κατὰ τὰ προάστεια (in ſuburbanis) liberam religionis ſuæ exercendæ poteſtatem habebant*, *&c.* Longiora Mazochii verba exſcribenda duxi, quo non dubius ſis, quin tantus vir etiam vocem *religioſus* in Symmacho pro *ſuperſtitioſo* acceperit, & cum turba Scriptorum conſenſerit; locuples hujus viri auctoritas valde me mordebat, qui tot, & egregia de Eccleſia Neap. ſcripſerat, quare elevari oportuit, ne vera hujus vocis *religioſus* notio a me nunc primum deprompta infirmaretur, & mea ſcribentis fides convelleretur.

Quando autem omnis Neap. reſpublica Chriſtiana evaſerit, neque id nunc mei penſi eſt, imo me ignorare fateor: id unum ſcio anno Chriſti 171. in noſtra urbe, ut ex certis lapidum monumentis conſtat, erecta ſimulacra Caſtori, & Polluci, in eorumque templis aras, candelabra, & lucernas appoſitas, vide ſup. pag.613. & medio ſæculo tertio, quo floruit Philoſtratus, eodem Mazochio teſte in Eccl. Neap. p. 103. col.2. *ſollemne apud Neapolitanos certamen fuiſſe*, & relegas, quæ ipſe de hoc *agone* plurima adnotavi pag.490. imo idem ſophiſta refert puellos noſtrates Homero perdite ſtuduiſſe, & in porticibus ſe ſexcentas tabulas vidiſ-

ſe profanas omnes, atque ethnicorum fabellas in ipſis ad miraculum depictas; præterquam quod reliqua nobis ſunt ſaxa fortaſſe circa Theodoſii Aug. tempeſtatem ſcalpta, in quibus inſunt nomina fratriarum, & publica ethnicorum ædificia, uti Παυλλεῖδαι, & ἀγορευτήρια, vid. ſup. pag. 634. quare haud ſcio, cur hæc nil addubitans illeverit Mazochius: *Ceterum gentilibus iſtis Neapoli templa numinum patuiſſe nego; niſi quod tantum in domorum ſuarum larariis, aut vero in ſuburbanis liberam religionis ſuæ poteſtatem habebant*: verum ſententiam ſuam noverit tutari vir magnus, luculentioribus monumentis prolatis; cum mea tantum interſit amicis teciſſe ſatis ῥῆτιν *religioſus* in Symmacho non æque eſſe, ac magicis atque aſtronomicis rebus addictus, neque hunc conſularem virum id otium reſpexiſſe, quando hoc epitheton honeſtiſſimum, ac nil ſacri præferens Neapolitanis attribuit. Atque hæc ſatis ſuperque de veterum civium meorum Chaldæis ſtudiis in noſtra urbe Ἑλληνικῇ florentiſſimis, quæ ei decoris plurimum conciliabant, ac famæ; & quæ in ea tanto animi ardore antehac exculta fuiſſe ignoratum eſt; ita ut ſua quæque vaſcula planetarum icunculis undique ornarent; etiam calamarias thecas, uti cernere eſt Regiam hanc, quam, quoniam nil ſuperior induſtria mea labor eſt, atque tenue negotium, illuſtrandam ſuſcepi. Ex quibus omnibus prolixiore ſermone collectis, ut unde cœptum eſt, redeamus, ratum teneas noſtrum atramentarium vaſculum aſtrologi Neapolitani organum fuiſſe, eoque uſum ad ſuæ artis meras gerras ſcriptitandas, imo unius ex hominibus id genus nugaciſſimi inſtituti, qui ope harum præſtigiarum ſat pecuniæ corraſerat, cum non rude vaſculum, & inelegans, ſed auro, argentoque ſplendidum, & bona arte conflatum adhibuiſſet.

Plurima ſane, ac nova, (an bona judicent, qui lectitarunt,) de planetis a me in hoc cap. & in trib. primis capp. hujus lib. dicta ſunt, congeſta a veterum Scriptorum membranis, quo magis illuſtre ac decorum Regium hoc vaſculum exteris exhiberem: vehementiſſime me mordebat, eo quod ipſe bonam vitæ meæ intercapedinem in ῥαψωδίαις divini Homeri δαψιλῶς καὶ ἀφθόνως deguſtandis triveram, minime tantum divinum planetarum vel nomen, vel ſaltem eorum numerum in longiſſimis poematis commeminiſſe, licet ſollemnia ſint ipſi vocabula Solis, & Lunæ, & plurimarum ſtellarum; rebar enim mihi carum & opportunum tantum virum, & omnium vetuſtiſſimum Scriptorem vel planetarum nomen, vel numerum agnoviſſe. Itaque animo mihi verſanti, ubi Iliadis, aut Odyſſeæ ſeptena ea ſidera indicare quiviſſet Homerus, occurrit ſtatim liber, in quo Achillis ſcutum deſcribit, ejuſque iſthæc prima carmina accipias Il. σ. v. 483.

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν,
Ἠέλιόν τ' ἀκάμαντα, Σελήνην τε πλήθουσαν,
Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται,
Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε, τό τε σθένος Ὠρίωνος,
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ Ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,

Ἥ τ'

Ἥ τ' αὐτοῦ ϛρέφεται, καὶ τ' Ὠρίωνα δοκεύει,
Οἴη δ' ἄμμορός ἐϛι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Quæ doctiſſimi quique vertunt:

In (ſcuto) *quidem terram finxit, finxit & cælum, finxit & mare,*
Solemque indefeſſum, Lunamque plenam,
Finxit & ſidera omnia, quibus cælum redimitum ornatur,
Plejadaſque, Hyadaſque, roburque Orionis,
Urſamque, quam & Plauſtrum vulgo vocant,
Quæ ibidem vertitur, & Oriona obſervat,
Sola autem exſors eſt lavacrorum Oceani.

Neque ab ſcholiaſtis, neque a ſagacioribus interpretibus opem exſpectes, ut in his aſtronomiæ plenis verſibus planetas ſeptem videas, nam ſolummodo tibi ſtatim præſtant, *Solem*, *Lunam*, & *ſtellas omnes*, Ἠέλιον, Σελήνην, καὶ τείρεα πάντα· & uſque miratus ſum tam male mereri de divino vate homines, ut cum videant corporum cæleſtium callentiſſimum, imo & quarumcumque ſtellarum, planetarum vero ignarum traducant, imo & Vulcanum ipſum Deum, quem ſcuti fabrum inducit Homerus, præſertim cum planetarum orbes in cælo primas agant. Quare ſi, ut te non diu morer, in tertio ex his verſibus leviſſimam-mutationem crees, & pro τείρεα πάντα apponas τείρεα πέντε, ſtatim omnium oculis ſeptenarius planetarum numerus affulgebit, nempe Ἠέλιος, Σελήνη, καὶ τείρεα πέντε· neque ſtatim in me veluti ſat audacem excandeſcas, amabo lectites, quantis argumentis hanc medelam tueri ſatis ſum. Porro ſi vôcem πάντα antiquam & γνησίαν velis, Homerus, *qui nil molitur inepte*, ineptiſſimus audiet, qui in ſcuto *omnia ſidera*, ſive *ſtellas* ſcalptas adſtruit, inde vix quaternas, aut quinas enumerat; quare certam & ratam Homeri mentem tenes, ſi interpreteris finxiſſe Vulcanum Solem, & Lunam cum reliquis quinque planetis, atque ex ſideribus Plejadas, Hyadas, &c. præterea quî cogitari poterit, ut in parva ſcuti area tot reliquis ſcalpturis locuplete πάντα τείρεα, infinitas pæne ſtellas formarit Vulcanus? Et ſcias vatem ſapientiſſimum ἐπιθετὸν hoc πάντα tunc addere ſideribus, ſive ἄϛροις, quando de ipſis in cælo rutilantibus ei ſermo eſt, adeo catum & ſollertem vides, Il. θ. v. 555.

Ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄϛρα φαεινὴν ἀμφὶ Σελήνην
Φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθὴρ,
Ἔκ τ' ἔφανον πᾶσαι σκοπιαὶ, καὶ πρώονες ἄκροι,
Καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ ὑπερράγη ἄσπετος αἰθὴρ,
Πάντα δὲ τ' εἴδεται ἄϛρα· γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν:
Sicuti autem, quando ſtellæ lucidam circa Lunam
Apparent perdecoræ, ſi ſit ſine vento æther,
Conſpiciuntur omnes ſpeculæ, & alta cacumina,
Et ſaltus: e cælo enim aperitur immenſus æther,
Et omnia apparent aſtra; exhilaraturque animo paſtor.

At-

Atque hinc eveniſſe facile credas, ut librarii, eo quod in Homero viderint, πάντα ἄστρα, confinxerint etiam πάντα τείρεα pro πέντε τείρεα exputantes idem valere τείρεα, ac ἄστρα, cum longiſſime diſtent, uti mox dabo. Et ſane miratus ſum vocem Homericam τείρεα neminem ex tot Græcis Scriptoribus, conſului fere omnes, præſertim quos de rebus aſtronomicis volumina confeciſſe novimus, uti Manethonem, Arati fragmenta, Ptolemæum, ceteroſque pro ſtellarum ſignificatu unquam adhibuiſſe, ita ut ſemel in hoc Homeri loco, nec alibi quorumvis librorum eam inviſes: & nullum vocabulum novi, quod magis ſolitarium ſit, ac magis deſertum, quod & unicuique ſat mirum futurum reor; neque aliam cauſam invenies, quare Scriptores aufugerint vocem τείρεα, & dixerint potius ἄστρα, & ἀστέρες, quam quod in eorum oculos vix offenderit, utpote ἅπαξ λεγομένη ab Homero, vel potius, quod vim ejus vocis nil deprehenderint: rariſſima enim vocabula quid denotent, facile nos latet: & quis Pollucem non incuſet, quem, licet ſit onomaſticographus ſollertiſſimus, & ſagacioris ævi, dum lib.4. c.20. pag. 442. omnia ad aſtronomos ſpectantia vocabula congeſſit, oblitiſſimum vides vocis τείρεα, quam reliquis antecellere oportuiſſet, utpote antiquam, & Homeri filiam.

His breviter intellectis, quis non dejeret Homerum ſcripſiſſe πέντε, non autem πάντα τείρεα, ſcil. præter Ἥλιον, & Σελήνην reliqua quinque τείρεα, *planetas*, & ſcribarum inſcitiæ id mutationis tribuendum? Et in mentem revoces, ſicuti poſteriores Græci ſeptena hæc aſtra peculiari nomine compellarunt, πλανήτας, ita antiquiſſimos ἰδίᾳ voce τείρεα vocitaſſe, quo ab ſtellis diſtinguerent: & nil aberrem, ſi pronunciem Homeri ævo nomina Κρόνος, *Saturnus*, Ζεύς, *Jupiter*, Ἄρης, *Mars*, &c. nondum enata, ſed γενικῷ vocabulo dicta τείρεα; etenim etiam Heſiodus in ἔργοις circa finem, cum de ſideribus multa doceat agricolas, planetarum iſthæc nomina omnino reticet, præter bina celebratiſſima Ἥλιος, & Σελήνη· quod ab Moſe tractum reor, qui his duobus aſtris principibus κύριον nomen ſolummodo attribuit. Imo & Romanos ipſos in quibuſdam conſularibus numiſmatis, in queis planetas cuderunt, vides in antica Solem juvenis radiati inſtar, in poſtica Lunam cornutam, quinque vero reliquos ſimplici ſtellarum ſpecie effinxiſſe, adeas ſup. pag.342. Homero parenti indulgentes, qui ex iis ſeptenis ſideribus bina dumtaxat ἰδίῳ vocabulo ſalutat: atque idipſum cernere eſt in quibuſdam gemmis aſtriferis, conſulas πολυβόητον opus Jo. Bapt. Paſſerii: & in præcipua gemma, quam affert Vandalius in diſſertat. pag.19. Solem, & Lunam ſub adoleſcentis, & juvenculæ ſpecie intueris, quinque reliquos planetas ſub unis tantum ſymbolis ſcalptos; tanti valuit etiam apud quoſdam artifices Homeri exemplum, & auctoritas.

Cauſam haud ſcrutari potis fui, cur quanquam Græci nunquam uſi ſint voce τεῖρος, ſive τείρεα, Latini e contrario nil frequentius adhibuerint, licet immutatis quibuſdam litterulis, nempe *ſidus*, & *ſidera*; neque quis ex faſtidioſiſſimis hominibus id etymon cetera ſincerum deſpi-

catui

Digitized by Google

catui ducat ; etenim binos hos characteres ſexcenties in ſuos affines qua Græce, qua Latine inveniet inverſos in Voſs. etym. & in tract. de litt. permut. cum videas idipſum denotare τείρεα, ac *ſidera*, licet Romana vox γενικωτέρα ſit : præterea reliqua veriloquia ῥήτεως *ſidus*, quæ antehac a doctis viris prolata ſunt, ἄτοπα vides, & longius petita ; nam Græculi ab τείρω, *moleſtus ſum*, extrahunt, quoniam, inquiunt, bene multi ob aſtrorum aſpectum, vel influxum morbo laborant, & *ſiderati*, ſive melius *ſidere percuſſi* audiunt : Τείρεα παρὰ τὸ τείρειν, πολλοὶ γὰρ ἐκ τῶν ἀστέρων καταπονοῦνται γινόμενοι ἀστρόβλητοι, ita Euſtath. in hunc Hom. verſum. Neque quid melius cudit Voſſius in voce *ſidus*, qui ab εἶδος, *ſpecies*, deducit, licet ſibi blandiatur, *Ex tot etymis ſimpliciſſimum illud, ut ſit ab* εἰδεῖν · ſed quiſque advertit, quam vaga ſit & γενικὴ iſthæc ſignificatio, & mirabitur Voſſium in hoc etymorum negotio, virum ἀκριβέστατον, vocabulum τεῖρος, ſive τείρεα non vidiſſe, ut ſaltem inter reliqua hoc noſtrum veriloquium adnumeraſſet.

Si vero quis a me expetat hujus Homericæ vocis veterem originationem, lubens reponerem eſſe ab טהר, *nitere;* & ut rem firmem ſcias Moſen Exod. 24. 10. id vocabulum ſideribus, ſive τείρεσι tribuiſſe, licet Græcus, & Latiaris, &c. interpretes nil adverterint, quare verſum eſt : *Et viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum, cum ſerenum eſt :* extrema verba in Moſe ſunt וכעצם השמים לטהר, quæ quidem Homeri ope ad ſermonis ſancti decorem, & vim ingenitam ea redderem, *& quaſi cæli ſubſtantiam, & robur, quando ſiderum ſplendore circumfulget ;* vides contra, quam exſuccum ſit, *cælum cum ſerenum eſt :* LXX. ſat longe ob origine aberrarunt vertentes τῇ καθαριότητι, *in munditie*, & Chaldæi, qui transfuderunt לבריו ab ברר, *clarum eſſe*, dum ſidera haud meminerunt hi interpretes, cum in ῥήσει לטהר includantur, unde Græci extraxere vocabulum τεῖρος. Si autem nova iſthæc interpretamenta, atque etyma animo tuo legentis ſedeant, ex Homeri lectione multam lucem mutuari ſacra volumina fatearis oportet, & ſexcenties idipſum a me factitatum in hoc atramentario opere te meminiſſe reor. Ceterum ſero novi longius ſermonem de voce τείρεα me protraxiſſe, ſed Homeri nomen & honos pace tua dignum reddent : interea facile a me præſtitum eſt revera in tanto vate τείρεα *planetas* valuiſſe, niſi bene multis difficultatibus ejus divina carmina urgeri velis ; mihique perdiu lætandum eſt, tum quod ſeptena ea ſidera in ῥαψῳδίαις primus veſtigaverim, tum quod Regium hoc atramentarium præter grande, & ingenitum aſtrorum decus, etiam his magni pretii Homeri carminibus, uti Vulcanus Achillis ſcutum tot divinis ſcalpturis honeſtavit, exornaverim.

x. Age ætatem vaſculi noſtri inquiramus, quod negotium extremo huic meo labori ſervavi ; nam a bene multis, quæ in omne hoc opus congeſſi, argumenta antiquitatis hujus organi mihi expromenda ſunt, idque tibi ita recepi ſup. pag. 26. Porro exſpectationi plurimorum me affatim facturum

Digitized by Google

ctūrum ajo lubens, licet præſracte populum, imo & ordinem ſuadere adniſi ſint quidam Regium hoc σκευάριον eſſe fœtum ἀρτίτοκον, & duobus abhinc ſæculis emiſſum in auras: ſunt etiam, qui adeo acutum cernunt ψευδαρχαιολόγοι, ut undique crepent vaſculum non thecam calamariam eſſe, ſed lucernam; & piget me hic adſcribere, quanta ineptiarum congerie id genus homines ſanctæ antiquitatis oſores, quos nunc etiam hoſtes atramentarios dicas, noſtrum hoc ſincerum vaſculum incruſtare illepide adlaborarunt; verum hos inſuaviſſimos, & acerbos homines ne curemus, nil enim ingenii latet iſtorum ſub corpore, atque inceptum urgeamus. Porro vel hoſtis capitalis vetuſtatis hujus vaſculi nobis nunquam aperiet, quo pacto in animi mentem venire potuerit alicui ex nuperrimis ſæculis fabro inter planetas Auroram adnumerandi; qui e contrario abreptus & ætatis ſuæ indole, & majorum quoque exemplo, imo & conſtanti omnium Scriptorum auctoritate Solem in ſecunda vaſculi facie appoſuiſſet, non vero Auroram, ſidus novum, atque importunum contra omnium aſtrologorum fidem huic thecæ affixiſſet; in ſiderum, & planetarum ordine, & diſciplina, & nuperos Scriptores, & fabros vocabula nunquam permutare vides, eaque ſarta tecta tueri, ne, dum omnia commiſcent, veterum hac de arte volumina ab intelligentia deſciſcant.

Præterea cum noſtra ætate horum vaſculorum fabros litterarum omnium ἀμυήτους noſcamus, neque quid novi excogitare ſatis ſint, eas icunculas σκευαρίοις ſuis ſcalpunt, quas a pueris didicerunt; quare cum in millenis noſtræ urbis, & totius orbis kalendariis inter planetas Solem inviſant, haud fieri poteſt, ut quis horum opificum Auroræ imaginem roſis undique diſtinctam, ac facem dextra, quin & ſiniſtra flagellum ſtringentem fingere ſatis ſit; cum bene norint ἀρχαιολόγοι icunculas his inſtrumentorum generibus ornatas ab antiquiſſimis Græcæ gentis fabris ad nos tranſmiſſas; & nil dubius edicerem fore, ut iſthæc Auroræ atramentariæ ſymbola, maxime flagellum, ne doctiſſimo quidem noſtri ævi antiquario huic Deæ attribuere in mentem unquam ceciderint: tantum abeſt, ut jejunus quis ærarius, & argentarius faber de his eruditionis plenis inſtrumentis noſtra, vel paullo ſuperiore tempeſtate cogitarit. Quare fateamur neceſſe eſt bonæ vetuſtatis ævo quandam rempublicam Auroram pro Sole inter planetas adcenſuiſſe, & faſtis ſuis hanc Deam eo habitu pictam appoſuiſſe, atque hinc facile ejus civitatis artifices exemplar exprimentes ſcalpſiſſe vaſculis. Quænam fuerit hæc urbs de Aurora, Sole poſthabito, benemerentiſſima, ſuperiori libro cap. 3. pag. 362. & ſeqq. vehementibus conjectationibus me divinaſſe reor, noſtra nimirum Neapolis, quæ utpote urbs Ὁμηρικωτάτη, hanc Deam aſtrorum principi antetulit, cum divinus vates Auroram ubique ſuorum carminum ſalutat de Sole quaſi nihil ſollicitus: relegas, quæ inibi a me multo labore ea de re collecta ſunt, ut de quibus nunc ſermo eſt, te magis urgeant: addas, quæ de inſano Neapolitanorum in ſidera, & planetas ſtudio plurima paullo ſuperne hoc cap. ediſſe-

Digitized by Google

ediſſeruimus ; fortaſſe μυςηγιῶδες quid magis in Aurora veſtigarunt cives mei, quam in Sole;& ſane niſi urbs, quæ otioſa eſſet, & perdite nocte, dieque aſtra meditaretur, inſolentem hanc Solis in Auroram mutationem concoquere minime valuiſſet : quæ quidem ſatis ardua detegere cum mihi datum ſit, porro faceſſant, quotquot vaſculum, ejuſque icunculas non antiquiſſimi, ſed paullo anterioris ævi opificium eſſe ubique viarum crepant.

Præterea in hos refractarios ita urgeo : cum ſequioris ævi aſtronomici Scriptores, etiam ſapientiores hebdomada non ab Saturno, ſed a Sole cœptare univerſi jurata fide edixerint, ut ſuperne pag.315. bene multis oſtenſum eſt, & fundos dedi Vettium Valentem, atque Auſonium, præter cuncta kalendaria ejuſdem ætatis, qui Soli primam τάξιν, & ſedem deputant; profecto ſi artifex hujus noſtri vaſculi paucis ante ſæculis vixiſſet, minime a Saturno, ſed a Sole planetas diales enumeraſſet, ac ſcalpſiſſet, errore longa temporum ſerie fulto ac firmato abreptus ; in quem etiam Seldenum Angliæ lumen τὸ τηλαυγές, ac præclariſſimos noſtræ ætatis mathematicos univerſos offendiſſe multis verbis conqueſti ſumus pag.331. Igitur nimis ſolute, & oſcitanter mecum ageret, quiſquis contra hujus cimelii antiquitatem certaret ; cum ſane argentarius faber veram, & vetuſtiſſimam, quoad ordinem planetarum dialium, rationem, quæ ætate ſua vigebat, tenuiſſet, neque novam ſeptem ſiderum ſeriem ex ſe ipſe creaſſet, ac Saturnum, quod ita ſibi lubuit, Soli antetuliſſet. Itaque concludendum mihi eſt vaſculum hoc Regium elaboratum ſæculis priſca vetuſtate beatis, quando non dum ob temporum malignitatem ab Sole initium dierum ſumebat hebdomas, ſed a Deorum omnium parente Saturno: imo nil licenter dicam, ſi affirmem nullum artificem vel ætatis noſtræ, vel paullo anterioris hoc noſtrum organum his icunculis eo planetarum ordine, quem intuemur, honeſtare potuiſſe, quando etiam ab Auſonii ætate a prima ſede Saturnum immerito deturbatum legimus; & licet Caſſius vid. ſup. p.334. & vetera monumenta ei primam tribuerint, niſi lucem noſtrum vaſculum vidiſſet, atque ipſe, prolatis bene multis veterum teſtimoniis, ejus principem inter ſeptena ſidera locum tutatus eſſem, adhuc ſecundas ageret, & Soli cederet; itaque monſtri inſtar dicas, ſi ſaber nuperrimi, non antiquiſſimi ævi, tot Scriptorum multitudini, totque ἀρχαιολόγων opinioni multorum ſæculorum ſerie obfirmatæ obſiſtens in primam thecæ noſtræ calamariæ faciem ſenem Saturnum, non vero Solem immiſiſſet.

Ad hæc adſerere cogeremur & ſcaphulam, & marmoreum monumentum, quæ Montfauconius, & lucernam, quam Paſſerius mihi præſtiterunt, vid. ſup. pagg.323. 326. 330. ubi planetæ eodem ordine, ac in Regio atramentario renident, ac nulluſdum veterrima iſthæc terna monumenta pernegavit, duobus abhinc ſæculis eſſe fabrefacta : e contrario, quoniam omnes juratiſſimi triplex hoc aſtriferum λείψανον vetuſtiſſimum ſalutant, quiſque etiam urgetur, ut atramentarium noſtrum ſcaphulæ, marmoreo monu-

mento, & lucernæ ſimillimum, ejuſdem eſſe vetuſtatis opificium fateatur, niſi ſuſque deque omnia permiſcere ac turbare appetat. Quæ omnia tam aperta, & ponderoſa pro tuenda vaſculi ſuprema vetuſtate abducere prorſus valent, ut id genus homines nil niſi pingue contra blaterantes tandem deſiſtant; & potius admirentur ingens, & ſingulare patrii vaſculi pretium, tum ob Homericam Auroram, quam Neapolitani vice Solis inter planetas adſcripſere, tum quod verum ſeptem aſtrorum ordinem tandem nacti ſumus, & lucis plurimum antiquis Scriptoribus, ac Dioni Caſſio præſertim enatum eſt; & Regi D. N. gratulentur, quod gemmis ſuis carius pignus ſibi accuraverit, nec longe gentium abire ſiverit.

Si autem certi ſimus, quinam fuerit hujus organi poſſeſſor, nempe aſtrologus, & conſtet non eſſe poſtremorum temporum opificium, ſed remotiſſimorum, deſperandum ſolummodo eſt certam vaſculi ætatem internoſcere, cum in eo nullas annorum notas, vel characteres inviſamus; attamen liquido ſcimus inter bini ſæculi intercapedinem noſtri atramentarii opus poſſe concludi, ſcilicet ab paucis ante Auguſtum annis ad Dionis Caſſii, aut paullo poſteriorem ætatem, quam ſane ex multis, quæ a me in totius hujus voluminis curſu dicta ſunt, facile firmandam reor. Docet nos Caſſius ipſe hebdomadis planetarum τάξιν, ordinemque ab Saturno incipientem haud diu, (ratione nempe habita ætatis ſuæ,) in Romanos penetraſſe ab Ægyptiis, & jam tandem, i. e. ævo ſuo, ſollemnem & patrium morem evaſiſſe, (quem Dionis locum probe pag. 334. excuſſimus, & nitori ſuo reddidimus;) poſtea vero temporis Chriſtiana religio ac ſanctitas planetarum ordinem invertit, Saturnumque ad ultimam ſedem dejecit, Solemque principem dierum creavit ob divinam Chriſti domini ἀνάστασιν· ita ut jam ſub Honorio Aug. ubique gentium primus hebdomadis dies Solis, ſeptimus Saturni nomine præpoſtere cenſeretur ex Auſonio, aliiſque, quos ſuperne pag. 331. hujus mutationis teſtes produximus: igitur Regium hoc σκευάριον jam hujus imperatoris tempeſtate antiquius dicas, cum in eo ſuffixi ſint planetæ more veterrimo, locum principem occupante Saturno.

Præterea ſtructura noſtri vaſculi conjurat cum ea, quæ in Menedemi theca calamaria viſebatur, nimirum πολύωψ, & hanc ſane talium vaſculorum formam Auguſti ætate viguiſſe credendum eſt, nam in Antholog. lib. *6.* cap. τῶν ταχυγράφων Philippus epigrammatis auctor, qui Menedemi meminit, Octaviani familiaritate fruebatur; de voce πολύωψ, *multis faciebus conſtans*, ad ſatietatem, & fortaſſe κυριωτάτους quamplurima dicta ſunt ſup. pag. 18. Et ſane ea eſt hominum indoles, ut vaſis, & cujuſcumque artis organis quandam certam figuram impertiantur, eaque diu ſervetur, inde volventibus annis aliam comminiſcantur; ita ut ſæpe horum cimeliorum majorem, aut minorem ætatis vetuſtatem ab forma facile divinent ἀρχαιολόγοι· quare cum circa Auguſti ævum & ipſa Menedemi atramentaria theca non unis faciebus conflata ſit, & Dionyſii

Digitized by Google

nyſii Halicarnaſſei ſcribentis vaſculum octogonum videas ſup. pag. 16. qui etiam hujus imperatoris ſæculo floruit; addam etiam tertiam calamariam thecam, quam nuperrime depictam acquiſivit Rex fortunatiſſimus totidem faciebus diſtinctam, & conſtat Pompejos, unde extracta eſt, ſub Nerone deſediſſe, quis neget circa Auguſti ſæculum atramentariorum artificum ingenium fuiſſe vaſcula ſua potius in octogonam ſpeciem conformandi? licet deinceps frequentius in rotundam deſciverint; quare jure dicas, dum noſtrum σκευάριον, & Vaſſallianum, vid. pag. 17. octangula cernis, ea ætate fabrefacta, nempe Auguſtea, quando ea forma γενικῶς obtinebat, fabrique veluti fide data eam imitabantur.

Præterea pro tuenda Regii hujus vaſculi priſca ævitate bene multa adhuc ſuppetunt argumenta, quæ mixtim percenſenda reor, ne in re certa otium teram. Vides id organum opere ἐμπαιστικῷ fabrefactum, quænam ſit ars ἐμπαιστική, vide plurima, & nova a me exprompta pag. 395. & ſeqq. & inibi reperies circa Auguſti ſæcula ipſam cum primis celebratam; & ne ad peregrina cimeliarchia vagemur, adeas veterum gazarum theſaurum Herculanenſem Regis noſtri Auguſtiſſimi, ubi ſexcenta vaſcula eodem opere, ac atramentarium noſtrum conflata reperies, quorum aliqua pag. 378. ipſe indicavi, & inter reliqua præcellunt congius, & Æſculapii, atque Hygiæ lamella, conſulas pag. 378. præter guttos, ſive gutturnia, & parvas acerras, necnon imagunculas, quæ omnia ex ære compacta vides, ſed argenteis ornamentis in ipſum æs immiſſis ſplendentia æque, ac Regia theca calamaria, ita ut ab uno artifice elaborata dejerares: & notum eſt quædam artificia certis temporibus viguiſſe, imo & fabrorum indolem atque ingenium ſæculum, & annos ſæpe nobis aperte offerre; conjurant hac in re mecum, qui rem numiſmatum vel parum callent, & quicumque temporum vices in cujuſvis generis antiquis monumentis animadvertere in numerato habent. Quare, cum Regium cimeliarchium ditiſſimum ſit vaſculis, icunculis, imo & ſtatuis ipſis, præter cetera, arte ἐμπαιστικῇ confectis, niſi qui ferus eſt id genus ſtudiorum, neget noſtrum organum atramentarium ejuſdem ætatis eſſe, ac reliqua Herculanenſia cimelia, dum, ut ovum ovo, ſimilimum vides: & cum id oppidum Titi Aug. ævo Veſuvii cineribus obrutum ſit, jure a me noſtri σκευαρίου ætas inter primores Cæſares circumſcripta eſt: porro qui ſapiunt, non eſſe magis fidas temporum notas ac characteres edicunt, quam ſi vaſculorum opera ſimul conſpirent, ac ejuſdem ingenii ſint, atque opificii.

Hujus ætatis firmatur eſſe hoc atramentarium, eo quod planetis ſecundum hebdomadis dies illuſtre eſt, atque abuſus fuit aſtrologus, uti ſuperne p. 700. &c. multis a me præſtitum eſt: & ſcimus Horatium, Petronium, ac Statium chartis illeviſſe Neapolitanos Chaldæis ſtudiis floruiſſe, imo & his perditam operam impendiſſe, qui utpote vaſculi hujus fabri, planetas ubique vaſculorum affigebant; addas, quoniam oſtenſum eſt fere omni cap. 4. lib. 2. ejuſdem σκευαρίου artificem planetarum icunculas ab Ho-

Digitized by Google

meri verſibus expreſſiſſe, fatearis neceſſum eſſe ea tempeſtate conflatam hanc thecam calamariam, quando & fabri ærarii, & argentarii Neapolitani audiebant Ὁμηρικώτατοι· & certum eſt ex Petronio, vid. ſup. p. 362. &c. urbem noſtram Homeriſtis homuncionibus plenam fuiſſe; & Philoſtratus refert, ut dictum eſt p. 514. vel pueros decennes noſtrates ſecum tantum vatem undique circumtuliſſe, atque apprime calluiſſe; circiter igitur horum Scriptorum tempora Regium σκευάριον conflatum credas oportet.

Neque prætercam antiquiſſimum noſtri vaſculi pretium oppido commendare admodum breve foramen, in quo calamus atramento tingebatur; etenim ſub primis Auguſtis ita id genus organa aptabantur; do tibi teſtem atramentarium Dionyſii Halicarnaſſei, quod appoſui p. 16. & licet depictum ſit in volumine ſat inferioris ævitatis, tamen inibi a me dictum eſt librarium exſcripſiſſe ab longe antiquioribus, & optimæ ætatis membranis, & fortaſſe etiam ab αὐτογράφῳ, nam Dionyſii imago elegantior eſt, quam decimi ſæculi ingenium ferebat. Præterea Regi noſtro omnium feliciſſimo bina atramentaria ex ruinis Herculanei, & Pompejorum oblata ſunt, alterum ex ære, depictum alterum, & utrumque breve foramen ſuperne præſeferunt. Neque obliviſcenda theca calamaria ex argilla, quam Boldettus in grandi opere de Cœmeteriis to. 1. pag. 329. nobis exhibet, vel in ea cernere eſt ſat exiguum foramen, ita ut vel jejunæ gentes & egentiores primorum Cæſarum ſæculo ea forma his vaſculis uterentur. Neque promptus ac lubens aſſurgas, atque obgannias Vaſſallianum atramentarium organum vetuſtiſſimum, utpote planetis etiam olim decorum, quod tibi objeci pag. 17. eſſe ſat hiantis oris, atque undique patentis; nam ſtatim reponam operculum ei marmorarium fabrum certe adglutinaſſe in medio arcte pertuſum, ſed temporis edacitati gluten ceſſiſſe, quare ab vaſculo diſtractum eſt: atque ita accidiſſe fatearis oportet, nam alias, niſi binas partes habuiſſet marmoreum hoc organum, introrſum excavari haud quiviſſet: & ſcias etiam Regium hoc noſtrum atramentarium ex ære repertum eſſe, decuſſo ob ævitatem majori operimento, quod ſi peſſum iviſſet, omen Superi avertant, etiam os hians præſeferret, ut in ſchemate cernere eſt init. hujus operis adjecto.

Imo ἀρχαιολόγοι, ſi σχῆμα cujuſvis atramentarii inviſant ore patulo, ſtatim illud ad inficeta ſæcula amandant; etenim etiam ipſe conſului quaſdam icunculas, quas adjicere ſoliti fuere voluminibus librarii, nobiſque paſſim præſentant libri illius auctorem ſcribentis habitu, veluti Evangeliſtas, &c. ac reperi, ſi ævi nequioris ſint, vaſculum atramentarium apertiſſimo ore nobis exhibuiſſe; & ne te longe ablegem, in Montfauconii palæographia in S. Lucæ ſcribentis icuncula, utpote oppido barbara, vide pag. 22. ſanequam patens atramentariolum eſt. Inde idem Montfauconius laborioſiſſimo huic operi apponit pag. 23. thecam calamariam *San-Dionyſianam* affabre pictam, & ſexcentis ornamentis illuſtrem, atque illam ratus eſt *remotiſſimæ vetuſtatis;* verum ſtatim ac in eam

oculos

Digitized by Google

oculos convertes, recentiſſimæ ætatis deprehendis, tum quod forma ipſa notam hanc præſefert, tum quia ſuperne cernere eſt omni ex parte apertum ac patens orificium: hinc Benedictini anonymi Pariſienſes in opere diplom. hocce Sancti Dionyſii atramentarium tacite tum nuperrimum, & ἀρτίτοκον opus traducunt, tum levioris fidei in eo Montfauconium incuſant, dum illud poſthabent. Igitur in id genus vaſculis arctum foramen, ut in noſtro vides, certum antiquitatis pretium eſſe ſapientiores conjurant. Iraſcor interea noſtræ ætatis pictoribus, qui, utpote veterum morum ἀμύητοι plerique omnes, hanc calamariam ſupellectilem hianti orificio depingunt, quod non advertit Pelleterius, & quotquot de pictorum erroribus ſcripſere; quare admonendos reor, ac caſtigandos, ne poſthac idem peccatum urgeant.

Neque exputo importunum, ſi διὰ βραχέων adjiciam quædam ornamenta icuncularum noſtri atramentarii etiam ejus veterrimum ævum oſtentare: & ſane vides fere omnes planetas ſceptro armatos, ſive ῥαβδοφόρȣς; ac veluti *ſatellites*, & ipſe ſup. p. 348. oſtendi eos ſalutatos duodecim zodiaci Deorum *lictores*: hinc facile colliges, perquam remota ætate hos ita ſcalpi oportuiſſe, cum id genus abſtruſæ eruditionis plenæ fabellæ inficetiſſimos noſtri ævi artifices omnino latent; qui finxiſſent etiam Saturnum, ut moris eſt, βαθυγένειον, & μακρογένειον, *promiſſam barbam habentem*, non vero, uti inſolentiſſimum eſt, εὐρυγένειον, *latam barbam habentem*, uti effictus eſt in Regio σκευαρίῳ, adeas pag. 347. & unus vetuſtiſſimus artifex Martem conſormaſſet χρυσήνιον, *aurea ligamina habentem*, inſpicias attentius σχῆμα, & conſulas pag. 367. ac Mercurium finxiſſet σπαργανιώτην, vid. p. 369. σπάργανον enim proprium hujus numinis indumentum erat; ut & vitem auream prætercam, quam vaſculi operimento majori affixam intueris, deque ea ipſe non pauca illevi, pag. 373. & gluten ipſum taceam, quo de p. 403. non poſthabenda invenies; quæ ambo ſatis ſunt, ut longiſſimam ætatem hujus organi commendemus. Hac igitur ſat multa collecta argumentorum vi, qua & pretium, & antiquitatem Regii σκευαρίȣ tutati ſumus, nil dubii eſt, quin poſthac haud hiſcere quidam audeant contra hanc eximiam vetuſtatis gazam; ceterum ne curemus, ſi idem ineptiarum negotium urgeant, nam iſtorum hominum de tanto vaſculo judicia haud illud dedecorant, quos *Bœotum in craſſo jurares aere natos*.

XI. Demum minime obliviſcendum mihi eſt ſat pauca, & curſim loqui, nam res non tanti eſt, de octangula organi noſtri figura; etenim bene multi aures meas obtuderunt, cur atramentarius artifex illud non ἑπτάγωνον conflarit, cum ſeptem planetas ei ſuffixerit: quidam ſuaviſſimi, atque antiquitatis parum conſulti rati ſunt faciem illam imaguncula carentem adhæſiſſe alii vaſculo, a quo tempeſtatis injuria diſtractam ac ſejunctam eſſe, indecoram viſu ajentes elegantiſſimi cimelii faciem inanem, nulloque ornatu honeſtam; quare jurarunt certo certius eam partem, quæ

nuda

nuda eſt, efferruminatam parieti alterius vaſculi, alias ſeptem faciebus diſtinctum illud fudiſſet artifex, quo σκευαρίῳ partes totidem icunculis reſponderent. Verum hæ ſunt gerræ germanæ; etenim, præterquamquod veteres ταχυγράφους uno atramenti organo uſos ſcimus, repono dignitatem & leges architectonices edicere aberrare fabrum, atque in ſua arte hoſpitem eſſe, ſi vel ædem, vel aram, vel minimum vaſculum fingat imparibus faciebus, ac lateribus; ideo vel rotundum, ut plerumque moris eſt, vaſa conformant, vel paribus lateribus conſtantia, ut latus lateri, angulus angulo, non e contrario latus angulo, quod fat informe, & viſu inconcinnum eſt, reſpondeat. Igitur ut artis præcepta ſectaretur, quorum ſcientiſſimum fuiſſe oportuit vaſculi noſtri fabrum, potius ὄψιν unam vacuam eſſe voluit, quam ab architectonice abludere turpiter; præſertim, cum ex ea octogona figura, unde initium ſumerent hebdomadis dies, clarius ac facilius haberetur. Idipſum dat animadvertere marmoreum atramentarium Vaſſallianum, cujus ſchema ſuperne depictum eſt pag. 17. in quo ſeptem ejus parietes pertuſos vides, quibus affixæ totidem erant imagines, octavus paries impertuſum ſe prodit, ut angulorum potius, ac laterum συμμετρία ſervaretur, nulla icuncularum ratione habita, præſertim cum hæc theca calamaria e marmore nulli alii vaſculo adhæreſcere potuerit ob facierum curvitatem.

Teſtem ac fundum voco eorum, quæ a me ipſo facile excogitata ſunt, Baptiſtam Albertium docentem lib. 7. cap. 4. p. 206. Venet. 1550. *dell' Architett. Veggiamo ancora, che la natura ſi è dilettata delle coſe, che hanno ſei facce; perciocchè le pecchie, e i calabroni, e ogn' altra ſpecie di veſpe, che tu ti voglia, non hanno imparato a fare quelle loro ſtanzette ne' loro teatri mai d' altro, che di ſei facce:* ſed Albertius veterum Scriptorum auctoritates colligere oblitus eſt, quas a me accipies: Ovid. Metam. lib. 15. v. 382.

Nonne vides, quos cera tegit ſexangula, fœtus
Melliferarum apium ſine membris corpora naſci,
Et ſeroſque pedes, ſeraſque aſſumere pennas?

Item Varro de R.R. l. 3. c. 16. p. 365. edit. Geſneri: *Tria enim harum cibus, domus, opus; neque idem, quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus: non in favo ſex angulis cella, totidem, quot habet ipſa pedes? quod geometræ* ἑξάγωνον *fieri in orbe rotundo oſtendunt, ut plurimum loci includant*. Idipſum recoquit ibid. p. 372. *Favus eſt, quem fingunt multicavatum e cera, cum ſingula cava ſena latera habeant, quot ſingulis pedes dedit natura*. Auctor de laudibus vitæ monaſticæ a Sirmondo editus ad Goffridum Vindocinenſem ep. 4. 1.

Hexagonis cellis, quæ mella liquentia condunt,
Utile, mirificum quæ fabricantur opus.

E Græcis in Geopon. 15. 3. hæc habes: Τὸ δὲ φιλόπονον αὐτῆς, καὶ ἐγγὺς λογικῆς διανοίας μάλιστα θεωρεῖται, ἐξ οὗ τὰς θήκας ἑξαγώνους ποιεῖ, quæ ita verto,

Digitized by Google

verto, *amor autem filiorum, quem* (apis) *ipſa nutrit, & cognitionis vis, quæ ei ineſt, quaſi rationis particeps, potiſſimum dignoſcitur ex eo, quod cellas ſtruit ſexangulas*. Sed ut te oblecter, apponam verſus elegantiores Piſidæ ex Κοσμουργίᾳ, ſive *de mundi opificio*, licet non tam vetuſtus ſit vates, v.1137. cum eo, quod adnexum eſt, nil malo interpretamento:

Τίς τὴν μελίτταν τὴν σοφὴν, τὴν ἐργάτιν
Γεωμετρεῖν ἔπειϛε, ϗ τεϛαρόφους
Οἴκους ἐγείρειν ἑξαγώνων κτισμάτων;
Ποιεῖν δὲ τὰς σύριγγας οὐκ ἐπ' ὀρθίας
Γραμμῆς διευθύνεσθαι, ἀλλ' ἐγκαρσίως
Μήπως ὀλισθήσωσιν οἱ κάτω πόδες
Ἐκ τῶν ἄνωθεν φορτικῶν βαρημάτων·
Εἶναι δὲ μᾶλλον τὰς παραλλήλους θέσεις
Τῶν ἀντιλόξων κτισμάτων ἐρείσματα·
Ὡς ϗ τὸν οἶκον ἱϛάναι βεβηκότα,
Καὶ μηδὲν ὑγρὸν ἐκπεσεῖν τῆς ἰκμάδος.
Γεωμετρῶν ἐντεῦθεν, Εὐκλείδη, σκοπεῖ,
Καὶ σχῆμα μηδὲν γραμματικὸν περιξέσῃς,
Μήπου σε κέντρον τῆς σοφῆς διδασκάλου
Πλήξῃ μελίττης, ϗ μαθεῖν ἀναγκάσῃ.

Quis mellis opifici liquentis optimæ,
Geometriam exercere ſuaſit, ac domos
Tectis tribus ſexangulares condere?
Et fiſtulas non lineis dirigere
Rectis, at obliqua via, flexo ordine:
Ne forte labantur pedes uſquam infimi
Ex ſarcinis ſuperis, quibus pondus grave eſt:
Sed paribus ut ſpatiis locati limites
Sint fornicatarum ædium ſtabilimina,
Quo cella ſtet firmata rectis arcubus,
Et nectaris nil dulcis excidat foras.
Geometriam tractans vide, Euclide, hoc opus,
Nullam at figuram linearem detrahas,
Ne aculeus magiſtræ apis doctiſſimæ
Te pungat, addiſcas ut invitus licet.

Ceterum jam Euclides noverat inter elegantiores figuras adcenſere hexagonum, & pueri geometræ norunt ejus περιθρύλλητον, & longiorem prop. 15. lib. 4. Εἰς τὸν δοθέντα κύκλον ἑξάγωνον ἰσόπλευρόν τε, ϗ ἰσογώνιον ἐγγράψαι. Atque adeo verum dicas apes cellulas ſuas ſexangulas conſtruere, ut architectorum princeps Vitruvius figuras ἑξαγώνους vocet κατ' ἐξοχὴν *favos*, lib. 7. cap. 1. pag. 127. Amſtelod. 1649. *Cumque ea pavimenta exſtructa fuerint, & faſtigia exſtructiones habuerint, ita fricentur,*

tur, *uti ſi ſectilia ſint*, *nulli gradus in ſcutulis*, *aut trigonis*, *aut quadratis*, *ſeu* FAVIS *exſtent*. Quare miror Columellam de his apium cellis loquentem lib. 9. c. 15. pag. 685. edit. Geſneri ſexangulam figuram non meminiſſe: *Ceterum figura cerarum talis eſt*, *qualis eſt habitus domicilii; nam & quadrata*, *& rotunda ſpatia*, *nec minus longa ſuam ſpeciem*, *veluti formæ quædam favis præbent; ideoque non ſemper ejuſdem figuræ reperiuntur favi:* verum ut cum tot Scriptorum turba conjuret Columella rerum ruſticarum callentiſſimus, in ejus κειμένῃ vocem *longa* confingerem quovis pignore *ſexangula;* etenim quod ἁπλῶς *longum* eſt, nullam ingerit menti figuram, & quis unquam vel inter gentes barbaricas auribus hauſit *domus longa?* contra vero apte dicitur, *domus rotunda*, *quadrata*, *ſexangula*, &c. miror ſane nil hac de re Columellæ interpretes doctiſſimos adnotaſſe, vel parum hæſiſſe.

Servavi Plinii documenta, quo ſimul proferrem, cum multiplicia ſint, de ſexangula figura, licet etiam hic hiſtoricus crediderit apes eam amare, ac parare, quod ſenis pedibus gaudeant: *Sexangulæ omnes cellæ*, *ſingulorum eæ pedum opere* lib. XI. c. 12. ſegm. 12. *Veſpæ in ſublimi e luto nidos faciunt*, *& in his ceras: crabrones cavernis*, *aut ſub terra; & horum omnium ſexangulæ cellæ*, lib. XI. c. 24. ſegm. 20. Inde Plinius ait etiam in aliis rebus, & præſertim in gemmis hanc ἑξάγωνον formam, ſive æqualibus lateribus conſtantem naturam perſequi, uti aſſerit de adamantis quadam ſpecie, qui *laterum ſexangulo lævore turbinatus naſcitur*, lib. 37. c. 4. ſegm. 15. Idipſum adſtruit de gemma, quæ dicitur *iris*, nempe *ſexangulam eſſe*, *ut cryſtallum*, lib. 37. c. 9. ſegm. 52. & de cryſtallo accipias ejus verba: *Quare* (cryſtallus) *ſexangulis naſcatur lateribus*, *non facile ratio inveniri poterit*, lib. 37. cap. 2. ſegm. 9. & revera interpretes jurant ea forma reperiri in montibus Ebrodunenſibus, & Dienſibus in Delphinatu: & injuria Jul. Scaliger in exercit. 118. pag. 180. de ſubtilit. exagitat Cardanum de hujus cryſtallorum figuræ ratione, cum ipſe nil melius, aut opportunius excogitarit; dum ſatis ſuperque eſt definire naturam laterum συμμετρίαν ſectari, uti jam & Piſides olim, & nuper Albertius docuere. Hinc vellem, ut gemmarum artifices ad hunc laterum numerum eas effingerent, uti olim perpolitas meminit Plinius lib. 37. c. 5. ſeg. 20. *Poliuntur omnes* (berylli) *ſexangula figura artificum ingeniis.* Demum idem hiſtoricus lib. 2. c. 18. ſegm. 15. aperte profert naturam adeo eam amaſſe, ut *multa promi amplius poſſint ſecreta naturæ*, *legeſque*, *quibus ipſa ſerviat. . . qui numerus ſexangulas mundi efficit formas.*

His animadverſis, dicas apes, (ut de gemmarum artificibus, & de tellure ipſa ſileam,) natura auſpice γεωμετρεῖν, & cellarum ſuarum σχῆμα ad optimæ artis regulam & normam confingere, paribus ſcil. lateribus; quare minuti ingenii ſpecimen Varro, & Plinius exhibent, dum edocent, eo quod apes ſenos pedes nactæ ſunt, idcirco ἑξαγώνους favos ſuos conformare; & miror magis Vitruvii interpretes quoſdam, vide adnotationes,

tiones, in Varronis verba juraſſe: præſertim cum Scriptores, licet non elegantis ætatis, uti Piſides, jam edixiſſent naturam in apibus γεωμετρεῖν, & quiſque a teneris diſcit idipſum Platonem pronuntiaſſe: ſcias Perroltium in hunc Vitruvii locum nihil adſcripſiſſe. Igitur, ut, unde dilapſus eſt ſermo, redeat; jure faber atramentarii vaſculi heptagonam figuram aufugit, atque ſatius ei, ac antiquius fuit artis architectonicæ, & συμμετρίας præceptionibus, quam planetarum numero in formandis faciebus proſpexiſſe: & porro faceſſant, quotquot de calamariæ thecæ noſtræ octonis ὀψεσιν inepta ſatis in vulgus venditant, vel potius cum Piſide vetuſto Scriptore, atque Albertio recentioris ævi conjurare in animum inducant: vel ſi quid temporis eis ſuppetat, inviſant lib. 5. procemium Pappi Alexandrini in collect. mathem. qui totus eſt in commendanda apum induſtria, ac pleno geometriæ ſtudio, quod urgent in favis ſexangulis conformandis: quem locum, utpote longiuſculum, indicare ſatis habeo.

Atque hæc affatim, quæ de jam πολυτιμοτάτῳ vaſculi negotio dicere aggreſſus ſum; ſcio rem atramentariam prodigialiter auctam me appoſuiſſe, ſed fortaſſe pretium operis haud infelix dicas, ſi & meum ſcribentis fervens ingenium noſcites, & memineris nunquam cautùm fuiſſe, ne φιλολόγοις ſit quædam rei argumento intermiſcendi poteſtas, nec columnas id interdixiſſe, præſertim ſi ordinis virtus, & lepos, quem ipſe religioſiſſime colui, minime poſthabeatur. Itaque omne opus, quod inter manus crevit, apte ſibi reſpondet, cum, uti in προλεγομ. fuſius dictum eſt, in binos libros diſtinctum ſit, quorum primus univerſum atramentarium negotium amplectitur: ſecundus circa vaſculi ornamenta omnis verſatur, atque eoſdem in fere æqualia capita diſtractos vides: & quo utraque materies veteris elegantiæ monumentorum plena magis diteſceret, & legentium animos nil importuna varietate pelliceret, primi libri extremitati πάρεργον appoſui de veterum voluminum figura, & ornamentis: qui commentarius non parum atramentariam ſcriptionem juvat: alterius libri oræ bina capita de Neapolitanæ reip. decore, ac ſtatu adſuere pæne coactus ſum, eo quod Regium σκευάριον Neapoli conflatum reperi: atque has tenes nil mixtas operis partes, ac γενικόν totius argumenti nil turbatum ſpecimen.

Quoniam jam ſatis multa congeſſi, nunc mihi quaſi perorandum eſt. Pretium ſane, ac dignitatem hujus Regiæ thecæ calamariæ tantæ raritatis dicas, ut ſolitarium ſit, nec in tot uberrimis principum virorum, ac Regum cimeliarchiis ſecundum invenias, ita ut hanc gazam invidere neceſſe ſit, donec vel par organum, vel ſaltem ſimile e telluris ſinu in apricum prolatum quibuſvis curis, ac divitiarum vi conquirant. Evolvas ſat grandia Antiquitatum volumina Montfauconii, ac minores etiam id genus συλλογάς, quamlibet vel ignobilis, ac minimi vaſculi ſpeciem, & exemplar inviſes, vaſculi atramentarii typum omnino deſideras: cum autem virum ſummum ingens opus ſuum hoc organo deſertiſſimum proferre in lucem mirum in modum piguiſſet, tantæ horum σκευαρίων egeſtati

conſulendum ratus *San-Dionyſianum* atramentarium, de quo ſup. pag. 729. νοθείας plenum pingendum curavit.

Quo autem fato, & infelici ſidere factum ſit, ut ex his ſcriptionis vaſculis, quæ, ὅτα κόνις, olim fuiſſe oportuit, id unum e terræ viſceribus eruperit, videritque auras, cum ignariſſimis ſcio, cauſam veſtigent alii; & Vaſſallianum e marmore atramentarium, utpote argentei planetæ ab eo decuſſi ſunt, caretque operculo, dicas potius organi dimidium; atque ſi Rex thecam calamariam ex ære ab Herculanei ruinis nuperrime nactus ſit, eo quod rotundæ ſpeciei eſt, nulliſque nitet ornamentis, ſi cum noſtro comparet quis aurea vite ſplendido, argenteiſque planetarum icunculis illuſtri, veluti ignobile vas, ac poſthabendum facile exputabit; ceterum id unum admiremur omnes paucis abhinc annis, nempe ab Regis D. N. veterum ſupellectilium amantiſſimi adventu Neapolitanam tellurem tanto Principi pronam, ac obſequentiſſimam veluti ſinum aperuiſſe, & inter immanes vetuſtatum divitias terna hæc etiam μελανοδοχεῖα a majoribus, atque ab exteris perdiu expetita tandem effudiſſe.

Porro Regiam hanc thecam unde unde adſpicias, extremæ dignitatis reperies, nam præterquam quod id genus vaſculis ceterorum Principum virorum cimeliarchia deſeruntur, vides electiſſimis metallis illuſtrem, & politiſſima arte conflatam; ſed quod illius pretium enorme, atque ἄφθονον reddunt, ſunt icunculæ planetarum ſecundum hebdomadis dierum ordinem ei ſuffixæ, quas horum Deorum τάξις tantæ raritatis oſtentat, ut vix terna vetuſtatis monumenta, licet fuiſſem acerrimus veſtigator, (etenim, procul ſit invidia, fere omnes ἀρχαιολόγων, qui eas gazas collegerunt, libros conſului, quæ init. hujus lib. 2. depingenda curavi,) ſcrutari ſatis fuerim, nec integra figura prædita repererim, ut in noſtro σκευαρίῳ, ſed ſolum protomas: quin ſcias, licet Italiæ lumen Paſſerius ingens corpus gemmarum aſtriferarum, & lucernarum miro ordine, ac commentario digeſſerit, ac exornaverit, ne privam quidem gemmulam planetis dialibus inſignem nobis exhibuit, ex lucernis vero vix una, neſcio, quo benigniore ſidere, opus ſuum honeſtavit: adeo rarum, ac inſolentiſſimum negotium dicas quodvis vaſculum, vel gemmam ἑβδοματικοῖς planetis ſplendidam. Si vero addas nos huic regio atramentario pro Sole Auroram affixam intueri, adeo vetus hujus organi dignitas, & ὑπεροχὴ increſcit, ut prorſus ſingulare prædices, & μονογενές, hinc deſperandum eſt, ut alterum ætas proferat in lucem.

Atque haud ſcio, an quid grandius, & hominum admiratione dignius hoc vaſculo effingi poſſit, ſi advertas, quantum utilitatis, atque incrementi rei litterarum publicæ adjecerit; vides enim antequam in luminis auras veniſſet id κειμήλιον, de atramentariis vaſculis tot primi ſubſellii ἀρχαιολόγοις ne brevem quidem diatribam exarandi negotium in mentem veniſſe, licet de veterum ſcribendi ratione ingentia volumina compegerint, cum ſcriptoriæ unæ ceræ, & tabulæ eorum animum obnubilarint; factum eſt ope hujus ſupellectilis, ut opinio ceratarum tabellarum, licet

tot

tot Scriptorum auctoritate, ac pondere fulta, & firmata, victa eſſet tandem, ac langueſceret, & ſpes eſt fore, ut brevi etiam intereat; imo & teſtamentorum, & ſyngrapharum codices uno atramento conſcriptos oſtenſum eſt, quanquam omnes juris interpretes contra dejerarint, ac ceris adhæſerint; ut ſileam de medicorum ratione ſcribendi ſuas medicaminum ſchedulas, ſive potius juſſa, & προςάγματα· quare atramentum oblitiſſimum poſt tot ſæculorum intervallum veluti poſtlimio revocatum eſt; ut præteream tot vetera reperta & γνήσια, quin & barbara hujus vaſculi nomina in unaquaque trium principum linguarum, ignota prorſus antehac, quamvis in tot veterum membranis aperta ſatis; at non oblivíſcar in cauſa fuiſſe hoc organum, ut de librorum forma quadrangula, & quid volumen, codex, & diptycha, &c. audiant in peculiari παρέργῳ adderetur: & licet contra doctiſſimorum virorum ſententias itum ſit, lucis plurimum tum veteribus Scriptoribus, tum juris σώματι affulſit. Quis vero commemoret, quantum & fortunæ, & dignitatis litteris factum eſt, ſi ipſa ejuſdem vaſculi ornamenta penſitet? patefactum eſt nunc primum hujus organi ope, quando cœptum ſit, & qua ratione cæleſtem ordinem planetarum inverti, ut diebus addicerentur; & cur Saturnus, qui nunc extimo dierum præeſt, in vaſculo principem locum, uti ſemper olim, uſurpet: nec non quare Aurora ſecunda ſede, non vero Sol ſplendeat: atque contra poſteriores Pythagoreos res omnis acta eſt, & monſtra opinionum averruncata? Preterea non pœnitenda de his Diis atramentariis, eorumque præſertim ſymbolis: & de ratione metalla metallis immittendi in lucem evecta ſunt; & cujuſdam Neroniani numiſmatis ergo nil illiberale, & longum reip. Neapolitanæ Attico more victitantis ſpecimen antehac intentatum appoſitum, præſertim fratriarum noſtrarum negotium, numerus, nomina, & ſitus tandem fortaſſe divinata, quæ ſane apprime juvarunt, quo vaſculi architectum Neapolitanum fuiſſe ſtitiſſem; & quo palam feciſſem cives meos Chaldæam artem perdite coluiſſe, urbemque ſagarum plenam, atque id genus hominum; & quo longævam σκευαρία canitiem veſtigari adniſus eſſem.

Quæ omnia ſi probes, in iiſque quid veri ineſſe fateаris, obſtinatiſſima voluntate mihi certandum eſt nihil hoc vaſculo præſtantius, ac rei litterariæ utilius adhucdum repertum eſſe, imo vel quid ornatius inſculpi, aut incruſtari quiviſſe, ſeptem ſcil. planetarum τάξει ſplendidum, quibus & cælum ipſum cingitur, & ſuperbit, ut divini Homeri verbis utar, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται, vid. ſup. pag. 722. neque quis præcellentius, ac grandius ornamenti genus cogitet, quo eadem ſupellex condecoretur: quare non ſolummodo Regium hoc μελανοδοχεῖον unicum eſt, & ſingulare, verum etiam vix, aut ne vix quidem ſperandum, ut compar, aut ſimile unquam ætas proferat, quod dialibus ſideribus ex electiſſimo metallo fulgeat. Merito igitur Rex ſapientiſſimus hoc cimelion longe elegantius illo, quod ſibi adquiſiverat Cidrus, (qui Richardi principis vicecomes fuit, quique ſibi con-

ſtan-

Digitized by Google

flandum juſſerat *Scrinium aureum mirificum* , *&* *calamarium aureum margaritis* , *&* *pretioſiſſimis gemmis inſignitum* , ut refert Petrus diac. in chron. monaſt. Caſin. to. 4. rer. Ital. Scriptor. Muratorii p. 501.) imo & Indico theſauro ſuo pretioſius, ac carius providentiſſime cavit, ne ad aliorum principum virorum gazas irreperet, ſed ad Herculanenſe cimeliarchium honeſtandum munificentia Rege digna ſibi comparandum curavit, ne vaſculum, quod Neapolitanorum veterum ingenia affabre fuderunt, ab indigenis inconſulto ereptum alienigenæ contra jus faſque ſuppilaſſent, ſpoliiſque noſtris, atque artium Græcarum decore diteſcerent. Et ſane nullus dubito, quin hoc ſummi pretii monumentum Regum invidia non careat: atque perquam nobis turpe fuiſſet, ſi ad longe gentium viſendum acciremur, atque ſublatum fruſtra pœniteret. Utinam, ſicuti dubio procul eſt, quin cimelii hujus dignitas ſumma ſit, & cariſſima, ita etiam ipſe ſatis fuiſsem ad ejuſdem antehac offuſam obſcuritatem detergendam; verum quivis noſtri vaſculi inſitus, atque ἔμφυτος nigror non aliena luce indiget, cum niteat ſua, etenim artifex tanta claritate honeſtavit, quanta eſt ſeptem principum aſtrorum, quibus illud circumdedit, decoravitque.

F I N I S.



C 05645841

Digitized by Google

Digitized by Google